[illegible]

JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Vartan Gregorian
EIGHTEENTH-CENTURY
BOOK FUND

Rottweil 1726

RPJCB


Coram Domino
Subjecta ſit Terra
1. Paralipp. 22. v. 18.
EUROPA
ASIA

Liber SS. Stephani et Viti mm. in Corbeja.

COMPENDIUM TOTIUS ORBIS

PARTIM

GEOGRAPHICUM,

PARTIM

GENEALOGICUM,

PARTIM

HISTORICUM

Juri præſertim S. R. I. Publico accõmodatum

AUTHORE

P. GREGORIO Kolb Societatis JESV.

Sumptibus GEORGII SCHLüTER & MARTINI HAPPACH.

ROTTWILÆ.

TYPIS JOANNIS GEORGII KENNERKNECHT.

RPJCB

RPJCB



PERILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS DOMINIS DOMINIS

JOSEPHO FERDINANDO FRANCISCO JOANNI
ET
LEOPOLDO ANTONIO S. R. J. L. BARONIBUS DE BISSINGEN

in Gruntzheim & Willenhofen, Dominis
Liberæ Dynaſtiæ Schrambergenſis &c &c

DOMINIS PATRONIS SUIS PERQUAM GRATIOSIS,

PERILLUSTRES AC GENEROSISSIMI DOMINI BARONES.

AUthores librorum plurimi, ut authoritatem & ſplendorem ſuis libris conciliarent majorem, fronti operum ſuorum præfixerunt Virorum Maximorum inſignia, eorum nempe, qui illuſtre nomen præclaris factis vel ſibi primò comparârunt, vel avitum Stemma ſuum egregio quodam opere ampliùs illuſtrârunt electi, Duces inter cohortes militum, vel Primates in Curiis Principum, Viri togâ vel ſago, literis vel armis,

)(2 vel

vel utrisque præclarè inſtructi & inſigniti. Viros his non impares cùm & ego libello huic meo optarem, continuò inveni, dum in DYNASTIAM SCHRAMBERGENSEM primò fauſtis avibus perveni: occurrit enim continuò mihi verè PAR NOBILE FRATRUM FERDINANDUS & LEOPOLDUS (ſanè nomina ſuamet amænitate & authoritate ſingulare quid ſonantia) FERDINANDUS inquam & LEOPOLDUS Viri Perilluſtres avito ſtemate, togâ & ſago, armis & literis tum in MAJORIBUS SUIS, tum in ſe-ipſis maximè conſpicui. Hæc pluribus recenſere & explanare non vacat modò, quoniam ſilere me jubet FRATRUM uterque, malens laudem mereri, quàm laudari. At dum calamo imperatur ſilentium, loquantur interim INSIGNIA in fronte præſentis libelli appoſita; loquantur PARENTUM & AVORUM PERILLUSTRIUM SCUTA GENTILITIA, loquantur NUPTIÆ inter BISSINGIANAM & ILLUSTRISSIMAS FAMILIAS, nimirum DE GRAVENEGG, NIPPENBURG, WOLKENSTEIN, SCHAUENBURG, RUEPP, BOTHMAN, STEIN &c &c per Sueviam, Bavariam & Tyrolim feſtivo ac fauſto Hymenæo celebratæ. At dum pauca hæc ſcribit, & plura ardet ſcribere calamus, jubetur denuo finem laudibus & literis facere. Juſſa igitur exequatur promptiſsimè is, cuj nutus debuiſſet eſſe inſtar mandati aut imperii. At tamen ſilere non poteſt, quod ſcribere jubet & Reſidentia noſtra & Gymnaſium Rottvvilanum paucíſsimis his dictis: FERDINANDUS & LEOPOLDUS à teneris annis cœperunt illuſtrare amœna ſuâ præſentiâ, nobiliſſi-

liſsimis ſuis moribus & literis Rottvvilam univerſam, verè decora maxima facti Litterariæ Juventutis, quod teſtari pergit præſens etiam ætas noſtra, qua non ceſſat FRATRUM uterque certare cum Doctis & Doctoribus, legere libros, ſcribere epiſtolas, jura interpretari, jus dicere & exequi, non tam alieno conſilio adjuti, quàm etiam ſcientiâ & ſententiâ propriâ, eáque legibus maximè conformi tutiſsimi. Accedit gratia ſingularis, favor perpetuus & beneficium ſanè multiplex, quibus FAMILIA PERILLEUSTRIUM DD. BARONUM DE BISSINGEN Domicilium hoc noſtrum & præſertim ÆDICULAM SACRAM nunquam non eſt proſecuta. Multa igitur beneficia non in ingrato loco fuiſſe repoſita teſtis ſit perpetuus libellus hic meus, cui cùm inſit nomen TOTIUS ORBIS COMPENDIUM, compendiô etiam hìc multa debitæ gratitudinis ergo dixiſſe ſufficiat. At verò libellus teſtis hic noſter, ut in DOMO non niſi NOBILISSIMA, quamvis indigniſſimus, conquieſcat, eundem FRATRUM UTRIQUE NOBILISSIMO demiſsiſsimè dico, dedico, in MANUS omni veneratione DIGNISSIMAS transfero, offero &c.

Perilluſtrium Dominationum Veſtrarum

Perpetuò obſtrictiſſima Reſidentia Rottvvilana Soc. JESU.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

Cùm D. Georgius Schlüter & D. Martinus Happach, Bibliopolæ Auguſtani prima editione vulgare deſiderent Compendium Hiſtoricum totius Orbis, à P. Gregorio Kolb Societatis JESU Sacerdote conſcriptum; Ego Erancisſcus Xaverius Hallauer, Societatis JESU per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate ab Adm. R. Patre Noſtro Michaele Tamburino, Societatis noſtræ præpoſito Generali, mihi conceſſa, eisdem ad hanc editionem primam, facultatem impertio. In cujus confirmationem has literas Chirographo meo, & conſueto Officij ſigillo munitas dedi. Rottvvilæ 1. Julij 1726.

FRANCISCUS XAVERIUS
HALLAUER.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

LOngum iter per præcepta, iter breve per Exempla, clamant Legum periti ſæpe. Longum iter per exempla, iter longiſſimum per Hiſtorias, exclamant crebrò Hiſtorici; tanta eſt enim diverſiſſimarum rerum copia, tot mæandri ac labyrinthi per longiſſimam ſimúlque latiſſimam univerſæ Hiſtoriæ viam, ut fateri cogatur ferè quotidie Hiſtoricus

Tot poſt errores, poſt mille pericla viarum,
An modus Hiſtoricis, aut meta eſt ulla laborum?

Metam proinde mihi dum vix ſpero, de modo tamen per Hiſtorias facilè eundi non deſpero. Modus ac methodus ea eſt totius terreſtris orbis, aut hujus minimùm partis conſideratio frequens ac ſedula, quæ aquas & terras, atque harum partes principes ſaltem ita diſtinguit, ut qui bene diſtinxerit, plurimùm jam didicerit. Certè marium ac fluminum totum terrarum orbem vel circumambientium, vel percurrentium mediocris etiam notitia ita internos animi ſenſus illuſtrat, ut Hiſtoricus ſine navigio ad quoſvis portus perveniat ventis ac velis ſecundiſſimis. Unde eidem velut per maria volanti dabitur intueri diverſos mundi angulos, polos, zonas, & ſuis lineis diſtinctorum locorum ordines; per flumina deſcendenti, aut aſcendenti dabitur oculis metiri Regna, Regiones & urbes diverſiſſimas, ut de iis ritè diſſerere, & ſententias dicere poſſit viro dignas. Atque hoc ipſum conſequetur faciliùs Hiſtoriæ fervens amator, ſi

unà

unà cum locorum varietate paucis perlegat diverſarum gentium ac nationum, item etiam Jmperatorum, Regum, aliorúmque Virorum Principum ſtatum, Eg. ſtemma, leges, jura, mores, divitias & alias res multas; qualia tametſi ſint ita varia & multa, ut primo eorundem intuitu Lector non immeritò terreri, & quodammodo abſterreri queat; ſi tamen is obſervaverit quampiam legendi ac diſcendi menſuram aut ordinem, atque de rebus, quas luſtravit & legit, ſermocinari ſuo tempore non abnuat, profectò brevi temporis ſpatio faciet fructum ſpe ſua longè uberiorem.

Itaque ut hac ratione & tibi Lector benevole, & Hiſtoriæ æſtimatoribus pro viribus ſerviam, pando TOTIUS TERRESTRIS ORBIS BREVE COMPENDIUM, in quo ſi per terras & aquas ad mundi Regna & Regiones diverſiſſimas perveneris, totum pene orbem figuris ſuis, coloribus & imaginibus ritè depictum tuo in capite circumferes novus Atlas. Perinde gaudebimus unà etiam, ſatisfieri Patronis noſtris maximis, Provincialibus nimirum per Briſgojam Statibus Hiſtorici Studij Fundatoribus & Mœcenatibus Munificentiſſimis, quorum deſideria & mandata id à me poſtulârunt pridem, ut Principia Geographica præcedant vel comitentur Prælectiones Hiſtoricas, & ſimul ſuus ſit locus Genealogiæ Virorum maximè in Germania Principum, atque ſua denique ſternatur via Juri publico. Hæc quatuor ſi conſecutus fuerit & Lector & Scriptor, uterque ad optatam jam ferè pervenit metam.

Authores hoc in Compendio allatos inveniet Lector partim Catholicos, partim Heterodoxos, cum quorum poſterioribus etiam ſentire, loqui, ſcribere multis in rebus, atque adeò eandem quaſi viam ire placuit, ſed tantùm uſque ad aras. Hinc ubi in capitibus multis calamo meo inveni contraria, relictis continuò contrariis ſelegi ea, quæ ſunt viſa mihi & veritati magìs amica; quin tamen hìc animus fuerit contraria multis confellere aut confutare, eò quòd in Serie Romanorum Pontificum, Jmperatorum & Archiepiſcoporum jam abundè id factum eſſe viſum ſit mihi & aliis librorum arbitris.

SY-

SYNOPSIS BREVISSIMA GLOBI TERRESTRIS ET GEOGRAPHIÆ.

CAPUT I.

GEographia eſt globi terreſtris tum quoad totum, tum quoad partes ferè ſingulas in exteriori ejus ſuperficie conſpicuas expoſitio.

Geographia ſic deſcripta differt à Coſmographia, Chorographia & Topographia: Coſmographia enim non tantùm ſuperficiem terræ, ſed etiam conſtitutionem corporum in cœlo circa terram verſatilium conſiderat. Chorographia verò non univerſum terræ globum, aut ejus Regiones ſingulas, ſed unam alterámve Regionem duntaxat explanat. Topographia denique non Regiones integras, ſed aliquem tantùm Regionis aut Regni tractum oculis ſubjicit.

Globi terreſtris conſiderationem aliquam vendicant ſibi Mathematici, Phyſici, Politici, quin & Hiſtorici. Phyſicis nos ſuum, quod ipſorum eſt, pene totum relinquimus; pauca quæ

Mathematicorum ſunt, delibabimus, ut diutiùs inſpicere liceat ea, quæ Geographorum, Politicorum & Hiſtoricorum ſunt.

§. I.
DE CIRCULIS MAJORIBUS.

INterſecant Mathematici terreſtrem globum circulis majoribus & minoribus. Circuli majores ſunt Meridianus princeps, Æquator, Zodiacus, Horizon. Meridianus princeps eſt circulus ille magnus, qui totum globum terreſtrem ambit eum in modum, ut per utrumque orbis polum tranſeat ſimúlque oſtendat locorum quorumvis latitudinem, ſeu diſtantiam locorum ab Æquatore verſus ſeptentrionem, vel verſus meridiem.

Idem Meridianus vocatur crebrò æneus, eoquòd in globis majoribus plerumque ex ære, aut ſimili materia confici hactenus conſueverit.

Continet hic Meridianus, veluti reliqui circuli omnes 360. gradus ſeu quatuor quadrantes, quarum unaquæque pars comprehendit 90. gradus. Gradibus Meridiani ſeu circuli terræ maximi ſingulis reſpondent 15. milliaria Germanica cum dimidio, atque adeò totius orbis terreſtris ambitus numerat milliarium Germanicorum 5580: Geographi tamen plerique numerant 5400. Meridiani alij totum orbem terreſtrem circumambientes, vocantur Meridiani locorum, eò quòd exhibere ſoleant, quibus populis ſimul atque ſemel in die ſol Meridiem ſua luce ac lumine afferat; numerantur autem meridiani tales 36. ſinguli decem gradibus inter ſe diſtincti, & per utrumque polum ducti. Poli autem ſunt duo puncta terræ, quorum alterum Septentrionem, alterum Meridiem denotat.

Meridianum, quem vocant Mathematici *primum* Geographorum diverſi in diverſis Atlantici maris ſtatuunt inſulis.

Æquator eſt ille circulus major, qui ſecundum locorum menſuram ab utroque polo æqualiter diſtat, totum globum circumit, & eundem in duas partes omnino æquales dividit. Idem

oſten-

oſtendit locorum ab invicem diſtantium longitudinem, & diſcernit ſigna Septentrionalia à Meridionalibus, nec minùs quàm Meridianus princeps continet 360. gradus. Zodiacus eſt Circulus obliquus inſtar ſerpentis ſurſum ac deorſum inflexus, qui Æquatorem ita diſſecat, ut una ejusdem medietas ſupra Æquatorem elevata Tropicum Cancri tangat, medietas altera infra Æquatorem demiſſa Tropicum Capricorni attingat.

Oſtendit primò Zodiacus duo ſolſtitia in ſignis *Cancri* & *Capricorni.* Secundò oſtendit duo æquinoctia in ſignis *Arietis* & *Libræ.* Tertiò quatuor anni tempora, ſcilicet *Ver* & *Autumnum* in *Ariete* & *Libra* : æſtatem verò & hyemem in *Cancro* & *Capricorno.* Quartò cauſam caloris & frigoris, ſcilicet radios ſolares nunc perpendiculariter, nunc obliquè deſcendentes. Loca nimirum ſub eo paralello, quem ſol quotidie deſcribit, vel inde non procul ſita, cùm meridiani ſolis radios vel omnino perpendiculariter, vel parùm obliquè incidentes excipiant, ùt contingit in Zona torrida; vehementiſſimè incaleſcunt: Regiones verò, quæ longiùs inde recedunt, cùm radiis ſolaribus ſolùm, ùt ajunt, lambentibus, aut acuto admodum angulo illorum horizontem perſtringentibus illuſtrentur, nativo frigore eóque ingenti torpent, ut in Zonis frigidis accidit.

Zonæ autem temperatæ, quæ nunc magìs, aliàs verò obliquo ſolis radio colluſtrantur, caloris & frigoris perpetuas habent viciſſitudines.

Horizon duplex eſt; horum enim unus eſt Horizon Rationalis, Circulus nempe maximus, cujus planum per centrum terræ tranſiens globum in duas partes æquales ſecat. Aſtronomicus etiam apellatur, quòd aſtrorum dimetiendis altitudinibus inſerviat. Horizon alter dicitur ſenſibilis & Phyſicus éſtque Circulus non maximus, Rationali Horizonti paralellus, globúmque in puncto tangens, & ſegmentum ſpæræ habitatori in illo puncto exiſtenti viſibile ab inviſibili dividens. Prior ſolùm Horizon in globo expreſſus eſt per circulum ligneum, cui Novum ac Ve-

tus Calendarium, nec non Zodiaci ſigna cum ventorum plagis inſcripta cernuntur, inſignem pro variis tum Geographiæ, tum Chronologiæ, tum etiam Aſtronomiæ proplematis facilè expediendis uſum præſtantia.

§. II.
DE CIRCULIS MINORIBUS.

Circuli minores quatuor, ſunt Tropicus Cancri & Capricorni cum duobus Circulis Polaribus, ſcilicet Arctico & Antarctico. Tropicus Cancri eſt circulus ſupra Æquatorem ductus Boream verſus; Tropicus Capricorni eſt Circulus infra Æquatorem formatus Auſtrum ſeu Meridiem verſus. Circulus Polaris Arcticus eſt ſupra Tropicum Cancri Boreæ propinquus; Circulus Polaris Antarcticus eſt infra Tropicum Capricorni Auſtro propinquus. Atque quatuor hi Circuli quinque Zonas diſcernunt. Circulis Minoribus accedant Paralelli, qui ab Oriente adOccidentem tendunt & per Meridianos ſimúlque Zonas tranſeunt.

§. III.
DE ZONIS.

Zona eſt terræ ſpatium inter Circulos quatuor, atque duos polos medium. Inter Zonas quinque quæ eſt media, vocatur torrida, eò quòd propinquis ac ferè rectis Phœbi radiis illuſtretur, & accendatur, inter duos Tropicos contenta.

Zonæ duæ proximæ inter duos Tropicos & Polares Circulos contentæ vocantur temperatæ, quòd ſolis radios habeant ſibi nec nimiùm proximos, nec etiam nimiùm remotos, quæ diſtantia ſolis efficit temperiem quamdam caloris & frigoris.

Zonæ duæ ultimæ inter Circulos Polares & duos Polos contentæ vocantur frigidæ, quòd ſolis radios habeant admodum à ſe remotos & fractos; ſolis nempe diſtantia maxima ſinit prædominari Regionibus polo utrique proximis pene perpetuum frigus; unde etiam Regiones crebrò vocantur frigidæ.

In

In Zona torrida ſitum ſuum habet America media, media item Africa, & Aſia inſulana cum maritima.

In Zona temperata Septentrionali continetur ferè tota noſtra Europa, ſuperior America, ſuperior Africa, & Aſia ferme tota cum vicinis maribus.

In Zona temperata Auſtrali locum habet inferior America, inferior Africa & nova Hollandia cum oceanis vicinis.

In Zona frigida Septentrionali videre eſt ſupremam Aſiæ, Americæ & Europæ partem cum mari Glaciali.

In Zona frigida Auſtrali oculis ſubjicitur terra Auſtralis incognita cum Oceano Meridionali.

Cùm verò diverſæ adeò ſint per terrarum orbem Zonæ; hinc eædem habent tempeſtates admodum diverſas; Zona namque torrida ſub Æquatore habet æſtatem pene perpetuam ob conſtantem ſolis præſentiam: ubi verò Zona torrida locum habet utrique Tropico & Æquatori propinquum, duas habet æſtates & duas hyemes, plurimùm tamen temperatas. Sub ipſis denique Tropicis unam duntaxat habet æſtatem & unam hyemem, quoniam hoc loco ſolem ſemel tantùm in anno verticalem habet, bis verò in Regionibus inter Æquatorem & Tropicos mediis.

Zonæ duæ temperatæ unam numerant per anni circulum æſtatem & unam hyemem: æſtas initium ſuum habet, dum ſol ſupra vel infra Æquatorem graditur, nunc ſuperiori, nunc inferiori Zonæ per mediam anni partem vicinior, mutatis utrinque conſtanter vicibus.

Zonæ frigidæ torquentur perpetuis ferè frigoris injuriis, quoniam à via ſolis nimiùm, ſunt remotæ, non niſi obliquîs valde Phæbi radiîs illuſtratæ. Hactenus de diverſa Zonarum tempeſtate, nunc etiam pauca dicenda de diverſo earundem tempore.

Zona torrida itaque ſub Æquatore perpetuum habet Æquinoctium; quò magìs ab Æquatore recedit, eò magìs creſcunt dierum noctiúmque ſpatia.

Zonæ temperatæ pro ratione ſitus ac ſolis dierum noctiúmque nunc incrementa, nunc decrementa habent; hinc quò ma-

gis ſuas regiones circulo Polari adjiciunt, eò magis experiuntur dies noctéſque inæquales.

Zonæ frigidæ extra polum duo habent æquinoctia, & poſt hæc diem vel noctem continuam pauciorum vel plurium dierum naturalium numero concluſam, prout magis vel minùs ab ipſis polis receſſerint. Sub polis verò dies una durat ſex menſibus, tantundem nox una: æquinoctiorum autem tempore ſol medius eorum Horizontem radens neque totus oritur, neque totus occidit.

§. IV.
DE DIVERSIS POPULORUM NOMINIBUS.

JAm verò populi, quibus ſol diverſiſſimo modo affulget, diverſa ſortiti ſunt nomina: Aſcij ſeu nullumbres vocantur illi, qui duobus anni diebus, vel ſaltem ſemel in anno ſolem verticalem habent. Amphiſcii ſeu utrimqueumbres dicuntur, qui per anni dies ſolem jam Auſtralem, jam Borealem aſpiciunt. Tales ſunt ij, qui in Zona torrida quidem, ſed extra Tropicos degunt. Heteroſcij ſeu alterutrumbres audiunt illi, qui umbram meridianam ad latus alterutrum projectam habent, dum in Zona Boreali ſolem à vertice ad Auſtrum, in Zona verò Auſtrali ſolem à vertice declinantem ad Boream experiuntur. Periſcios denique, ſeu circumumbres vocamus illos, qui umbram habent in omnes Horizontis plagas circumfuſam. Tales forent illi, qui polos ipſos incolerent, ſpæram paralellam ſortiti.

Pro diverſitate Climatum diverſis etiam nominibus vocantur diverſi populi: Clima autem hoc loco dicitur illud terræ ſpatium, quod ab Æquatore verſus utrumque polum procurrit intra duos paralellos, ſimúlque determinat augmentum diei in anno longiſſimæ, ſeu longioris reſpectu Climatum aliorum. Perjœci itaque ſeu Circumaccolæ vocantur illi omnes, qui in eodem paralello habitant. Iidem ratione temporis ſingulos anni dies noctéſque æquales habent &c.

Antœci ſeu Contraccolæ dicuntur illi, qui in diverſis paralellis

lellis ab Æquatore verſus utrumque polum æqualiter remotis habitant. Hi ipſi in anno tempeſtates experiuntur prorſus contrarias; dum enim uni ver favet, alteri autumnus arridet: dum uni dies lucet longiſſimus, alterum nox premit longiſſima.

Antipodes denique illos dicimus, qui pedes mutuò ſibi obvertunt, ſeu qui habitant ſub uno Meridiano, ſed in punctis è diametro oppoſitis. His etiam ſunt tempeſtates & tempora contraria; nam unius dies efficit noctem alterius; dum uni ver favet, alteri inſtat autumnus.

§. V.
DIVISIO TERRESTRIS ORBIS IN AQUAS ET TERRAS.

SI terreſtris globi ſuperficiem inſpiciamus, majorem ipſius partem aquîs ſuperfuſam, ſeu liquidam, minorem partem deprehendimus ſolidam.

Pars partium harum major ſeu liquida dividitur in ſex maria magna, in ſex maria longa, & totidem maria lata.

SEX MARIA MAGNA SEU OCEANI SUNT.

I. Mare Atlanticum inter Europam & Americam ſupra Æquatorem.
II. Mare Æthiopicum inter Americam & Africam infra Æquatorem.
III. Mare Indicum ſeu Oceanus Orientalis inter Aſiam & Africam circa Æquatorem.
IV. Mare Pacificum inter Americam & Aſiam.
V. Mare Septentrionale, quod etiam vocatur Glaciale & Scythicum verſus Boream.
VI. Auſtrale verſus meridiem.

SEX MARIA LONGA SUNT.

I. Mare Mediterraneum inter Africam & Europam.
II. Mare Balticum inter Daniam, Sueciam, Germaniam, Poloniam & Livoniam.

III. Ma-

III. Mare Arabicum ſeu Rubrum, quod vocatur etiam Erytreum inter Aſiam & Africam.

IV. Mare Perſicum nter Perſiam & Arabiam.

V. Mare ſeu ſinus Cocenſis inter Tartariam, Chinam & Coream.

VI. Sinus Californiæ inter Californiam & novam Mexicum in America.

SEX MARIA SEU SINUS LATI SUNT.

I. Sinus ſeu mare Germanicum inter Daniam & Hollandiam.

II. Mare Album ſuperiùs in finibus Moſcoviæ.

III. Mare Caſpium in finibus Perſiæ & Tartariæ inferiùs. Vocatur etiam Hyrcanum.

IV. Sinus, vulgò di Bengala in Aſia penes Mogol.

V. Sinus inter Malacam & Cambodiam itidem in Aſia.

VI. Sinus Mexicanus in America in medio. Horum tamen ſex marium ultimorum multi vix faciunt mentionem. Hæc de majori orbis parte.

Pars orbis minor terra dividitur præſertim ab Europæis in Europam, Aſiam, Africam & Americam.

§ VI.

BREVIS DESCRIPTIO EUROPÆ.

Europa orbis conditi inter quatuor partes ſolidas pars minima, pene omnium æſtimatione tamen maxima, ab Agenoris Phœnicum Regis filia hoc nomine dicta, conſuevit tam à Poetis, quàm Pictoribus, quin & Geographis ſub ſchemate ornatæ virginis proponi. Si itaque virginis hujus membra decenter ornata enumeremus, occurret nobis numerus & ordo partium totius Europæ: Coronam namque virginis exhibet nobis Luſitania. Caput vendicat ſibi tota Hiſpania. Supra collum ſplendent inſtar lapillorum montes Pyrenæi. Ipſum collum Virginis & pectoris pars ſuperior eſt Gallia. Inſtar pectoris ſeſe latè extendit Germania. Velut brachium dextrum extenditur Italia. Siniſtræ ſimilis ſit major Britannia. Togæ prælongæ partem magnam referunt

runt Hungaria & vicinæ Provinciæ Italiam & mare Mediterraneum verſus. Partem togæ alteram exhibet Bohemia, Polonia, Lithuania, Pruſſia & Dania. Partem veſtitus fæminei reliquam imitantur Suecia & Norvvegia cum regionibus vicinis; idem faciunt Moſcovia nobis vicinior & provinciæ turcicæ infra Hungariam uſque ad terminos Europæ.

TABULA I.
CHOROGRAPHIA LUSITANIÆ.

§. I.
DE REGNO LUSITANIÆ.

LUſitania ſeu Portugallia eum nacta eſt ſitum, ut à Septentrione tangat Gallæciam; ab Oriente Hiſpaniæ Regna, ſcilicet Legionis, Extremaduræ & Andaluſiæ. Ab Occidente mare Athlanticum; ab Auſtro Regnum Algarbiæ & Athlanticum mare. Luſitania longa eſt ferè 120. Germanis milliaribus. Lata circiter 33.

In Luſitania fluvij majores ſunt IV. ſcilicet 1. Minius. 2. Durius 3. Tagus 4. Guadiana.

Luſitania ſeparatur à Gallæcia flumine Minio; ab Algarbia montium interjacentium jugis.

Hos intra fines includuntur Provinciæ V. ſcil. I. Interamnia inter fluvios Minium & Durium. II. Tranſmontana. III. Beira. IV. Ciſtagana cis Tagum, quæ etiam Extremadura Hiſpaniæ vocatur. V. Tranſtagana, trans Tagum. His V. Provinciis accedit VI. Algarbiæ Regnum, quod verſus meridiem Luſitaniæ eſt adſitum, & ſeparatur à Regno Andaluſiæ flumine Guadiana.

§. II.
DE LUSITANIÆ PROVINCIJS ET URBIBUS PRÆCIPUIS.

IN Interamnenſi Provincia ſunt urbes Bracara, Braga. Portus Cale, Porto. Vimarinum, Guimaranes.

IN TRANSMONTANA URBES SUNT

Miranda Durij, aliis Contium, Miranda de Douro. Aqua Flavia, Chiaves. Brigantia, Braganza. VillaRegalis, Villa Real. &c &c.

IN BEIRA SUNT

Conimbrica, Coimbra. Viſeum, Viſeo. Lameca, Lamego. Guardia, Guarda. Salva Terra Idem. Caſtellum Album, Caſtel Franco. &c &c.

IN EXTREMADURA URBES SUNT

Ulyſſipo, Liſabon. Setuabalia, aliis Cetrobrica, Setubal. Jrenopolis, Santarein. Leiria Idem. Almerinum, Almerin. &c &c.

IN TRANSTAGANA URBES SUNT

Ebora, Evora. Elvæ, Helvas. Oliventia, Olivenza. Portus Alacris, Portalegre. Pax Julia, Beja. Ulricum, Ourique. Villa viciosa Idem. &c &c.

IN REGNO ALGARBIÆ URBES SUNT

Tavila, Tavira. Sylvæ, Sylves. Pharus, Faros. Promontorium S. Vincentij, Cabo de S. Vincente. Lacobriga, Lagos. &c &c.

Præter has Europæ provincias in reliquis totius Orbis terreſtris partibus vendicârunt ſibi Luſitanorum Reges dominia ſequentia:

I. In vicina Africa ſunt Maſaganum in regno Marocco, Maſagan. Loanda S. Pauli in reg. Angola, Loand. à S. Paulo. Moſambicum in portu Zanguebar, Moſambique. Inſulæ dictæ de capite viridi, de Capoverde. Madera inſula cum inſulis vicinis aliis.

II. In Aſia Goa in portu Cuncan Idem. Diu urbs in regno Mogolis Idem.

III. In America Braſilia Regio, Braſilien. Azores inſulæ inter Europam & Americam.

§. III.

His enumeratis longè plures numerant urbes Luſitani; teſtatur enim Antonius *Foreſti* Hiſtor. Jtal. ex authoribus variis, in Luſitaniæ regno numerari partim urbes, partim oppida facilè ſexcenta; *Furnier* verò octingenta octo, præter quatuor paræciarum millia

millia, quarum Præſides in Luſitania ſupremi ſunt tres Archiepiſcopi, nimirnm Bracarenſis, Ulyſſiponenſis & Eborenſis. Luſitanis ex aſſe Catholicis patrocinantur ex Divorum numero Patroni D. Vincentius, & altero jam Seculo D. Xaverius.

Orthodoxa ſacra primùm ſtabilivit circa annum 1040. Ferdinandus I. Legionis & Caſtellæ Rex cum filio Sanctio & Alphonſo VI. nepote, cui non minùs, quàm Hiſpaniæ Regibus aliis auxiliares copias miſerunt Galli; unde cùm ad Luſitaniæ portus ſuas naves appuliſſent creberrimè, natum eſt dehinc Luſitaniæ nomen alterum, ſcilicet Portugalliæ. Fuit inter Gallos commilitones Henricus Comes Burgundiæ, cui ob præſtantiſſima in Luſitanos merita Alphonſus VI. filiam ſuam Thereſiam (alij ſcribunt Tharaſiam) dederat ſponſam. Dos nuptias ſecuta eſt Luſitania tota Saracenis erepta: inter Reges itaque Luſitanorum hactenus 25. Rex omnium primus Henricus genitorem ſuum dixit Henricum Burgundiæ Ducem, avum verò Robertum, & atavum Robertum alterum Galliæ Regem. Ita habent Hiſtorici Luſitani, Galli, Germani, quin & Jtali, Hiſpanis haud parùm diſſentientibus. *Hübnerus P. II.*

Quamvis Luſitaniæ regnum inter Europæ regna magnitudine ſua haudquaquam emineat; hominum tamen multitudine & divitiis multa Europæ regna ſuperat; eſt enim Portugallia ſuâmet naturâ admodum fertilis, ut ipſa maximam vini, ſalis, olei, fructuum omnino diverſorum, pecorum, cupri, argenti, auri & unionum copiam ſuis offerat incolis, quibus divitiarum Theſaurus ingens accedit, qui à mercatoribus plurimis nullo non tempore ex remotis terræ partibus advehitur. Unde jure merito hunc ducere calculum, & hanc inire rationem quis poterit: ſi in Luſitania tam frequentes cernantur urbes & oppida, ac ſimul admodum copioſa hominum multitudo, nec non divitiarum copia eximia, tunc enimvero inſigniter errârunt Geographi aut rationarij illi, qui Luſitanis nec multas militum copias, nec eorum Regi divitias multas adſcripſerunt; profectò ſi numerentur in Luſitania ſexcentæ partim urbes, partim oppida, non annumeratis quibusvis pagis, vill s, aut advenarum habitationibus, tunc ſi ſingulis urbibus ac oppidis non

niſi 6000 hominum concedantur, prodibunt hominum 3600000, qui crebrò per unius anni ſpatium ſolverunt Regi ſuo ultra 30. florenorum milliones: *Pockius* admittit 60. Majorem verò urbium atque adeò etiam hominum multitudinem colligere licet ex dictis.

Rex Luſitaniæ procul dubio eſt Monarcha libertate gaudens verè Regia: ligatur is tamen, veluti Reges in Europa ferme omnes, nonnullis Regni legibus; hinc novas ut ferat leges, oportet conſcios eſſe Regni Status, nimirum Archiepiſcopos, quospiam Duces, Marchiones & urbes. Cæterùm hos omnes in regias partes facilè trahit ſæpe maxima in Regem reverentia.

Luſitani urbium ſuarum plateas obire ſolent frequenter palliîs induti, perſpiciliîs oculô præfixîs, latus utrumque cingentes gladiô, longiori nimirum ſiniſtrum, breviori dextrum. Non minùs, quàm Hiſpani, aucupantur ſibi gloriam ex ſcientiis, mercimoniis & armis. Luſitanos maximi æſtimavit Philippus II. Hiſpaniæ ſimul & Luſitaniæ Rex; Luſitanorum enim ut ſibi penitus devinciret animos, totum ſe Luſitanum finxit, habitu nimirum corporis, & habitatione octodecim annorum incola Luſitaniæ.

Numerantur in Luſitania Academiæ tres 1. Conimbricenſis. 2. Eborenſis. 3. Ulyſſiponenſis. Equitum ordines ſunt duo, alterum Aviſii dictum erexit an. 1147. Alponſus I. Alterum Chriſti vocatum fundavit Dionyſius an. 1320. uterque Luſitanorum Rex.

TABULA II.
CHOROGRAPHIA REGNI HISPANIÆ.

Hiſpaniæ Regnum univerſum teſte *Köhlero* longitudine 164. latitudine ſua quibusdam in locis 124. milliaria Germanica æquans, reſpicit à Septentrione Oceanum Cantabricum & montes Pyrenæos; ab Oriente Galliæ & maris Mediteranei partem

tem; à Meridie fretum Herculeum; ab Occidente Luſitaniam & Oceanum Atlanticum; à Gallia ſeparatur plurimùm montibus Pyrenæis; à Luſitania Minio flumine; ab Africa freto Herculeo. *Pocbius* & alij tam in longitudine quàm latitudine numerant milliaria Germ. 150. in circuitu autem 600. ex quo conſtat, authores diverſos à diverſis terminis Hiſpaniæ dimenſionem inſtituiſſe. Tale tantúmque Regnum quatuordecim conſtat provinciis, quarum pleraſque, regni nomine nuncupârunt Hiſpani Veteres: earundem potiores Regni nomine dignas cenſent etiam Recentiores non ſolùm Hiſpani, ſed Reges Europæ univerſi.

Ex tot Regnis ac Provinciis duo ſunt in medio; tria verſus Septentrionem; tria verſus Meridiem; tria Orientem, & tria Occidentem verſus.

In medio ſunt I. Regnum Caſtellæ Novæ / II. Reg. Caſtellæ Veteris } conficiunt unum regnū.

Verſ. Septentrionem III. Reg. Gallæciæ. IV. Biſcaja Provinc. V. Principat. Aſturiæ. Verſ. Meridiem VI. Reg. Granatæ. VII. Reg. Murciæ. VIII. Reg. Valentiæ. Verſ. Orientem IX. Reg. Navarræ. X. Reg. Arragoniæ. XI. Cataloniæ Principatus. Verſ. Occidentem. XII. Reg. Legionis. XIII. Principat. Extremaduræ. XIV. Regnum Andaluſiæ.

DE REGNO CASTELLÆ NOVÆ.

In Regno Caſtellæ novæ ſunt urbes præ reliquis majores. Madritum, Madrit. Toletum, Toledo. Complutum, Alcala de Henares & Complut. Scoriale, Eſucrial. Concha, Cuenca. Calatrava Idem. Molina, Idem. Civitas Regalis, Cuidad Real.

DE REGNO CASTELLÆ VETERIS.

In Regno Caſtellæ Veteris ſunt urbes Burgi, Burgos. Valiſoletum, Valladolid. Abula, Avila. Segobia, Segovia. Oxama, Oſma. Calaguris, Calahorra. Metina Cœli, Medina Celi. Seguntia, Siguenza. Soria Idem. Lerma, Idem. Lucronium, Lagronno.

DE REGNO GALÆCIÆ.

In Regno Galæciæ urbes ſunt Compoſtella, Compoſtell & Santjago. Coronium, Corunna. Bajonna Idem. Vigum, Vigo. Promontorium Artabrum, Cabo de finis terre. Lucus, Lugo. Auria, Orenſe. Tuda, Tug. Mindonia, Mondonnedo. S. Martha Idem. Sarria Idem.

DE REGNO BISCAJÆ.

In Regno Biſcajæ urbes ſunt Flaviobriga & Bellum Vadum, Bilbao. Andreopolis, S. Andreo. Sebaſtianopolis, S. Sebaſtian. Laredum, Laredon. Fons rapidus, Fuente rabia. Placentia Idem. Ognatum, Onnate. Victoria, Vittoria. Toloſa Idem. Authores nonnulli Biſcajam annumerant Regno Legionis.

DE PRINCIPATU ASTURIÆ.

In Principatu Aſturiæ urbes ſunt Ovetum, Oviedo. Julianopolis, Santillana. Villa vicioſa Idem.

DE REGNO GRANATÆ.

In Regno Granatæ urbes ſunt Granata, Granada. Malaca, Malaga. Almeria Idem. Guadicia, alii Acci, Guadix. Anticaria, Antequera. Loxa, Loja. Arunda, Ronda. Sclambrina, Salobrenna. Fanum fidei, Santa Fe. Promontoirum Charidemum, Cabo de Gates.

DE REGNO MURCIÆ.

In Regno Murciæ urbes ſunt Murcia Idem. Carthago nova, Carthagena. Burgus S. Crucis, Caravaca. Almacara, Almacaren. Eliocrata, Lorca. Promontorium Saturni, Cabo de Palos.

DE REGNO VALENTIÆ.

In Regno Valentiæ urbes ſunt Valentia Idem. Alone, Alicante. Oriola, Origuella. Gandia Idem. Segobriga, Segorve &c.

DE REGNO NAVARRÆ.

In Regno Navarræ urbes ſunt Pompejopolis, Pampelon. Taſala Idem. Stella, Eſtella. Lerinacum, Lerin. Iturissa, Sangueſa. Tutela, Tudela.

DE REGNO ARRAGONIÆ.

In Regno Arragoniæ urbes ſunt Cæſar Auguſta, Saragoſſa. Oſca, Hueſca. Jaca, Jacca: Barabaſtrum, Babaſtro. Taraſona, Tarazona. Terulum, Teruel. Lobetum, alij Albarazina, Albarazin. Venaſca, Tenaſque. Bilbilis, Calatajud.

DE PRINCIPATU CATALONIÆ.

In Principatu Cataloniæ urbes ſunt Barcino, Barcelona. Tarraco, Tarragona. Gerunda, Girona. Ilerda, Lerida. Palamus, Palamos. Rhoda, Roſas. Dertoſa, Tortoſa. Vicus, Vich. Urgella, Urgell. Celſona, Solſone. Podium Caritanum, Puicerda. Cardona Idem. Aureſa Idem. Villa Franca Idem. Balegueria, alij Balegarium, Balaguer. Promontorium Crucis, Cabo de Creux.

DE REGNO LEGIONIS.

In Regno Legionis urbes ſunt Legio, Leon. Salumantica, Salamanca. Aſturiga, Aſtorga. Sentica, Zamora. Taurum, Toro. Palencia Idem. Santillana Idem. Tunis Syllana, Tordeſillas. Methymna, Medina del Campo. Rodericopolis, Cuidad Rodrigo.

DE PRINCIPATU EXTREMADURÆ.

In Principatu Extremaduræ urbes ſunt Pax Auguſta, Badajoz. Emerita, Merida. Alcantara Idem. Placentia Idem. Cauria, Coria. Albuquercum, Albuquerque.

DE REGNO ANDALUSIÆ.

In Regno Andaluſiæ urbes ſunt Hiſpalis, Sevilla. Anduxaria, Andviar. Arcenſium Colonia, Arcos. Fanum S. Lucæ, S. Lucar. Heraclea, alij Calpe, Gibraltar. Corduba, Cordova. Aſtygi, Ecya.

Tarif-

Tariffa Idem. Ubeda Idem. Xera, Xeres. Sidonia, vel Aſſidonia, Principatus Medina. Aymontium, Ayamonte. Giennum, alij Gienſium, Jaen. Biatia, Baeza. Gades, vel Caditanus Portus, Cadiz. Tot Regnis ac provinciis acceſſerunt inſulæ & terræ partes aliæ haud exiguæ in univerſo terrarum orbe, nimirum in

I. Europa Regi Catholico tributa ſolvunt inſulæ Baleares aliæque Eg. Majorica, Majorca. Minorica, Minorca. Portus Mago Porto Maon. Ebuſus, Yvica. Ophiuſa, Formentera &c.

II. In Africa Septa. Ceuta. Melila Idem. Marſalquivis Idem &c.

III. In Aſia Inſulæ Philipinæ numero plurimæ haud procul Chinenſium regno ſitæ. Inſulæ Latronum numero juxta P. Scherer 105. Inſulæ Salomonis &c.

IV. In America Hiſpani occupârunt partem potiſſimam, quæ tametſi latiſſima & longiſſima, Hiſpanis tamen ferè anguſta nimis, ad ſui commercium & conſortium invitavit reliquas mundi partes Aſiam & Africam, ex quibus ſibi proprias fecit particulas haud minimas, imò adeò magnas, ut non nemo Regum Hiſpaniæ haud immeritò gloriatus fuerit, ſuis Regnis nunquam occidere ſolem, etſi Hiſpania Occaſum verſus ſit ſita.

Hiſpani valde abundant auro, argento, ferro, plumbo, frumento, ſale &c. Auri argentíque fodinas, quas olim Romani æſtimabant maximi, ipſi jam paſſim negligunt, iis potiſſimùm contenti divitiis, quæ ex tribus orbis partibus advehuntur ferè quotannis in tanta copia, ut ab anno 1518. quo Chriſtophorus Columbus invenit Americam, ex Regiis rationum libris numerati fuerint aureorum milliones facilè mille quinquenti triginta ſex uſque ad annum 1718. utì habet *la Croix. Geograph. Reg.* Atque tantam auri ſummam ſola America miſiſſe fertur non annumeratis alijs rebus, quas Hiſpanis miſit America prætioſiſſimas. Communes eóſque annuos Hiſpaniæ proventus 100. milliones eſſe, aut ſuperare affirmat *D. Bockius.*

In rerum ferè omnium abundantia patitur Hiſpania ab aliquot Seculis hominum penuriam ob cauſas varias, inter quas numerant

ſeque

ſequentes, primò, quòd anno 1492. octingenta partim Judæorum, partim Maurorum millia totâ Hiſpaniâ fuerint exacta; & denuo an. 1610. Supra nongenta hominum millia, non annumeratis iis, qui annis intermediis ſuis ſedibus fuerunt pulſi. Secundò, quòd Hiſpanorum plurimi in diverſas mundi plagas mercimoniorum cauſâ dimittantur, & multîs vitæ periculîs abſorbeantur. Tertiò quòd bellîs maximè externîs per duo ſecula geſtîs Hiſpanorum plurimi fuerint abſumpti &c.

In Hiſpania primùm bene ſtabiliri cœpit circa annum 588. Religio Catholica tempore Regis Hermenegildi, quem genitor Leovigildus tyrannus interfecit, ſanguine filii regio rigans agrum Dominicæ vineæ; quam hodie cuſtodes principes ſeu Archiepiſcopi cuſtodiunt 8. Epiſcopi 45. vel ùt ſcribunt alij 65. Sedes Archiepiſcoporum ſunt

1. Toletum. 2. Burgi. 3. Compoſtella. 4. Hiſpalis. 5. Granata. 6. Valentia. 7. Cæſar Auguſta. 8. Tarracona. Paræciarum numerus æquat 25000. haud venientibus in numerum Abbatiis & Monaſteriis, quæ ſimul ſumpta 12000. ſuperare longiſſimè dicuntur.

Inter memorabilia Hiſpaniæ illud non immeritò cenſetur, quòd Hiſpani uſque ad annum Chriſti 1350. peculiarem quampiam œram ſeu epocham obſervârint, qua ab aliquo tempore Auguſti Cæſaris ductô initiô œram Chriſtianam annis 38. anticipârunt; unde Hiſpani in Conciliorum & rerum aliarum, quæ momenti ſunt maximi, Chronologiæ Hiſpanicæ non ſat peritis viſi ſunt diſcedere, imò apertè contradicere œræ Chriſtianæ. *Vid. Petav. lib. 10. cap. 68.*

Hiſpanorum pars maxima ſupra vulgus ſapere, & inter nobiles digitô monſtrari deſiderat; quare ipſis etiam opificibus & agreſtibus cura eſt longè minor rerum ſuarum, quàm ſit Eg: Germanis aut Gallis &c, hac de cauſa Gallorum plurimi Seculis etiam prioribus in Hiſpaniam tranſiêrunt ex opificiis & agricultura quæſtum facturi; quem ſanè copioſum multa eorundem millia crebrò conſecuta ſunt teſte *Heroldo*, qui Madriti aliquando 40000. Gallorum numerata fuiſſe perhibet manuum labore occupata. Iidem Gallorum

plerique, ut Hiſpanorum adverſùs ſe odia declinarent, Lotharingos aut Burgundos ſemet finxerunt.

Tametſi verò Hiſpanorum manus à labore mechanico multùm abhorreant, in campis tamen Martiis nulli facilè genti, aut nationi cedunt, quorumvis laborum patientiſſimi, cujus virtutis ſuæ edidêre Seculo XVI. egregia ſpecimina etiam in Germania, ubi Duce & Rege ſuo Catholico Carolo V. adversùs Proteſtantium copias pugnârunt ſtrenuiſſimè, non tam numero, quàm virtute præſtantes; numerus namque Hiſpanorum militum tantus nunquam fuit, nec erit facilè, quantus fuit Gallorum, aut Germanorum; nihilominus *Heroldus* nimiùm exiguo includit numero Hiſpanorum vires & viros, dum ait: *Hiſpaniæ Regnum noſtris temporibus vix poteſt cogere exercitum ſupra 10. millia peditum & 6. millia equitum, & claſſem majorem 24. aut 30. navium bellicarum.* Certè Philippus II. Hiſpanorum Rex contra Eliſabetham Angliæ Reginam an. 1588. adornavit claſſem, dictam *invincibilem*, in qua erant viri ſanguinis proſapiâ illuſtres 130. cum Servis probè inſtructis 456. qui omnes ſuismet ſumptibus militabant. Numerabantur præterea ordinum Equites, Magnates ac Duces 369. Sub ſignis 127. certabant chohortes 30. præter nautas cenſebantur 20000. militum, qui 130. navibus vehebantur victi potiùs à ventis, quàm ab Anglis. Hæc *Hübnerus* ex alijs. Aliter tamen refert rem *Strada* P. 2. ad annum Chriſti 1588. pag 547. cujus verba ſunt ſequentia: *Harum porro, atque aliarum navium militúmque in eis numerum ſcio variè à Scriptoribus evulgatum. Ego ſatìs habuero, indicem hic referre miſſum ex ipſa claſſe paulò ante pugnam ad Alexandrum. Conſtat univerſa claſſis navibus magnis centum ac triginta quinque, partim triremibus ordinariis, aut extra ordinem longioribus: partim rotundis ſolitæ magnitudinis, aut Gaulis præter ſolitum ingentibus, & ex iis, quatuor longè vaſtiſſimis. Reliquæ minores ferme quadraginta, pleræque onerariæ ſunt vectoriæque, & majorum additamenta. In his impoſitæ legiones Hiſpanorum quinque, Tribunus Didoca Pimentello, Auguſtino Mexia, Alphonſo Luzono, Nicolao de Inſula, & Franciſco Toletano, cum militibus octodecim millibus & octingentis quinquaginta ſeptem. Ad hæc nautæ navaléſque ſocij*

ſocij ſeptem millia & quadringenti quadraginta novem. Præterea Dynaſtæ Procerésque Hiſpani ducenti atque viginti. Milites voluntarij trecenti quinquaginta quatuor, cum horum famulis ſervitiiſque ſexcentis viginti quatuor. Denique ex Religioſis familiis Sacerdotes, quique aut ad ægros curandos, aut ad militum licentiam manus injectione coercendam, aut ad alia claſſis miniſteria adhiberi ſolent, ſexcenti ſexaginta novem. Atque adeò in claſſe navigant homines viginti octo millia, ac ducenti nonaginta tres. De bellicis tormentis machinisque & commeatu nulla hìc mentio. Sed horum apparatus quantus fuerit, ex magnitudine claſſis conjicere cuique promptum eſt. Nec defuêre Scriptores, qui ex libello, quem Mantuæ Carpetanorum editum vidiſſe ſe dicunt, tormenta, pilas, bellici pulveris dolia, plumbi pondo, ac (prætera, quæ miles quiſque geſtabat arma) ſclopos majores minorésque, haſtas, bipennes aliáque id genus tela, quæ armandis in Anglia inſularibus ſufficerent, abundè numeraverint. Quin & alimentorum ad ſenum menſium annonam, appoſita ſingulorum copia menſuráque, nimis quàm minutè percenſuerint. Illud conſtat, raró unquam Hiſpanos expeditionem frequentiore nobilitate ſpéque victoriæ alacriore ſuſcepiſſe. Hactenus Strada.

In Hiſpania devictis Carthaginenſibus ante & poſt Chriſti incunabula ſedem fixerunt ſtabilem Romani ubivis terrarum potentiſſimi, quorum Jmperator Conſtantinus M. univerſam Hiſpaniam in quinque diſtinxit provincias, ſcilicet in

I. Tarraconenſem. II. Carthaginenſem. III. Bæticam. IV. Luſitaniam & V. Gallæciam totidem conſtitutis præfectis. *Vid. Joan. Gerund. tom. 1. Hiſpan. Illuſtri.* Romanis ſuccedebant Alani, Wandali & Suevi, quorum ultimorum Reges Romana ſacra denique cœperunt proſequi. Suevos devicerunt Gothi à Maurorum ingentibus copiis ab anno 713. uſque ad annum 1492. atque adeò per annos 779. exagitati, nunquam tamen penitus ex Hiſpania exacti. Gothorum itaque Reges ab anno 412. ad annum 1516. quo Ferdinandus Cathol. ex Gothorum Sanguine Rex ultimus diem obiît ſuum, floruerunt. Regibus ex ſtemmate Gothorum in Ferdinando Catholico extinctis, Sceptra Hiſpaniæ ornare cœperunt Reges ex Auſtriadum genere nati, quatuor Philippi; & tres Caroli, Regum in Hi-

ſpania pene omnium feliciſſimi; Regna enim prioribus Seculis inter diverſos omnino Reges diviſa acceperunt ipſi & conſervârunt absque partitione, Reges ſimul Caſtellæ, Legionis, Navarræ, Aragoniæ, Neapolis, Siciliæ &c &c. quæ Ferdinandus per annos 42. vi & virtute, arte & marte conjunxit, Regnum nimirum Arragoniæ & Legionis jure hæreditatis; Regnum Caſtellæ jure dotis, quam Sponſo Regio attulit Jſabella Henrici IV. Caſtellæ Regis filia; Regnum Granatæ, Navarræ, Neapolis & cum multis Provinciis & inſulis jure belli impetravit; partem Amerciæ magnam operâ & induſtriâ potiſſimùm Chriſtophori Columbi & Americi Veſputij invenit, quorum primus an. 1492. alter 1497. Indos Occidentales cum ſocijs navigiis petiît, fructu totius Eccleſiæ, & fortè orbis univerſi maximo.

Nomina poſt Reges in Hiſpania hæc ferè ſunt maxima ordine Alphabeti: Arragona. Avila. Borgia. Cerda. Cordona. Cordua. Figueroa. Giron. Guſman. Haro. Henriquez. Manriquez. Mendoza. Paceca. Ponzz. Queva. Ribera. Sylva. Toledo. Tuniga. Velaſquez. &c. &c.

Ordines Equitum ſacri in Hiſpania ſunt varij, è quibus notiores ſunt ſequentes:

I. Ordo Equitum Alcantaræ in Regno Legionis an. 1176. erectus auſpiciîs Ferdinandi Legionis & Gallæciæ Regis. Vocatur Idem quoque Ordo S. Juliani de Pirario.

II. Ordo Equitum Calatravæ ab oppido Calatrava cognominatus in Regno Toletano à Sanctio Rege an. 1158. inchoatus.

III. Ordo Equitum Bandæ ab Alphonſo XI. Caſtellæ Rege in civitate Victoria, antequam Regni inſignia caperet, promulgatus & laudatus 1332.

IV. Ordo Equitum Columbæ & Rationis à Joanne I. Caſtellæ Rege an 1390. introductus.

V. Ordo Equitum S. Jacobi ab Alphonſo IX. Caſtellæ Rege circa annum 1160. fundatus.

VI. Ordo Equitum Lilij alius in Regno Navarræ, alius in Regno Arragoniæ, prior erectus à Garcia Navarreo Rege an. 1043. poſte-

poſterior à Ferdinando Arragonio (Infantem de Antiquera dixerunt) an. 1403.

VII. Ordo S. Mariæ de Mercede & Redemptione captivorum in Arragonia Barcinone primùm florens an. 1218. cui fundum dedit eodem anno Jacobus I. Arragoniæ Rex Expugnator dictus.

VIII. Ordo Equitum Monteſiæ in Regno Valentiæ operâ Jacobi II. Arragoniæ & Valentiæ Regis poſt everſos Templarios extructus an. 1317.

IX. Ordo Equitum S. Salvatoris in Regno Arragoniæ an. 1118. ab Alphonſo, dicto Præliatore inſtitutus. Plura de his & aliis Equitum Ordinibus lege in *Deliciis Equeſtrium Ordinum à Franciſco Mennenio* Antvverpiæ conſcriptis, ex quo authore ſelegi.

Hiſpani dum in omni propemodum ſcientiarum genere excellere non negligunt, in Theologia & Philoſophia ultimis præſertim Seculis noſtris palmam quibuſvis æmulis eripuiſſe cenſendi ſunt ipſis etiam teſtibus eorundem libris Theologicis & Philoſophicis: quibus ad ſui ſuorúmque diſcipulorum fructum atque profectum utuntur Doctores Catholici paſſim multi, ſi non plurimi: unde in Italia, Germania &c. ſi non ampliùs ab Academicis auditoribus audiantur Hiſpanica vivæ vocis oracula, ſaltem non conticeſcunt inter eoſdem Academicos Hiſpanorum libri & ſententiæ nunqnam antiquandæ, tametſi antiquiſſimæ. Cæterùm in Hiſpania univerſa Academias 20. numerat *Morery*. Paucioribus contenti authores alij ſex duntaxat enumerant ſcilicet

I. Complutenſem &
II. Toletanam. } in Regno Caſtellæ.

III. Granatenſem, in Regno Granatæ. IV. Salmanticenſem, in Regno Legionis. V. Leridenſem, in Cathalonia. VI. Valentinam, in Regno Valentiæ.

Longè plura numerantur Lycea & Gymnaſia, quorum nomine fortaſſis *Morerus* dixit Academias.

TABULA III.
CHOROGRAPHIA REGNI GALLIÆ.

§. I.

REgnum Galliæ collum & pectoris pars ſuperior in corpore Europæ, longitudine ſua à montibus Pirhenæis uſque ad Belgium numerat milliaria Germanica 140. latitudine verò ſua à mari Britannico uſque ad Italiam milliaria 160. circiter. A Septentrione junctum ſibi ſuis in finibus habet mare Britannicum; ab Ortu Germaniam, Helvetiam & Sabaudiam; à Meridie mare Mediterraneum & montes Pirhenæos; ab Occaſu Oceanum Aquitanicum.

In Gallia numerantur fluvii præ reliquis celebres 4. ſcilicet 1. Ligeris, Loire. 2. Garumna, Garone. 3. Sequana, Seine. 4. Rhodanus, Rhone.

Extenditur Gallia in XII. Provincias eleganti ordine collocatas; tres enim earundem quaſi in medio ſunt ſitæ; tres Septentrioni proximiores recedunt; tres Germaniæ conjunguntur; tres denique mari Mediterraneo & Hiſpaniæ accedunt.

In medio ſunt I. Inſula Franciæ, Isle de France. II. Præfectura Aurelianenſis, Orleans. III. Præfectura Lugdunenſis, Lion.

Verſus Septentrionem ſunt I. Britannia Minor, Bretagne. II. Normannia, la Normandie. III. Picardia, la Picardie.

Germaniæ conjunguntur I. Delphinatus, le Dauphine. II. Ducatus Burgundiæ, Bourgogne. III. Campania, Champagne.

Mari Mediterraneo & Hiſpaniæ accedunt. I. Provincia, Provence. II. Languedocia, Languedoc. III. Aquitania, Guienne & Gaſcone.

§. II.

§. II.

IN INSULA FRANCIÆ URBES SUNT

Pariſij, ſeu Lutetia, Paris. Verſalia, Verſailles. Fanum S. Germani, S. Germain. Fons Bellaqueus, Fontainebleau. Fanum S. Dionyſij, S. Denis. Fanum S. Clodoaldi, S. Clou. Confluentes, Conflens. Compendium, Compiegne. Nemus Vicenarum, Bois de Vincennes. Marlia, Marly. Pontiſara, Pontoiſe. Bellovacum, Beauvais. Sylvanectum, Senlis. Noviodunum, alij Noviomus, Noyon. Sueſſio, Soiſſons. Laudunum, Laon. Crepiacum, Crepy. Melodonum, Melun. Corbelium, Corbeil. Drocum, Dreux. Nemoſium, Nemours. Caſtellio, Caſtillon. Curtiniacum, Courtenay. Montmoranciacum, Montmorency. Lainiacum, Lagny.

§. III.

IN PRÆFECTURA AURELIANENSI URBES SUNT

Aureliæ & Aurelia, Orleans. Nivernum, Nevers. Biturix & Avaricum, Bourges. Turones & Cæſarodunū, Tours. Ambaſia, Amboiſe. Bleſæ, Blois. Sparnonum, Eſpernon. Vindocinum, Vendome. Carnutum, Chartres. Bretiniacum, Bretigny. Moritania, Mortagne. Cenomanum, le Mans. Meduana, Mayenne. Luſignanum, Luſignan. Rupes ad Yonam, Roche ſur Yon. Andegavum, Angers. Salmurium, Saumur. Flexia, la Fleche. Propinqua eſt Provincia Pictavienſis, in qua Pictavium, Poictiers. Richelium, Richelieu. Trimolia, la Tremouille. Luciona, Lucon. Engoliſma, Angouleſme. Rupes Fucaldi, la Roche Focault. Rupella, la Rochelle. Rea, Isle de Re. Uliarus Isle Doleron.

§. IV.

IN PRÆFECTURA LUGDUNENSI URBES SUNT

Lugdunum, Lion. Clermontium, alij Claromontium, Clermont.

mont. Floriopolis, S. Flour. Molinum, alij Molina, Molins. Bellojovium, Beaujeu. Villa Franca, Ville Franche. Rhodumna, Roanne. Ricomagum, Riom. Geretum, Gueret.

§. V.

IN BRITANNIA MINORI URBES SUNT

Nannetes, alij Nannetum, Nantes. Rhedones, Rhennes. Venetiæ Britannicæ, Vannes. Brivatum, alij Breſtia, Breſt. Fanum S. Maclovij, S Malo. Fanum S. Pauli Leonini, S. Paul de Leon. Dola, Dol. Blabia, alij Blavetum, Blavet. Fanum S. Brioci, S. Brieux. Trecorium, Tregieur. Coriſopitum, Quimper & Cornovaille. His urbibus propinquæ ſunt inſulæ variæ ſcil. dictæ ſeptem inſulæ, Les ſept Isles. Uxantes, Oveſand. Caloneſus, Belle Isle.

§. VI.

IN NORMANDIA URBES SUNT

Rhotomagus, Rouen. Portus Gratiæ, Haure de Grace. Cadomum, Caen. Deppa, Dieppe. Abrincæ, Auranches. Conſtantia, Coutance. Caroburgus, Cherbourg. Bajocæ, Bajeux. Ebroicæ, Evereux. Sagium, Seez. Lexovium, Liſieux. Alenconium, Alencon. Alba mala, Aumale. Bellomontium, Beaumont. Longa villa, Longueville. Pons Areûs, Pont del Arche. Vernolium, Vernevil. Harcurtium, Harcourt. Elbovium, Elboeuf. Vernonium, Vernon. Viria, Vire. His urbibus propinquæ ſunt duæ inſulæ Cæſarea, Jerſey. Garnſcja, Garnſey.

§. VII.

IN PICARDIA URBES SUNT

Ambianum, Amiens. Abbevilla, Abbeville. Bononia, aliis Bolonia, Boulogne. Ardrerium, Ardres. Caletum, Calais. Corbeja, Corbie. Monaſteriolum, alij Monſtrolium, Monſtrevil. Guiſia, Guiſe. Perona, Peronne. Fanum S. Quintini, S. Quintin.

tin. Vervinium, Vervins. Creſſiacum, Creſſy. Contiacum, Contus.

§. VIII.

IN DELPHINATU URBES SUNT.

Gratianopolis, Grenoble. Vienna, Vienne. Valentia, Valence. Ebrodunum, Embrun. Vapincum, Gap. Brigantium, Briancon. Auguſta Tricaſtinorum, S. Paul des trois Chateaux. Pinarolium, Pignerol. Dea, Die. Creſtum, ſeu Criſta Arnaldi, Le Creſt. &c.

§. IX.

IN DUCATU BURGUNDIÆ URBES SUNT.

Divio aut Divionum, Diion. Auguſtodunum, Auton. Matiſco, Maſcon. Cluniacum, Cluni. Antiſiodorum, Auxerre. Caroliæ, Charoles. Breſſia, La Breſſe. Trevoltium, Trevoux. Cabilonium, Chalon. Bellicum, Belay. Matiſcona, Maſcon. Salmurium, Saumour. Ternodurum Tonnere. &c &c.

IN COMITATU BURGUNDÆ URBES SUNT

Veſontio, Beſancon. Arboſium, Arbois. Fanum S. Claudij, S. Claude. Dola, Dole. Grajum, Gray. Mons Belligardus, Montbelliard. Veſulum, Veſoul. Salinæ, Salins. Pontarlum Pontarlier. &c &c.

§. X.

IN CAMPANIA URBES SUNT

Remi, Reims. Trecæ & Tricaſſæ, Troyes. Catalaunum, Chalons. Sedanum, Sedan. Rupes regia, Rocroy. Carolopolis, Charleſville. Retelium, Retel. Maceriæ, Meziers. Sennones, Sens. Lingones, Langres. Meldæ, Meaux. Fanum S. Deſiderij, S. Dizier. Joanvilla, Joinville. &c.

§. XI.

IN PROVINCIA URBES SUNT

Aquæ Sextiæ, Aix. Arelata, Arles. Maſſilia, Marſeille. Telomartius & Tulonum, Toulon. Avenio, Avignon. Foro-Julium, Frejuls. Antipolis, Antibe. Apta Julia, Apt. Regium alij Rieſium, Riez. Dinia, Digne. Glandata, Glandeve. Vincium, Vence. Sanitia, Senez. Graſſa, Grace. Arauſio, Orange. Carpentoractum, Carpentras. Vaſio, Vaiſon. Cabellio, Cavaillon. Forum Neronis, Fulcaquir. Seguſtero, Siſteron. Stoechades inſulæ, Isles de Hieres.

§. XII.

IN OCCITANIA SEU LANGUEDOCIA URBES SUNT

Toloſa, Toulouſſe. Comitatus Foxienſis, Foix. Albiga, Alby. Carcaſſo, Carcaſſone. Rivi, Rieux. Caſtrum, Caſtres. Apamiæ, Pamiers, Vaurium, La Vaur. Fanum S. Papuli, S. Papoul. Narbo, Narbonne. Leucata, Leucate. Mons Peſſulanus, Montpellier. Memauſus, Niſmes. Belloquadra, Beaucaire. Pontiopolis, S. Pons. Miropincum, Miropoix. Agatha, Agde. Luteva & Utica } Epiſcopatus { Lodeve. Uſez. Mimatum, Mande. Vivarium, Viviers. Velaunia, Velay. Anicium, Le Puy. Perpinianum, Perpignan. Mons Ludovici, Montlouis. Villa Franca, Confluentium, Villa Franca de Conflent. Caucoliberis, Collioure. Portus Veneris, Port Vendres. Promontorium Crucis, Capo de Creux. Bitterræ, Beziers. Mons Albanus, Montaubon. Piſcenæ, Pezenas. Pons S. Spiritus, Pont. de S. Eſprit &c.

§. XIII.

IN AQUITANIA URBES SUNT

Burdegala, Bourdeaux. Santones, Saintes. Rupes fortis, Rochefort. Petricorium, Perigueux. Sarlatum, Sarlat. Le-

movicum, Limoges. Tutela, Tulle. Divona Cadurcorum, Cahors. Ruteni Rodes. Vabræ, Vabres. Aginnum, Agen. Has urbes continent Guienna pars Aquitaniæ.

In parte altera nempe Vaſconia urbes ſunt Bajonna, Bayonne. Luiſium, ſeu Fanum S. Joannis, S. Jean de Luz. Fanum S. Palladij, S. Palais. Gramontium, Grammont. Subola, parva Regio, Soule. Palum, Pau. Elerona, Oleron. Laſcarum, Leſcar. Tarba, Tarbes. Fanum S. Bertrandi, Bertrand. Aquæ Tarbellicæ, Acqs. Aturum Ayre. Severopolis, S. Sever. Auguſta Auſciorum, Aux. Lectora, Lectoure. Lumbatia, Lombez. Atque hæ aliæque urbes quindecim augentur parvis Regionibus, quarum aliæ vocantur Agri, aliæ Comitatus, aliæ Tractus ſcil. I. Tractus Lapurdenſis, Labour. II. Navarra inferior, Baſſe Navarre. III. Subola, Soule. IV. Beamia, Bearn. V. Comitatus Bigetrenſis, Bigorre. VI. Ager Conſoranenſis, Conſerans. VII. Tractus Landarum, Les Landes. VIII. Vaſconia, Gaſcogne. IX. Ager Albretanus, Albret. X. Ager Vaſatenſis, Bazadois. XI. Ager Condomenſis, Condomois. XII. Ager Armeniacenſis, Armagnac. XIII. Comitatus Aſtaracenſis, Eſtarrac. XIV. Comitatus Gaurenſis, Gauſe. XV. Comitatus Convenenſis Cominges.

§. XIV.

TOPOGRAPHIA ALSATIÆ.

Alſatia tota pene nunc Gallorum Regi ſubdita longitudine ſua 20. Germanica circiter milliaria, latitudine pleriſque in locis 10. aut 8. complectens, ſeparatur verſus Septentrionem à Palatinatu; verſus Ortum à Rheno & Marchionatu Badenſi atque Briſgoja; verſus Meridiem à Suntgovia, verſus Occidentem monte Vogeſo, ſeu Lotharingiæ Alpibus.

Dividitur Alſatia in Superiorem & Inferiorem.

IN SUPERIORI ALSATIA URBES SUNT

Colmaria, Colmar. Enſishemium, Enßisheim. Turckenhemium, alij Turichemum, Türckheim. Cæſaromontium, Keyſer-

Keyſerberg. Mülhuſium, Millhauſen. Monaſterium S. Gregorij, Minſter in St. Gregori Thal. Murbacum, alij Murbachium, Murbach. Pinctum, alij Thannæ &c &c. Thann.

IN ALSATIA INFERIORI URBES SUNT

Argentina vel Argentoratum, Straßburg. Tabernæ Alſaticæ, Elſaszabern. Hagenoa, Hagenau. Seleſtadium, Schletſtatt. Molshemium, Molßheim. Ebenhemia Superior, Oberheim. Roſenhemium, Rosheim. Weiſſenburgum, Weißenburg. Landavia, Landau.

§. XV.

FRancia Regnum Seculo Salutis ſecundo, magna ſui parte jam Chriſto dicatum, poſt Clodovæi Regis plenam miraculis converſionem *Chriſtianiſſimum* dici *Regnum* meruit; ampliùs deinde in fide firmatum Petræ Romanæ conſtanter adhæſit, Pontificum Romanorum ſuas inter difficultates maximas crebrò aſylum optatiſſimum ac ſecuriſſimum uſque adeò, ut non ſolùm Reges Galliæ Pontificem Jtaliâ pulſum ut hoſpitem acceptiſſimum foverint, verùm eidem Avenione ſedem perpetuam conceſſerint annis 70. à ſeptem Pontificibus inhabitatam

Impetrârunt viciſſim Francorum Reges à Præſulibus Romanis ampliſſima privilegia, inter quæ illud non minimum, quo Regi conceſſum eſt, Eccleſiæ Gallicanæ nominare Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. Eandem verò Galliæ Eccleſiam univerſam gubernant & exornant Archiepiſcopi octodecim, Epiſcopi circiter 108. Parochi 26000. Abbates 1370. Priores 12450. Melitenſium Equitum Commendaturæ, ùt vocant, 260. Conventus 14950. diverſorum Religioſorum. Abbatiſſæ 160. Ordines Equitum 12.

SERIES ARCHIEPISCOPORUM HÆC EST

I. In Inſula Franciæ Archiepiſcopus Pariſienſis, Dux ſimul & Par Franciæ, habens ſedem & ſuffragium in conſilio Regio: ei dem obediunt minores Epiſcopi, ſeu Suffraganei. - 3.

II. In Præfectura Aurelianenſi Archiepiſcopus Turonenſis cum Epiſcopis min. - - - - - 11.

In

III. In Provincia Lugdunenſi Archiepiſcopus Lugdunenſis, Comes & Galliæ Primas cum Epiſcopis min. - - 4.
IV. In Normandia Archiepiſcopus Rothomagenſis, Primas Normanniæ, Comes Deppenſis & Luvierenſis cum Epiſ. min. 6.
V. In Campania Archiepiſcopus Rhemenſis Dux & Par Franciæ; Legatus Natus Sedis Apoſtolicæ & Primas Gallobellgij, cui jus competit inungendi Reges Galliæ. Epiſcopi minores *P. Scherer* *ſ.* numerat. - - - - - 6.
VI. Archiepiſcopus Senonenſis Primas Galliæ cum Epiſ. min. 3.
VII. In Burgundia Archiepiſcopus Veſuntinus cum Epiſ. min. 3.
VIII. In Delphinatu Archiepiſcopus Viennenſis Primas & Comes Viennenſis cum Epiſ. min. - - - - 5.
IX. Archiepiſcopus Ebredunenſis cum min. Epiſ. - 6.
X. In Provincia Archiepiſcopus Arelatenſis Primas & Princeps Salonenſis & Montedraconenſis cum Epiſ. min. 4.
XI. Archiepiſcopus Aquenſis cum Epiſ. min. - - 5.
XII. Archiepiſcopus Avenionenſis cum Epiſ. min. - - 3.
XIII. In Occitania Archiepiſcopus Narbonenſis Primas & Præſes Conſilij natus Languedociæ, ſeu Occitaniæ cum Epiſ. min. 10.
XIV. Archiepiſcopus Toloſanus cum Epiſ. min. - - 7.
XV. Archiepiſcopus Albenſis cum Epiſ. min. - 5.
XVI. In Aquitania Archiepiſcopus Burdegalenſis cum Epiſ. min. - - - - - - 9.
XVII. Archiepiſcopus Auxitanus cum Epiſ. min. - 10.
XVIII. Archiepiſcopus Bituricenſis cum Epiſ. min. - 5.

Burdegalenſem & Bituricenſem vocat *Schererus* Primates, imò eorundem ultimum etiam Patriarcham Aquitaniæ: *La Croix* autem affirmat, pro Primatu ſeptem Archiepiſcopos hactenus pugnâſſe, Tulonenſem tamen victorem extitiſſe.

§. XVI.

JAm ante & poſt Chriſti natales Gallorum gens bellicoſiſſima illatam ſibi à Romanis vim vi ſtrenuè repellebat: Galli victi ſæpe & victores variis vicibus Romanis ſerviebant & imperabant; mutatis

tis nempe cum tempore Jmperij Romani rebus, quæ Seculo V. adeò defecêre etiam in Gallia, ut hæc in quatuor partes diviſa quadruplex tulerit jugum, pars nimirum Romanis, pars altera Francis, pars tertia Burgundis, pars quarta Gothis ſubdita ſerviêrit.

Pharamundus Francorum Rex primus poſt Romanorum potentiam diminutam in nepote Merovæo inter quinque Regum periodos inchoavit primam, quam ſecutæ ſunt quatuor poſteriores; atque adeò Francorum Reges quinque periodîs, ſeu ùt ajunt Familiîs diſtinquuntur, quarum

Prima eſt	Merovingica	à Merovæo Rege ſic dicta.
Secunda eſt	Carolina	à Carolo M.
Tertia	Capetinga	ab Hugone Capeto,
Quarta	Valeſia	à Philippo Comite Valeſio,
Quinta	Borbonica	ab Henrico IV. qui ex ſtemmate

Borbonico eſt natus, ita apellata.

Regnum Francorum Seculo Chriſti VI. in quatuor diverſa Regna bis diviſum, bis denuo in unum Regnum eodem Seculo coaluit, nimirum ſub Clotario I. Clodovæi Regis filio & Clotario II. ejusdem Clodovæi pronepote. Sequentibus deinde Seculis nunc augmentum ſumpſit, nunc diminutionem ſuſtinuit, donec denique partim hæreditate, partim connubiis, partim etiam reportatîs victoriîs eum in ſtatum excrevit, ut quid ultra prudenter poſſit deſiderare, vix ampliùs ſuperſit:

I. Burgundiæ namque Regnum nuptiîs D. Clotildis cum Clodovæo Rege celebratîs jam unitum Franciæ, quamvis fuerit dein haud ſemel duntaxat ab eodem diviſum.

II. Aquitaniæ Ducatus imperante Carolo Calvo à Francia ſeparatus ſuis Ducibus paruit, quorum ultimus Guilielmus circa annum 1136. mortuus reliquit filiam Eleonoram Ludovico VII. deſponſatam, ſed & ab eodem repudiatam: eandem duxit Henricus Anglorum Rex dotis, quàm ſponſæ cupidus magìs; mutatâ tamen fortunæ & belli aleâ Carolus V. Rex jure pactornm, vel jure belli Normanniam ſimul & Aquitaniam recepit. Harum ultimam Ludovicus XI. in duas partes diviſit, fratríque Carolo partem conceſſit eo pacto,

ut ſi hæres deeſſet temporis ſucceſſu, pars parti uniretur denuo, & Domino priſtino redderetur, quod evenit.

III. Minor Britannia ſub Carolo Simplice circa annum 900. cœpit eſſe Ducatus, qualis permanſit uſque ad annum 1480. *Brietius & Pock.* ponunt annum 1491. quo Carolus VIII. Francorum Rex Maximiliano I. Auſtriæ Archiduci præripuit ſponſam Annam totius Minoris Britanniæ Dominam, remiſsâ in Germaniam Margarethâ, ejusdem Maximiliani filiâ, Caroli VIII. ſponſa, quæ Pariſiîs novem annîs ſervata eſt. Ab eo igitur tempore Minor Britannia Galliæ Regibus ſacramentum dixit.

IV. Delpinatus ſub Ducibus fuit uſque ad annum circiter 1343. quo tempore Humbertus Delphinus Dux ultimus amiſſo in pugna filio Delphinatum Galliæ Regi donavit ea lege, ut primogenitus Regis Francorum deinceps diceretur Delphinus.

V. Ducatus Andegavenſis à Philippo Pulchro Francorum Rege Carolo Valeſio fratri conceſſus inter bona & jura Regia non fuit numeratus uſque ad annum 1280. quo Renatus Neapolis Rex fatis conceſſit relinquens regni ſui hæredem Carolum Ducem du Maine Cenomanenſem, qui altero mox anno defunctus res ſuas omnes Galliæ Regibus ceſſit; unde nata ſunt in Jtalia inter Gallos & Hiſpanos bella cruentiſſima.

VI. Comitatus Alenconius in Ducatu Aurelianenſi ſitus uſque ad ætatem D. Ludovici ſuis Ducibus paruit. Eundem Comitatum parentis beneficiô accepit filius quartus S. Ludovici, dictus Dux Alenconius, quo deficiente idem Comitatus ditionibus regiis acceſſit. Pari ratione advenerunt Regibus Galliæ Comitatus alij, Eg. Alverniæ, Engoliſmenſis &c.

Quidquid in Regno Navarræ ultra montes Pyrenæos Franciam verſus ſitum erat, id totum Henricus IV. ex ſtemmate Borbonico Rex I. Regno Galliæ adjecit, dictus ſimul Rex Franciæ & Navarræ.

VII. Acceſſère his noſtris ultimis Seculis Regiones ac urbes permultæ, nimirum in Belgio magna pars Ducatûs Luxenburgici, Flandriæ, Hanoniæ & tota Arteſia. *Vid. Chorograph. Belgij.* In America tota Francia nova &c &c.

In Africa Inſulæ complures, ſcilicet Inſula Delphini, S. Laurentij &c.

§. XVII.

STatus Galliæ à multis omnino ſeculis fuit Monarchicus, qui velut ſtatus alii, cùm non conſiſtat in indiviſibili, ſed magìs & minùs capiat (ita cum Philoſophis loqui liceat) hinc etiam Reges Galliæ inſtar mutabilis lunæ nunc crevêre, nunc defecêre, Supremo Numine Regum Sole vel clariores, vel obſcuriores concedente radios. Inter univerſos Francorum Reges num. 62. tanquam inter ſydera ſydus hactenus fuiſſe ferè maximum Ludovicum XIV. jure merito cenſuerunt non ſolùm Franci, ſed etiam Germanorum & popularium aliorum plurimi.

I. Enim Ariſtocratiam, quæ in Parlamentis eminebat, & Reges Francorum crebrò turbabat multùm, dimminuit plurimùm.

II. Vivendo & regnando Reges Galliæ ſuperavit numerans annos regni 72. ætatis 77. ſolus regnavit poſt mortem Card. Mazarini 53.

III. Proventus Regis annuos ita multiplicavit, ut iidem ducentos florenorum Germanicorum milliones ſi non multùm ſuperaverint, minimùm æquaverint.

IV. Exercitus conſcripſit & conſervavit tanto numero ac robore, ut par multis fuerit ſimul hoſtibus nunc ſuperandis, nunc fatigandis, ſæpiùs fortè victor, quàm victus.

V. Munimentis Galliam circumcinxit ac confirmavit, ut jure quis dubitet, an firmiora an venuſtiora ſint Galliæ munimenta.

VI. Codicem Legum Gallicarum emendare ſeriò ſtuduit, memor monitorum, quæ duo Cardinales Regi ſuo reliquerant.

VII. Quamvis cum Innocentio XI. de jure Regaliæ Eccleſiaſtiſticæ ùt vocant, diu multúmque certârit, à Sacris tamen Romanis nec latum unquem diſceſſit, hæreſum impugnator & expugnator, quoad licuit, conſtantiſſimus. Humanum ſiquid paſſus fuerit more Regum plurimorum in juventute præſertim, in ſenectute emendare non vanè laboravit, exclamans creberrimè cum Pſalte Regio: *delicta juventutis meæ & ignorantias meas Domine ne memineris.*

VIII.

VIII. Galliæ ſtatum promoverunt maximè Ludovici XIII. & Lud. XIV. Adjutores potentiſſimi duo S. R. E. Cardinales Richelius & Mazarinus, hic natione Romanus, ille Gallus Pictavienſis, quorum uterque in totius Franciæ bonum intentiſſimus plurima egit tulítque invidorum & æmulorum odiis expoſitus maximè. Eorundem prior agoni propinquus Regi tres claves tradidiſſe fertur, iisdem tres in Franciæ finibus urbes deſignans, quarum primam Perpinianum clavem Hiſpaniæ; alteram Pinarolium clavem Jtaliæ; tertiam Briſacum clavem Germaniæ nominabat.

IX. Cardinalium horum alteruter, aut potiùs uterque Galliæ Regibus ſuaſiſſe dicitur ſequentes regnandi artes 1. Methodum imperandi maximè Monarchicam. 2. Vigorem bonarum legum. 3. Juſtitiam exactam in tribunalibus. 4. Authoritatem Regis à Parlamentis haud ligandam. Æmulationem adversùs Reges confines, maximè verò adversùs Jmperium Romanum. 6. Apparatum ingentem rerum bellicarum terrâ Maríque. 7. Habilitatem Miniſtrorum ad omnem occaſionem & Regis commodum attentiſſimorum. 8. Artium liberalium, ſcientiarum & linguæ Gallicæ ubivis terrarum æſtimationem. 9. Majorem numerum urbium, munimentorum & propugnaculorum, præcipuè in finibus Galliæ. 10. Mercimonia cum exteris Regnis ac Provinciis inſtituenda ac conſervanda. 11. Frequentem pecuniarum immutationem. 12. Multitudinem populorum etiam exterorum in regnis &c.

X. Conſiliorum Diverſorum genera apud Franciæ Regem ſunt ſeptem 1. Conſilium Magnum. 2. Conſilium Superius. 3. Conſilium Secretum. 4. Conſilium de rebus Conſcientiæ. 5. Conſilium de rebus Provincialibus. 6. Conſilium bellicum. 7. Conſilium circa reditus Galliæ.

XI. Parlamenta per univerſam Galliam ſunt 1. Pariſienſe inſtitutum à Pipino, confirmatum verò à Philippo Pulchro an. 1302. in inſula Franciæ. 2. Toloſanum ab eodem Rege eodem tempore in Occitania. 3. Gratianopolitanum inſtitutum à Carolo VII. an. 1453. in Delphinatu. 4. Burdegalenſe inſtitutum à Ludovico XI. an. 1462. in Aquitania. 5. Divionenſe inſtitutum à Ludovi-

co XI. an. 1476. in Burgundia. 6. Rhotomagenſe inſtitutum à Philippo Pulchro 1302. in Normannia. 7. Ad Aquas Sextias inſtitutum à Ludovico XII. 1501. in Provincia. 8. Redonenſe ſeu Britannicum inſtitutum ab Henrico II. an. 1553. in Minori Britannia. 9. Palumenſe in Bearnia inſtitutum ab eodem Henrico II. 10. Metenſe ſtabilitum à Ludovico XIII. an. 1633. in Lotharingia. 11. Veſontinum fuit ſtabilitum à Ludovico XIV. an. 1674. in Comitatu Burgundiæ. *Vid. P. Schererum*; nam aliter habet *La Croix*.

Tribunalia inſuper regia centum & octo per univerſam Galliam Sententias dicunt.

XII. Univerſitates in univerſa Gallia & Lotharingia numerantur 18. 1. Andegavenſis. 2. Aquenſis. 3. Arauſicana. 4. Avenionenſis. 5. Aurelianenſis. 6. Bituricenſis. 7. Burdegalenſis. 8. Cadomenſis. 9. Cadurcenſis. 10. Dolana. 11. Montiſpeſſulana. 12. Muſſipontana. 13. Nannetenſis. 14. Pariſienſis. 15. Pictavienſis. 16. Rhemenſis. 17. Toloſana. 18. Valentina. *La Croix* addit Perpinianam & Auriacenſem. Cæterùm Gallorum mores in hunc fermè modum ab authoribus invenio deſcriptos: Galli ùt plurimùm ſunt liberi, hilares, excitati, affabiles, Muſicæ & Cantus amantes; erganationes etiam exteras ad ſpeciem minimùm ſynceri & candidi; linguæ Francicæ æſtimatores maximi; mobiles & mutabiles; ſcientiis & artibus diſcendis atq; docendis apprimè dediti; lucro ſuo perintenti; mutandarum crebrò veſtium, amantes, & amori magnam partem plus æquo indulgentes; mercimoniorum tractandorum ſtudioſi, Regi ſuo obedientiſſimi & addictiſſimi; ad prælia non tardi; in præliis ſecundis audaces, fortes, veloces & conſtantes; poſt reportatam victoriam, inſolentes, glorioſi, avari &c; poſt amiſſam victoriam taciturni, timidi, fugitivi, exteris dominis ad tempus ſervientes & obſequioſi. Illud hoc loco memorandum & mirandum, quòd fermè omnes in Europa nationes Gallorum mores rideant & improbent, & tamen imitari propemodum omnes delectet, pluríſque æſtimetnr, quicquid vel vendat vel donet Gallia. Scriptores vide *Chriſtianum Funccium, & Fridericum Gladov, Joannem Hübnerum* alioſq; qui libero calamo perſtrinxerunt Gallorum

rum

rum mores: at Scriptores partim Latini partim Germani in deſcribendis ſparſim Gallorum moribus moderationem adhibent majorem, quales ſunt *Brietius*, *Antonius Foreſti*, *Schererus*, cujus verba patebunt ibi, ubi de moribus populorum brevem ſynopſin ſcripſit, & ſcribendam reliquit.

TABULA I.

CHOROGRAPHIA TOTIUS JTALIÆ.

§. I.

AB Europæ collo, hoc eſt à Galliæ Regno ad dextrum Europæ brachium, nempe Jtaliam tranſitum paramus. Suſpicit igitur nobilis hæc Europæ pars à Septentrione & Occidente Germaniæ & Helvetiæ, atque Delphinatûs Alpes cum Provincia Galliæ; ab Oriente alluitur mari Adriatico; à Meridie mari Mediterraneo. Longitudine ſua ab Helvetorum limitibus uſque ad fines Neapolis numerat circiter ducenta Germanorum milliaria: latitudine verò ſua pro diverſitate regionum diverſum milliarium habet numerum: Superior ſcilicet Jtalia numerat circiter 130. inferior verò nunc 16. nunc 20. nunc 30. nunc 40. &c.

Fluvij in Jtalia celebriores ſunt 1. Padus 2. Atheſis in Superiori 3. Arnus 4. Tiberis in Med. Jtalia.

Ut memoriæ conſulatur probè, Jtaliam commodè diviſione prima dividemus in Continentem & Inſulanam; de Inſulana ultimo, de Continenti primo diſſeremus loco:

§. II.

Continens Jtalia *Ocreæ* haud diſſimilem induit formam, quam tres in partes diſpertimus, nimirum in Jtaliam Superiorem, Mediam & Inferiorem. Pars Superior habet Ducatus VII. Reſpublicas III.

Ducatus ſunt I. Sabaudiæ II. Pedemontij. III. Montisferrati. IV. Mediolanenſis. V. Parmenſis. VI. Mutinenſis. VII. Mantuanus.

Reſpublicæ ſunt I. Venetorum II. Genuenſium. III. Lucenſium.

DE DUCATU SABAUDIÆ.

In Ducatu Sabaudiæ ſunt ſex minores Provinciæ ſcilicet I. Sabaudia ipſa. II. Gevenenſis provincia. III. Cabellica. IV. Tarentaſia. V. Mauriana. VI. Foſſiniaca.

His in provinciis urbes ſunt. Camberium, Chambery. Mons Melianus, Montmelian. Annetium, Annecy. Tunonium, Thonon. Monaſterium, aliis Reomus, Montieurs. Fanum S. Joan. in Mauriana, S. Jean de Maurienne. Oppidum S. Andreæ, S. Andre. Confluentia, Conflans, &c &c.

§. III.
IN DUCAU PEDEMONTANO URBES SUNT

Auguſta Taurinorum, Turin. Carinianum, Carignano. Savilianum, Savigliano. Cuneum, Coni. Mons Regalis, alijs Mons vici, Mondovi. Foſſanum, Foſſano. Mons Calerius, Moncagliere. Chierium, Chiere. Pinarolium, Pignerol. Auguſta Prætoria, Aoſta. Vercellæ, Vercelli. Eperoda aliis, Eporedia, Jurea. Clavaſium, Chivaſco. Seguſium, Suſe. Salutiæ, Saluzzo. Carmaniola, Carmagnole. Nicea, Nizza. Villa Franca Idem. Boleum, Boglio. Barcino, Barcellonette. Aſta, Aſti. Veruca, Verua. Claraſcum, Chieraſco. Onelia, Oneglia.

Valles Waldenſium Sectariorum ſunt Vallis Lucernenſis, Lucerne. Peruſina, Perouſe. S. Martini, S. Martin. Cluſonia, Cluſon. Pragelana, Pragellas &c &c.

§. IV.
IN DUCATU MONTISFERRATI URBES SUNT

Caſale, Caſal. Aquæ Statelliæ, Aqui. Nizza, ſeu Nicea Palea, Nizza della Paglia. Alba, Alby. Tridinum, Trino.

Hos

Hos tres Ducatus hodie ſuos dicit Dux Sabaudiæ, qui non minùs, quàm ejus avi & atavi, bellorum aleæ plurimùm eſt obnoxius, utpote medius inter Cæſaris Gallorúmque Regis exercitus; unde tam hic, quàm illi, cujus partes ſequerentur aut deſererent, incertum ſæpè habuêre inter extremas conſtituti anguſtias. Bellorum ac pacis paucis abhinc annis initæ fructus reſpondit inſula Sardiniæ, cujus ſe Regem gerit hodie.

Ducatus hi tres tametſi ſua magnitudine non emineant, ſunt tamen maximè frugiferi, loco etiam mercimoniis tractandis peropportuno conſtituti; unde Ducis ſui, modò & Regis proventus augent haud modicè mercatores, quin & Sabaudi nundinatores totum prodemodum orbem pervagantes.

§. V.

IN DUCATU MEDIOLANENSI URBES SUNT

Mediolanum, Milano. Alexandria Statelliorum, Aleſandria della Pallia. Ticinum ſeu Papia, Pavia. Dertona, Tortona. Valencia, Valence. Bobbium, Bobbio. Comum, Como. Cremona idem. Leccum, Lecco. Laus Pompeja, Lodi. Mortaria, Mortara. Novaria, Novara. Angleria, Anghiera. Caſale Majus, Caſſal Maggiore. Finalium, Final. Ripa alta, Ripalpa. Melignanum, Marignano. Viglebanum, Vigevano &c.

Ducatus Mediolanenſis Jtaliæ Paradyſus à nonnullis dictus, rerum quarumvis abundat optatâ copiâ; unde ſeculis prioribus Hiſpani cum Gallis; & annis haud pridem præteritis Cæſar cum iisdem Gallis, acribus & diuturnis prælìis certârunt de nobili Mediolanenſium Ducatu; donec denique pace Raſtadij ſtabilita Carolo VI. Romanorum Jmperatori ſacramentum dixit, & hucuſque fidem ſervavit.

Proventus annui ex eodem Ducatu hodie ſoluti Cæſari, facilè ſuperant unum alterúmque florenorum millionem, ſi tamen fides habenda incertis variorum dictis. *Vid. Bockius P. 3. n. 828.*

§. VI.

IN DUCATU PARMENSI URBES SUNT

Parma Jtal. Idem. Placentia, Piacenza. Florentiola, Floren-

renziola. Buxetum, Buſſeto. Fanum S. Domnini, Borgo S. Domningo. Cæſaria, Cazzara. Maleſpina Idem.

Eſt Ducatus hic Feudum Pontificium vel Cæſareum, de quo litigant multi, à Paulo III. Pontifice Farneſiorum ſtemmati conceſſum, ex quo deſcendit etiam Parmenſium Dux hodiernus, cujus proventus annui ſuperant aliquot centena florenorum millia, ſi tamen ritè divinârunt illi, qui quorumvis ferè Ducum ac Regum divitias metiri haud veriti ſunt. *Vid. Glav.*

§. VII.

IN DUCATU MUTINENSI SUNT URBES

Mutina Jtal. Modena. Regium Lepidi, Reggio. Brixellum aliis Berſellum, Berſello. Corregium, Corregio. Caſtrum novum, Caſtel novo. Nonantula Idem. Canuſium, Canoſſa. Carpium, Carpi &c.

Hoc tempore Principatus Mirandolanus Duci Mutinenſium annuum tributum ſolvit, poſtquam Cæſar eidem Duci acceptâ pecuniæ ſummâ jus ſuum vendidit; unde Ateſtinus, qui modò dominatur Mutinæ, quinque Principatuum dicitur Dux, ſcil. Mutinenſis, Regienſis, Carpienſis, Corregienſis & Mirandulani, qui unà ſimul copioſiores proventus, quàm Ducatus Parmenſis pariunt.

§. VIII.

IN DUCATU MANTUANO URBES SUNT

Mantua Jtal. Idem Guardiſtaleum, Guaſtalla. Luceria, Luzara. Bozolum, Bozolo. Caſtillio Stiverorum, Caſtiglione delle ſtive. Gonzaga Idem. Novellaria, Novellara. Sabuloneta, Sabioneta &c.

Ducatus Mantuanus Romani Jmperij Feudum ſua longitudine 9. latitudine verò 15. milliaria Germanica adæquans; extinctis Paſſerinis per quatuor ad noſtram uſque ætatem Secula paruit Jtaliæ Viris Principibus nomine & ſtemmate Gonzagis, qui teſtibus *Hofmanno & Pockio* ab anno 1328. Capitanei Mantuæ; dein verò an.

1433

1433. Marchiones, & demum an. 1530. Duces à Carolo V. Cæſare creati ſunt. Omnium Ducum horum ultimus Carolus IV. anno 1708. fatis conceſſit. Idem maximè inter bella de Hiſpaniæ Sceptro ſuſcepta Gallorum partes ſecutus cauſam dedit Cæſari, quòd & ipſe, & ejusdem hæredes ſanguine proximi, omni ſpe ſucceſſionis fuerint deſtituti, Ducatu Mantuano propemodum univerſo pace Raſtadiana Romanorum Jmperatori aſſerto. Ducatus Mantuæ haud modicos reditus ſolvere conſuevit ſuis quondam Ducibus, & modò ſolvere promittit Cæſari: id enim vel ex eo etiam colligere licet, quòd an. 1630. exercitus Cæſareus expugnatâ Mantuâ in ærario Ducali ſat multos florenorum milliones invenerit victori militi ſolatium.

His ſuperioris Jtaliæ Ducatibus accenſe I. Principatum Novellariæ. II. Princ. Sulphurini. III Princ. Maſſerani. IV. Princ. Monæci. V. Ducatum Maſſæ.

Primus horum eſt in Ducatu Mutinenſi. 2. In Ducatu Mantuano. 3. Inter Mediolanum & Pedemontium. 4. in Genuenſi Republica prope Nizam. 5. Inter Genuam & Luccam.

DE TRIPLICI SUPERIORIS ITALIÆ REPUBLICA.

§. IX

DE REPUBLICA VENETORUM.

In Venetorum Republica ſunt 1. Venetus Ducatus. Item 2. Venetia Longobardica. 3. Marchia Tarviſina & 4. Forum Julium, nec non 5. Jſtria.

In Ducatu Veneto eſt urbs unica nempe Venetiæ Jtal.

IN VENETIA LONGOBARDICA SUNT URBES

Patavium, Padua. Ateſte, Eſte. Rhodigium, Rovigo. Adria Idem. Vicentia, Vicenza. Verona Idem. Leonicum, Legnano. Piſcaria, Peſchiera. Veruca aliis Clauſulæ, Lachiuſa. Brixia, Breſcia. Clarium, Chiari. Crema Idem. Bergomum, Bergamo.

IN MARCHIA TARVISINA SUNT URBES

Tarviſium, Treviſo. Feltrium, Feltri. Ceneta, Ceneda. Bellunum, Belluno.

IN FORO JULIO SUNT URBES

Utinum, Utine. Palma nova Idem. Forum Julij, Cividad de Friuli. Portus Naonis, Pordenone. Cadubrium, Cadore. Tolmetium, Tolmezzo. Aquileja Idem.

IN ISTRIA URBES SUNT

Juſtinopolis, Capo d'Jſtria. Pola Idem. Parentium, Parenzo. Civitas nova, Citta nova. Tergeſte Auſtriæ Principatus, Trieſte.

De Neupacto, Dalmatia aliiſque Provinciis quondam ad Venetos pertinentibus dicendi locus erit ſuo loco.

Venetorum Reſpublica jam ſtetit ac floruit per annos 1300. ea methodo, ut diverſis ſeculis diverſum placuerit Regimen; nunc enim Monarhia Democratiæ, nunc Democratia Ariſtocratiæ, nunc Ariſtocratia Monarchiæ prævaluit nunquam penitus omiſſâ ex triplici regnandi methodo mixturâ.

Inter nobiliores Venetorum Familias (ſi *Hübnerus* vera referat) eminuerunt ſequentes: 1. Magnates Contarini. 2. Moroſoni. 3. Badovari. 4. Tiepoli. 5. Michieli. 6. Sanudi. 7. Gradenichi. 8. Memmi. 9. Falieri. 10. Banduli. 11. Polani. 12. Barozzi. Horum numerus cùm ſit duodenarius, duodecim Apoſtolos dicere conſuevêre.

His acceſsêre 1. Giuſtiniani 2. Conari. 3. Bragadini. & 4. Bembi, quos quatuor Evangeliſtas vocârunt. Atque ex tot diverſis Familiis electi fuêre omni propemodum tempore Supremi in Republica Principes ultra 100. Plures Venetorum familias vide *in Laurentio Schradero in monumentis Jtaliæ.*

Victorias de Turcis relatas numerant Veneti permultas; ut victoriarum numerum augerent, optârunt multoties noſtra tempora, amiſſum Peloponeſum dolentia.

Trigin-

Triginta armatorum millia aluit crebrò Venetorum Reſpublica; hinc quanti ſteterit ſumptuum & redituum copia Venetis, conjecturîs facilè eſt aſſequi rerum peritis.

§. X.
DE GENUENSIUM REPUBLICA.

In Genuenſium Republica ſunt urbes Genua, Genova. Savona Idem. Naulum, Noli. Albigannum, Albenga. Vintimilium, Vintimiglia. Portus Delphini, Porto fino. Rapallum, Rapallo. Seveſta Tiguliorum, Seſtri di Lipante. Portus Veneris, Porto Venere. Spedia, Spezza. Serazana, Sarazano. Finarium, Finale. Brunetum, Brugneto.

More maximarum in Jtalia urbium etiam Genua numerat Viros in ſtatu Eccleſiaſtico conſtitutos quàmplurimos, qui à Magiſtratu potentiſſimo etiam auxiliis & conſiliis adjuti Eccleſiam conſervant & augent domi foríſque. Genuenſibus ſanè plurimùm debent inſulæ Corſicâ & Sardinia Saracenis jam pridem liberatæ. In eodem ſtatu eminet Archiepiſcopus Genuenſis, cui ſuffragantur Epiſcopi complures. Monaſteria etiam plurima eundem reverentur ac venerantur.

Genuenſium Reſpublica numerat Primores 400. inter quos eminet Supremus Dux à Primoribus electus, cujus proventus annui facilè adæquant 500000 Coronatorum, ùt vocant.

Mercimoniis conſervandis & promovendis ingentem dant operam Genuenſes; unde lucri ac commodorum causâ ſi ſint parùm conſtantes ſibi & aliis inter diverſos Belli tumultus & diſcrimina, minùs ipſis vitio vertendum eſt; nam & Reges varios varias in partes pertraxit ſæpe mutata Belli alea & fortuna ſociorum minùs vel magìs proſpera: quidni igitur nova agitare conſilia cogat Rempublicam mercimoniis intentam merx & merces, lucrum & damnum? nimium audax proin videri poteſt criſis, quam vel ſuo concepit, vel zoilorum ingenio malè conceptam deſcripſit *Hi.bnerus P. III. in Genuenſ. Hiſtor.* quæ ita habet: *Genuenſes ſunt gens ſine fide, mare ſine piſce, mons ſine arbore, mulier ſine pudore.* Unde de Genuenſibus longè

gè diverſo ſcripſit calamo *Chriſtian. Funncius P. III. à num. 170.* ubi hujus Reipublicæ plurimas calamitates refert, & mores longè magìs laudat, quàm vituperat.

§. XI.

DE LUCCENSIUM REPUBLICA.

In Luccenſium Republica ſunt urbes pauciſſimæ ſcil. Lucca Idem. Portus Mozanus, Borgo Mozzano &c.

Cæterùm Reſpublica hæc tam paucîs vocabulîs deſcripta jure dicitur & ab Jtalis, & ab aliis populis *induſtrioſa*; otium enim in eadem locum ſibi haud vendicare valet; unde procul ejus finibus arcentur mendicabula, quæ ſi veniant ut ſuo victu ac veſtitu non careant, jubentur quantocyus manus admovere arti & operi; qua ſanè induſtria id efficiunt, ut viri fœminæque, pueri ac puellæ manibus inter ſeſe certent: victoriam reportat is, qui lucrum fert maximum, quod tantum tantillæ Reipublicæ eſſe fertur, ut 18000. armatorum hoſti opponere, & haud modico tempore alere queat. Hujus Reipublicæ tam induſtriæ præmium alterum & tertium dicitur eſſe linquæ peritia excellens, & ingens caſtitatis pretium.

Princeps Reipublicæ Luccenſis lateri ſuo aſſidentes in ſua curia numerat novem Senatores, quorum conſiliis & reſponſis ut tribuat plurimum, neceſſitatem ſibi impoſitam novit.

Conſultores in conſilio majore, utì vocant, ſunt viri nobiles 360. *Pockius* numerat duntaxat 160. *Köhler* autem 240. In conſilio minori numerantur 36.

TABULA II.
DE PARTE JTALIÆ MEDIA.

PArs Jtaliæ media commodè ſubdividitur in tres partes, nimirum in I. Magnum Hetruriæ Ducatum II. In Ditionem Romani Pontificis. III. In Status Minores.

§. I.

§. I.

DE MAGNO HETRURIÆ DUCATU.

Ducatus Hetruriæ longitudine ſua juxta *Bockium* numerat milliaria 40. latitudine 16. cui multùm contrarius eſt *Köhlerus*, annumerans longitudini 31. latitudini 28. ex quo apparet, quàm diverſimodè regna ac regiones dimetiantur Geometræ aut Geographi.

In MAGNO HETRURIÆ DUCATU SUNT URBES

Florentia, Florenza. Aretium, Arezo. Piſæ, Piſa. Portus Liburnus, Livorno. Volaterra, Volterra. Sena, Siena. Cluſium, Chiuſi. Pientia, Pienza. Mons Alcinus, Montalcino. Petilianum, Petigliano. Cortona Idem. Feſulæ, Fieſole. Mons Politianus, Monte Pulciano. Groſſetum, Groſſeto.
Orbitellum } pertinent ad Statum Præſidij. { Orbetello.
Plumbinum } { Piombino.
Piſtoria Idem. Pratum, Prato.

Magni Hetruriæ Ducatûs faſces ad noſtram ætatem tenuit Coſmus III. 80. circiter annorum ſenex omni honore ac veneratione digniſſimus. Nunc filius ejusdem unicus ſuperſtes Joannes Gaſto annos ætatis 53. numerans, cùm infirmæ ſit valetudinis, nec non prole careat, ſpem metúmque creat non uni duntaxat Virorum in Europa Principum, qui nobiliſſimum hunc in Ducatum jus ſibi vel jure formant, vel cum injuriâ fingunt.

Reipublicæ methodum ſeculis prioribus cuſtodiebant Hetruriæ Magnates, inter quos cùm authoritate & divitiîs emineret maximè Mediceorum Familia, multorum æmulorum crebrò incurrit odium & invidiam tantam, ut nunc Mediceorum nonnulli proditoriè occiſi, nunc alij in exilium ejecti, alij alio perſecutionis modo fuerint exagitati. Familiam hanc tot malîs preſſam & pene ſuppreſſam in altum erexêre duo Romanorum Pontifices Leo X & Clemens VII. uterque ſtemate Mediceus. Majus adhuc incrementum addidit Carolus V. Jmperator, qui an. 1531. ſeditioſorum

Hetruſcorum contritis viribus Alexandrum Mediceum *Ducem Hetruriæ primum* creavit, datâ eidem in ſponſam Margarethâ filiâ. Anno demum 1569. Coſmus I annitente plurimùm Pontifice D. Pio V. Hetruriæ *Dux Magnus* eſt dictus, quem honorem denique non negârunt Romanorum Jmperatores Maximilianus II. Rudolphus II. &c.

Hetruriæ Ducatus Magnus lucratur Duci ſuo annis ferè ſingulis ex multorum opinione florenorum milliones facilè ſeptem aut plures: quæ redituum ſumma vel ex eo etiam confirmatur, quòd Coſmus I. 40. ſcutatorum, ùt appellant, milliones variis ædificiis erigendis inſumpſerit; 10. milliones in cauſas pias expenderit, & tamen in ærario ſuo ultra duodecim aureorum milliones ſuis hæredibus reliquerit. ita habet *Hübnerus*, ex quo authore, incertum eſt. Longè plus aſſerit *Pokius P. III. n. 539.* Cæterùm *Gladovius* in ſua Geographia ſequentem in modum ſcribit de Jtalis: *Jtali ſectantur voluptates & præcipuè avaritiam. Amant Matheſin, Muſicam, Rhetoricam, Politicam* &c. *Sunt zelotypi, iracundi, furioſi, vindictæ cupidi: medium tenere vix didicerunt; unde noveris vel eſſe admodum probos, vel admodum improbos.* Hæc de Jtalis Scriptor Acatholicus, cui ſi probaretur Religio Romana & natio Jtalica, quemadmodum ſua, plus ſanè laudis tribuiſſet Jtalis majori encomio digniſſimis De proventibus Diverſorum Ducum annuis ſubjungit idem author ſequentia: Dux Sabaudiæ dicitur annis ſingulis colligere 3000000. aureorum. Dux Parmenſis 300000. coronatorum. Dux Mutinenſis 350000. Scutorum. Dux Mantuanus 350000. coronatorum. Dux Florentinus 1800000 aureorum. Venetiæ duodecim librarum milliones. Genua 500000. Lucca 150000. coronatorum.

§. II.

DE STATU ECCLESIÆ ROMANÆ.

STatus Eccleſiæ Romanæ teſte *Köhlero* ſua longitudine 56. milliaria Germanica, latitudine 28. excurrens, intérque mare Adriaticum & Thyrrenum medius, ex parte Septentrionis & Occidentis tangit territorium Venetum, Mantuanum, Mutinenſe & Florentinum.

In Statu Eccleſiaſtico mari Adriatico ſex minores Provinciæ ſunt propinquæ, quatuor aliæ Provinciæ ſunt mari Tyrrheno ſeu Mediterraneo proximæ. priores ſunt

I.	Ducatus Ferrarienſis - -	Ferrara.
II.	Ducatus Urbinas - -	Urbino.
III.	Ducatus Spoletanus. - -	Spoleto.

INTER HOS DUCATUS SUNT

IV.	Teritorium Bononienſe -	Il Bologneſe.
V.	Romandiola - - -	Romagna.
VI.	Marchia Anconitana - -	Marchia d'Ancona.

POSTERIORES SUNT

VII.	Patrimonium S. Petri	
VIII.	Ager Sabinenſis - -	Sabina.
IX.	Campania Romana -	Campagna di Roma.
X.	Ducatus Caſtrenſis -	Caſtro.

I. In Ducatu Ferrarienſi urbes ſunt Ferraria, Ferrara. Comaclum, Comachio. Argenta Idem. Fuſinianum, Fuſignano &c.

II. In Ducatu Urbinati Urbinum, Urbino. Piſaurum, Peſaro. Callium, Gagli. Eugubium, Eugubio. Forum Sempronij, Foſſombrone. Fanum Fortunæ, Fano &c. Senogallia, Sinigaglia.

III. In Ducatu Spoletano Peruſia, Perugia. Spoletum, Spoleto. Aſſiſium, Aſſiſi. Ameria, Amilia. Fulginium, Fuligno. Mons Falconis, Monte Falcone. Narnia, Narni. Reate, Rieti. Interamnia, Terni. Tudertum, Todi. Tiburinum, Citta di Caſtello.

IV. In Teritorio Bononienſi Bononia, Bologna. Caſtrum Urbanum, Forturbano. Bentivolium, Bentivoglio. Caſtrum Francum, Caſtel Franco &c.

V. In Romandiola ſunt urbes Ravenna Idem. Ariminum, Rimini. Cervia, Idem. Petra Honorij, Bertinoro. Ceſena, Cæſeno. Faventia, Faenza. Forolivium, Forli. Forum Cornelij, Jmola &c. Recinetum, Recaneti.

VI. In Marchia Anconitana Ancona Idem. Aſculum Picenum, Aſcoli. Aeſium, Jeſi. Firmum, Fermo. Macerata Idem. Lauretum, Loreto. Auximum, Oſimo. Mons Altus, Montalto. Septempeda, S. Severino. Tolentinum, Tolentino. Camerinum, Camerino.

VII. In Patrimonio S. Petri Viterbium, Viterbo. Urbs Vetus, Orvieto. Aquula, Aquapendente. Centum Cellæ, Civita Vechia. Mons Flaſconis, Monte Flaſcone. Nepete, Nepi. Hortanum, Orti. Sutrium, Sutri. Balneoregium, Bagnarea &c.

VIII. In Agro Sabinenſi Manliana, vel ùt alij Malianum, Magliano. Nomentana, Lamentana.

IX. In Campania Romana Roma Idem. Tibur, Tivoli. Tuſculum, Fraſcati. Velitræ, Veletri, Oſtia Tiberina, Oſtia. Præneſte, Paleſtrina. Anagnia, Anagni. Privernum, Piperna. Segnia, Segni. Sulmo, Sermoneta. Anxur, Terracina. Albanum, Albano.

X. In Ducatu Caſtrenſi Caſtrum, Caſtro. Roncilio, Ronciglione.

Inter Ditiones Romani Pontificis numeratur etiam Beneventum in Regno Neapolitano, & Avenio in Regno Francico. Atque hæc, quanta quanta eſt, bonorum poſſeſſio, majori certè odio & invidiâ flagrant Acatholicorum plurimi in Romanum Pontificem, vel ipſam hanc etiam ob cauſam, quòd divitiîs non ſit deſtitutus, veluti deſtitutos novimus primos D. Petri Succeſſores: hinc eorundem libri Hiſtorici, quin & Geographici fellis & aceti habent plurimum, ubi mediam Jtaliæ partem offendunt, Eccleſiæ Romanæ partem optimam. Turcæ ſi pridem rapuiſſent, aut ſi captam ac raptam tenerent hodie mediam Jtaliam Gothi, Longobardi, Vandali aut quivis barbari, tunc enimvero poſitus eſſet dolori modus ac remedium. His verò adverſariis reſpondendi hoc loco non eſt locus, nec animus. Abundè reſpondit C. Bellarminus & centum Scriptores alij.

Tam amplas Provincias Romana Eccleſia primùm cœpit ſecurè poſſidere, cùm bene cœpit imperare Conſtantinus Magnus ſeculo

culo Chriſti quarto, qui an donationem inter vulgus etiam notiſſimam fecerit D. Sylveſtro Pontifici, parùm, quin nihil omnino Eccleſiæ intereſſe nôrunt illi maximè, qui Pontificis & Jmperatoris jura ritè penetrare & componere didicerunt.

Omnium prima ſedes ſtabilis ac publica Romanorum Pontificum Romæ fuit domus Plautij Laterani, Patritij Romani, quem Nero in odium Fidei occidi juſſerat ejusdem domo vendicata fiſco; Conſtantinus verò Magnus D. Melchiadi Pont. ceſſerat futuram deinceps Domum Dei & Pontificis.

Ante interregnum tribus ſeculis in occidente longum, bonorum in Jtalia poſſeſſionem Eccleſiaſticam ratam habuêre verbîs & factîs Conſtantinus M. Conſtantinus II. Jovinianus, Valentinus I. Gratianus, Theodoſius M. Theodoſius II. Valentinianus III. Honorius. Poſt interregnnm Carolus M. Ludovicus Pius, Lotharius II. S. Henricus II. Henricus V. Fridericus I. Rudolphus I. Albertus I. &c &c. Jmperatorum Catholicorum reliqui vix uſpiam in Eccleſiæ bona jus ſibi quæſiverunt armîs, ſi tamen nonnullos Cæſares Seculo X. XI. & XII. excipias, quorum plerique vitiis magìs, quàm virtutibus inſignes fuêre. *Vide Seriem Roman. Pont. & Roman. Jmperat.*

Exarchatum Raveñæ aliásque Status Eccleſiaſtici ditiones vi vendicârunt ſibi Jmperatores Orientis complures; eas tamen omnes Eccleſiæ dedit, vel potiùs reſtituit Carolus M. ad finem Sæculi VIII.

Beneventum D. Henricus Cæſar an. 1053. obtulit Pontifici D. Leoni IX. natione Alſatæ, ut Bambergenſium Eccleſiæ & Epiſcopo ampliſſima impetraret privilegia, atque ab omni propemodum onere immunem redderet.

Status Eccleſiaſtici proventus annui haudquaquam cedunt illi proventuum ſummæ, quam quotannis colligit Magnus Dux Hetruriæ. *Bockius* namque *P. I. n. 38.* affirmat, Pontificem ex ſuis Provinciis colligere quotannis 10. milliones florenorum. Tantarum itaque divitiarum copiam dum malevoli ſummè invident Romanæ Eccleſiæ, omnes boni eidem gratulantur ex animo, quicquid bonorum poſſidet, quin & augmentum identidem majus optant, ut

inde

inde multis ſuis hoſtibus ritè occurrere, & decorem domus Domini conſervare deinceps poſſit, quemadmodum his ultimis ſeculis ſæpè potuit & voluit.

Avenionem ſibi oblatam Clemens VI. Pont. à Joanna I. hujus nominis Neapolis Regina coemit an. 1348. de qua re vid. Galliæ Tabulam & Hiſtoriam.

§. III.

DE PRINCIPATIBUS IN MEDIA JTALIA MINORIBUS.

PRincipatus Minores ſunt octo, ſcilicet I. Status Præſidij in Ducatu Florent. Lo Stato delli Præſidij. II. Ducatus Plumbinus in eod. Duc. Piombino. III. Ducatus Farneſius in Ducatu Caſtri, Farneſe. IV. Ducatus Præneſtinus in Campania, Paleſtrina. V. Ducatus Braccianus in Patrim. S. Petri, Bracciano. VI. Principatus Meludanus in Romaniola, Meldola. VII. Ducatus Pallianus in Campania, Pagliano. VIII. Reſpublica S. Martini in Romaniol. S. Marino.

In Statu Præſidij (ita vocantur urbes, quondam Hiſpaniæ Regi, nunc Auſtriæ Archiduci ſubditæ, quæ ſunt ſitæ in Ducatu Florentino haud procul Senis) ſunt urb es

Orbitellum vid. Ducat. Hetruriæ, Orbitello. Portus Herculis, Porto Hercole. Portus S. Stapani, Porto S. Stephano. Telamon, Telamone. Portus longus nunc ſubjacet Philippo Regi, Porto Longone.

In Ducatu Plumbino, qui mari Liguſtico adjacet, & nunc Cæſari tributum ſolvit, ſunt Plumbinum, Piombino. Jlus inſula, aliis Jlva, Elva. Forſan mutata tempora mutârunt etiam hæc dominia.

Ducatus cæteri urbes habent, quas in Ducatibus majoribus jam nominavimus. Hinc vid. ſuperiùs.

TA-

TABULA III.

§. I.

DE PARTE JTALIÆ INFERIORE.

PArs Jtaliæ inferior eſt Regnum Neapolis, quod diviſione prima commodè dividitur in I. Terram Laboris, Terra di Lavoro. II. Aprutium, Abruzo. III. Apuliam, La Puglia. IV. Calabriam, Idem.

Harum quatuor partes ſingulæ dividuntur in tres partes minores, quæ ſimul efficiunt duodecim ditiones.

In Terra Laboris, namque ſunt I. Terra Laboris, Terra di Lavoro. II. Principatus Citerior, il Principato citra. III. Principatus Ulterior, il Principato oltra.

In Aprutio ſunt I. Aprutium Ulterius, Abruzo oltra. II. Aprutium Citerius, Abruzo citra. III. Comitatus Moliſinus, il Contado di Moliſe.

In Apulia ſunt I. Capitanata, la Capitanata. II. Barianus Ager, la terra di Bari. III. Hydruntina, la terra di Otranto.

In Calabria ſunt I. Baſilicata, la Baſilicata. II. Calabria Citerior, Calabria citra. III. Calabria Ulterior, Calabria oltra.

Jam verò in Terra Laboris urbes ſunt. I. Neapolis, Napoli. Capua Idem. Aquinum, Aquino. Fundi, Fondi. Cajeta, Gaeta. Mons Caſſinus, Monte Caſſino. Puteoli, Pozzuolo. Venafrum, Venafro. Surrentum, Sorrento. Nola, Noli. Vicus, Vica. Sora Idem. Ænaria, Jſchia inſula. Veſuvius, Monte di Somma.

II. In Principatu Citeriori urbes ſunt Salernum, Salerno. Acernum, Acerno. Amalphis, Amalfi. Campania, Campagna. Caſtrum maritimum, Caſtel à Mare. Nuceria, Nocera. Policaſtrum, Policaſtro. Urbs S. Severini, S. Severino. Vocatur Citerior hæc pars etiam Provincia Salernitana.

III. In Principatu Ulteriori urbes ſunt Beneventum, Benevento. Compſa, Conza. Agathopolis, S. Agatha de Goti. Arianum, Ariano. Avellinum, Avellino. Mons Maranus, Monte Marano. Mons Viridis, Monte Verde. Nuſcum, Nuſco. Triventum, Trivento.

IV. In Aprutio Citeriori urbes ſunt Anxanum, Lanciano. Theate, unde *Provincia Theatina*, Chieti. Ortona Idem.

V. In Aprutio Ulteriori ſunt urbes Aquila unde Provincia Aquilana, Laquila. Atria, Atri. Pinna, Civita di Penna. Interamnia, Teramo.

VI. In Comitatu Moliſino urbes ſunt Moliſa, alij Moliſium, Moliſe. Bojanum Bojano. Jſernia, Æſernia. Larina Idem.

VII. In Capitanata urbes ſunt Sipontum novum, Manfredonia. Nuceria, Luceria. Aſculum Apulum, Aſcoli. Angelopolis, Monte S. Angelo. Troja Idem. Sipontum Vetus, Siponto. Vieſta, Vieſte.

VIII. In Agro Bariano urbes ſunt Barium, Bari. Andria Idem. Barulum, Barletta. Converſanum, Converſano. Rubi, Ruvo. Butruntum, Bitonto. Melfictum, Molfetta. Monopolis, Monopoli. Polinianum, Polignano. Tranum, Trani.

IX. In Hydruntina urbes ſunt Hydruntum, Otranto. Aletium, Lecce. Brunduſium, Brundiſi. Gallipolis, Gallipoli. Tarentum, Taranto. Uria, Oria. Materia, Matera. Neritum, Nardi. Vocatur hæc pars *Provincia Aletina.*

X. In Baſilicata ſunt urbes Acheruntia, Cirenza. Lavellum, Lavello. Potentia, Potenza. Ropellum, Ropallo. Turſia, Turſi. Tricaricum, Tricarico. Vocatur hæc pars *Provincia Acherontina.*

XI. In Calabria Citeriori ſunt urbes Coſentia unde *Provincia Conſentina,* Coſenza. Roſcianum, Roſſano. Biſinianum, Biſignano. Carjatum, Cariati. Caſſanum, Caſſano. Martoranum, Martorano. Strongilum, Strongili. Geruntia, Cerentia. Fanum S. Severinæ, S. Severina.

XII. In

XII. In Calabria Ulteriori ſunt Rhegium Julium, Regio. Bellicaſtrum, Belcaſtro. Bova Idem. Giracia, Girace. Inſula, Jſola. Fanum S. Eufemiæ, S. Eufemia. Mons Leonis, Mont Leone. Neocaſtrum, Nicaſtro. Oppidum, Oppido. Miletus, Milito. Croton, Crotone. Scyllacium, Squillace. Tropæa, Tropea. Vocatur hæc pars *Provincia Cantazaræ*.

Neapolis Regnum ante & poſt Chriſtum natum ſub Romanorum poteſtate floruit, uſque dum circa annum 400. tempore Honorii Jmperatoris in ejusdem etiam viſcera penetrârunt Gothi Occidentales, quorum veſtigiis inſtiterunt an. 455. Vandali, hos verò ſecuti ſunt an. 476. Heruli, & Herulos Gothi Orientales, quibus idem Regnum uſque ad annum 554. ſervitutem ſervivit. Poſt Gothorum Orientalium Reges, Neapolis Provincias Jmperio reſtituit Juſtinianus I. Jmperator operâ maximè Beliſarij & Narſetis: in Græcorum itaque Jmperatorum dominio permanſit uſque ad ſeculum X. quo Ottoni II. Occidentis Jmperatori Theophania Nicephori II. in Oriente Jmperatoris filia deſponſata, in ſponſi ſui manus haud venit, nec etiam dotis nomine Regnum Ottoni conceſſit, unde nata ſunt bella atrociſſima.

Ad finem Seculi X. Northmanni ex Galliæ finibus per mare Aquitanicum, & inde Hiſpaniæ atque Africæ anguſtias uſque in Apuliam pervenerunt, in qua primùm Comites, deìn Duces dicti, tandem etiam ab Innocentio II. ob inſignia in Eccleſiam merita Neapolis Reges creati, ab anno 1041. uſque ad annum 1194. perſeverârunt. *Foreſtius* ait uſque ad an. 1186.

Eodem anno Conſtantia Rogerij II. Northmannorum ex genere ultimi Regis filia, Henrico VI. Jmperatori connubij vinculo alligata, Sueviæ Ducibus, atque adeò Romanorum Jmperatoribus tàm Neapolis, quàm Siciliæ Regnum unà cum filio Friderico II. peperit, cujus ex filio Conrado Imp. nepos Conradinus an. 1268. captus, an. autem 1269. Neapoli in foro publico capite plexus Regnum cæleſte petiît, Carolo Andegavenſi cedens Regnum terreſtre. *Briethius, Speculum Honorum.*

Ab hoc tempore Familia Andegavenſis uſqne ad annum 1434. Regium hoc poſſedit ſolium. *Foreſtius in Hiſtor. Neapol.* Tum verò Hiſpaniæ Reges uſque ad initium hujus Seculi XVIII. ſibi vendicârunt; donec denique Caroli II. Regis Catholici mors multis formidata, multis alijs exſpectata, theatrum belli aperuit, in quo poſt varia certamina Carolo hujus nominis VI. Jmperatori Neapolis Regnum fuit armîs vindicatum, & Raſtadij paciſcentium optatâ concordiâ ſtabilitum.

In Regno Neapolis cùm admodum partem proventuum magnam expoſcant ſibî Regis vicibus fungentes, & partem majorem exigant Archiepiſcopi haud exiguô numerô conſtituti, nec non devorent ſummam redituum maximam cauſæ belli propemodum perpetuæ; inde Viris Principibus, Neapolis ſimul Regibus, plerumque hoc Jtaliæ Regnum majori ſanguinis copiâ conſtitit, quàm pretij ſummum contulit. Profectò non deſunt authores, qui Neapolim Germanorum, Hiſpanorum & Gallorum ſepulchrum dixerunt. Vid. *Bockium P. III. n. 126.* ubi refert, ærario Regio obvenire annis ſingulis ſex milliones, ſed hos ipſos etiam expendi ferè abſque Regis emolumento. *De numero Archiepiſcoporum in univerſa Jtalia vide inferiùs* &c.

§. II.

NOMINA ANTIQUA ANTIQUORUM JTALORUM.

1. Allobroges dicti ſunt Sabaudi. 2. Longobardi & Inſubres, Mediolanenſes. 3. Anamani, Parmenſes. 4. Carni, Forojulienſes. 5. Cenomani, Veronenſis. 6 Jllyrij, Dalmatæ & vicini &c. 7. Liburni, Dalmatæ ſuperiores. 8. Ligures, Genuenſes. 9. Hetruſci, Florentini. 10. Auſones, Beneventani. 11. Latini, Romanis confines. 12. Sabini, In Agro Sabinenſi. 13. Volſci & Rutuli, Campani. 14. Vejentes, Caſtrenſes. 15 Camertes, Umbri. 16. Hernici, Neapolitani Superiores. 17. Hirpini, populi in Principatu ult. 18. Picentini, in Principatu cit. 19. Marſi, in Aprutio ult. 20. Peligni, in Aprutio cit. 21. Lucani

cani, in Baſilicata. 22. Pediculi, Brunduſij. 23. Salentini, Hydruntini. 24. Samnites, in Comitatu Moliſ. 25. Sybaritæ, in Calabria &c. *Vid. Baron. Livius &c.*

TABULA IV.

DE JTALIÆ INSULIS.

INſulæ circa Jtaliam Majores ſunt quatuor, ſcil. I. Sicilia. II. Sardinia. III. Corſica. IV. Melita.

§. I.

DE INSULA SICILIÆ.

Sicilia dividitur in quatuor partes, nimirum I. In Vallem Bemonæ, Val di Bemona. Vallem Netinam, Val di Noto. III. Vallem Mazaræ, Val di Mazara. IV. Promontorium Siciliæ; quamvis hoc quartum membrum multi Geographi non addiderint.

In Valle Bemonæ urbes ſunt Meſſana, Meſſina. Catana, Catanea. Cephalidis, Cefalu. Mylæ, Milazzo. Tauromenium, Tavormina. Pactæ, Patti. Ætna mons, Mongitello.

In Valle Nettina urbes ſunt Netum, Noto. Syracuſæ, Syracus. Auguſta, Agoſta. Terra nova Idem. Mazarinum, Mazarino. Leontinum, Lentini. Raguſa, Raguſa.

In Valle Mazaræ urbes ſunt Mazara Idem. Caſtrum ad mare, Caſtel à mare. Panormus, Palermo. Drepanum, Tropano. Marſalla, Marſal. Mons Regius, Monreale.

Promontoria ſunt in Sicilia Promont. Alava, C. Alava. Promont. Bongerbinum, Bongerbino. Prom. Cephalidin, C. Cefalu. Prom. Pelorum, C. di Faro. Prom. Gallorum C. di Gallo. Prom. Cherſoneſi, C. di Melazzo. Prom. Fachinum C. Paſſaro.

Sicilia, olim dicta Trinacria, ab Hiſtoricis & Poetis antiquiſſimis multùm celebrata, longitudine ſua 50. circiter, latitudine verò quibusdam in locis 40. Germanica Milliaria excurrens, omni

rerum optandarum, præſertim verò frumenti copiâ ipſa abundat; unde Jtaliæ *Aurifodina*, ab aliis *Cornucopiæ*, ab aliis *Granarium*, nominari conſuevit. Proventus annuos tribus aureorum millionibus pares eſſe dicit *Pockius P. III. n. 227.*.

Siciliam ante & poſt Chriſtum natum ſuam dixêre Romani, quos inſecuti ſunt Vandali, Græci, Saraceni, Northmanni, Germani, Galli, Hiſpani, & nunc Cæſar Auſtriacus Carolus VI. cui per annos proximè præteritos ingenti ſanguinis & ſimul auri copiâ Regnum hoc conſtitit. Faxint Superi, ut ſanguis Siculorum pretioſus deinceps Cæſari conſervetur, & copioſum aurum detur, quo expenſorum ſumma extinguatur.

Quamvis Siculis Germanorum natio longè minùs placuerit, quàm Hiſpanorum, iisdem tamen non tantùm diſplicuit, quantùm diſplicuêre Galli Siculis per plura ſecula: concepti namque in Gallos odij teſtimonium cruentiſſimum erant Veſperæ Siculæ, quo nomine dixêre Siculi 8000. Gallorum ſtragem, feſto Paſchatis ſub horam 2. & 3. patratam an. Chriſti 1282. ubi Siculi ita in Gallorum præſidia ſæviêrunt, ut nec ipſis prægnantibus fœminis natione Siculis, ſi Gallis nupsêre maritis, parcitum fuerit eo fine præpoſtero, ut nec gutta ſanguinis Gallici deinceps Siculis reliqua foret.

§. II.
DE INSULA SARDINIÆ.

In inſula Sardiniæ urbes ſunt Calaris, Cagliari. Arborea, Oriſtagni. Algerium, alij Algaria, Alger. Boſa Idem. Caſtrum Aragonenſe, Caſtel Aragoneſe. Saſſaris, Saſſari. Terra nova idem. Villa Eccleſiæ, Villa d'Igleſias.

In inſula Sardiniæ Promontoria ſunt Arragonium, Capo Arragoneſe. Gorditanum, C. d'Argentar. Hermæum, C. della Cacca. Calaritanum, C. di Cagliari. Ferrarium, C. di Ferrania. Charion, C. di Ferrato. Urſinum, C. del Orſo. Columbarium, C. de Sarda &c.

Inſula Sardiniæ, ſub Hiſpanorum poteſtate pluribus iiſque ultimis Seculis floruit: ſeculo autem hoc noſtro à Carolo VI. Cæſare expug-

expugnata Sabaudiæ Duci conceſſa fuit, ut haberet, unde belli diuturni ingentes ſumptus reſarciret, nihilque ipſi reliquum foret, quod jure requireret.

Cæterùm Sardinia à Meridie verſus Septentrionem numerat milliaria Germanica 50. aut plura ab Oriente verò ad Occidentem pleriſque in locis circiter 24. quæ ferunt proventus Regi ſuo vix regios *Pockius P. III. n. 238.*

§. III.

DE INSULA CORSICA.

In Inſula Corſica urbes ſunt Baſtia, Baſtia. Adjacium, Ajazzo. Curia, Corte. Bonifacium, Bonifacio. Calvium, Calvi. Fanum S. Florentij, S. Fiorenzo. Marianum, Mariano. Nebbium, Nebbio. Sunt hac in Inſula pauca Promontoria, ſcilicet Viriballum, Capo di Calvi. Sacrum, Corſo. Femenſe, di Feno.

Inſula Corſica Genuenſium ditionibus annumerata à Meridie adverſùs Boream comprehendit circiter 30. ab Oriente autem Occidentem verſus 20. aut pauciora milliaria Germanica; non multùm laudatur à proventuum copia. Hujus inſulæ inquilini rapto vivere conſueverunt.

§. IV.

DE INSULA MELITA.

In inſula Melitenſi ſunt urbes perpaucæ, ſcil. Valetta, Valette. Burgus S. Angeli, Burgo S. Angelo. Medina, Citta vecchia. Caſtellum S. Elmi, Il Caſtello S. Elmo &c.

Inſula Melita ſua ſimul longitudine ac latitudine 32000. paſſuum comprehendens, ingens nomen accepit ab Equitum Ordine, quos modò Melitenſes, modò Rhodios vocamus, eò quòd ex Palæſtina pulſi in inſulam Rhodum, verùm &ex hac ejecti, pervenerint in inſulam Melitam, quam Carolus V. eisdem clementiſſimè conceſſit eo pacto, ut nullo non tempore adversùs Turcarum inſidias in armis ſtarent; quòd ſanè multis modis præſtiterunt tanta

vir-

virtute ac fortitudine, ut univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ operam ſuam charam gratámque reddiderint.

§. V.

DE MINORIBUS JTALIÆ INSULIS,

Inſulæ circa Jtaliam minores ſunt I. Liparæ, ſeu aliis nominibus vocatæ Vulcaniæ, Aeoliæ, quæ ſitæ ſunt inter Neapolim & Siciliam, ad quarum ultimam pertinent.

Nomina propria harum inſularum ſunt Meluginia olim Lipara. Ericuſa, Alicur. Didyma. Palmaria, Famicuſa, Phænicuſa. Panaria, Nicoſia. Stromgoli, Strongyle. Vulcania, Hiera. Uſtica, Evonyma.

II. Inſulæ reliquæ ſunt Caprea (regno Neapolis ſubjecta) Capri. Jlva (cujus pars Florentiæ Duci, pars altera Hiſpanorum Regi paret) Elba. Dianum (Hetruriæ Duci ſubeſt) Gianuto. Ægilium (Hetruriæ Duci &c.) Giglio. Gorgon (M. Duci Hetrur.) Gorgona. Ænaria (Regno Neapolis ſubeſt) Jſchia. Pontia, Pontia. Hæc de univerſæ Jtaliæ Provinciis, & conditis per Provincias urbibus &c.

§. VI.

DE UNIVERSÆ JTALIÆ ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS.

PRæter ſupremum univerſæ Eccleſiæ Præſulem in Jtaliæ Provinciis Archiepiſcopi & Epiſcopi ſunt ſequentes:

In Ducatu Sabaudiæ eſt Archiepiſcopus Tarantaſienſis cum Epiſcopis min. - - - - - 2.

In Ducatu Pedemontano eſt Archiep. Taurinenſis cum Epiſcopis. - - - - - - 2. vel 3.

In Ducatu Mediolanenſi eſt Archiep. Mediolanenſis cum Epiſcopis. - - - - - - 15.

In Statu Veneto eſt Patriarcha Venetus cum Epiſcopis. 19.

In Liguria eſt Archiep. Genuenſis & Epiſcopi. - 3.

In Hetruria ſunt Archiep. Piſanus & Epiſcopi.	3.
Archiep. Florentinus & Epiſcopi.	6.
Archiep. Senenſis & Epiſcopi.	6.
In Ducatu Urbinatenſi eſt Archiep. Urbinatenſis & Epiſcopi.	6.
In Romandiola eſt Archiep. Ravennatenſis & Epiſcopi.	12.
Archiep. Bononienſis & Epiſcopi.	6.
In Regno Neapolitano ſunt Archiep. Neapolitanus & Epiſcopi.	5.
Archiep. Capuanus & Epiſcopi.	9.
Archiep. Salernitanus & Epiſcopi.	9.
Archiep. Amalphitanus & Epiſcopi.	5.
Archiep. Surrentinus & Epiſcopi.	3.
Archiep. Beneventanus & Epiſcopi.	20.
Archiep. Lancianenſis.	
Archiep. Theatinus & Epiſcopi.	10.
Archiep. Compſanus & Epiſcopi.	6.
Archiep. Acherontanus & Epiſcopi.	3.
Archiep. Materanenſis & Epiſcopi.	3.
Archiep. Tarentinus & Epiſcopi.	3.
Archiep. Brunduſinus & Epiſcopi.	3.
Archiep. Hidruntinus & Epiſcopi.	5.
Archiep. Barenſis & Epiſcopi.	10.
Archiep. Tranenſis & Epiſcopi.	3.
Archiep. Sypontinus & Epiſcopi.	2.
Archiep. Nazarenus.	
Archiep. Rhegienſis & Epiſcopi.	9.
Archiep. Conſentinus & Epiſcopi.	4
Archiep. Roſanenſis & Epiſcopus.	1.
Archiep. Severinenſis & Epiſcopi.	5.
In Inſula Siculorum ſunt Archiep. Panormitanus & Epiſcopi	3.
Archiep. Montis Regalis & Epiſcopi.	2.
Archiep. Meſſanenſis & Epiſcopi.	3.
In Inſula Sardinia ſunt Arhiep. Turritanus & Epiſcopi.	3.
Archiep. Arborenſis & Epiſcopus.	1.
Archiep. Calaritanus.	

In Inſula Corſica eſt	Archiep. Baſtienſis & Epiſcopi.	2.
In Illyrico ſunt	Archiep. Antibarenſis & Epiſcopi.	13.
	Archiep. Raguſinus & Epiſcopi.	7.
	Archiep. Spalatrenſis & Epiſcopi.	11.
	Archiep. Jadrenſis & Epiſcopi.	4.
	Archiep. Binchienſis & Epiſcopi.	4

Ex tanta Archiepiſcoporum & Epiſcoporum multitudine colligitur facillimè, quantùm Archiepiſcopi &c. præſertim in Germania Jtalos ſuperent & Regionum amplitudine, & redituum multitudine, quæ tanta non uno tantùm in Epiſcopatu Germaniæ eſſe ſolet annis ferè ſingulis, ut viginti Jtalorum Epiſcopi haud ægrè uni Germanorum poſſint cedere in proventibus.

TABULA UNIVERSA.
CHOROGRAPHIA ANGLIÆ, SCOTIÆ, ET HYBERNIÆ.

AB Europæ dextera ſaltum facimus ad ſiniſtram, ſcilicet ab Jtalia ad Angliam, Scotiam & Hyberniam, quarum prima, nempe Anglia longitudine ſua 80. latitudine ultra 60. (*David Köhler* numerat 77.) milliaria Germanica numerans, à Septentrione conjunctum ſibi habet, Oceanum Deucaledonium & Scotiam; à Meridie mare Britannicum & Galliam; ab Oriente mare Germanicum & Germaniam; ab Occidente Oceanum Occidentalem.

Fluvij in Anglia celebriores ſunt 1. Thameſis. 2. Sabrina. 3. Trenta.

Anglia tota diviſione prima à multis Geographis dividitur in partes geminas, nimirum in Regnum Angliæ & Ducatum Walliæ. De Utraque hac parte nunc nobis agendum.

§. I.

§. I.

DE REGNO ANGLIÆ.

Anglia, alio nomine Legria, ſeptem omnino conſtat Provinciis, nimirum I. Cantio, Kent. II. Eſſexia, Eſſex. III. Suſſexia, Suſſex. IV. Weſtſexia, Weſtſex. V. Oſt-Anglia, Oſt-Angeln. VI. Mercia, Middel Angeln. VII. Northumbria, Northumberland.

In Cantio ſunt Cantuaria, Canterburg. Roffa, Rocheſter. Chattam Idem. Graveſanda, Graveſand. Gronvicum, Greenvvich. Sandovicus, Sandvvick. Dubris, Douer.

In Eſſekia ſunt Midleſexia & Eſſexia, } duæ provinciæ { Midleſſex. Eſſex.

Londinum in Midleſexia, Londen. Weſtmonaſterium, in quo arx Regia, Weſtmünſter. Turris Londinenſis, Tovvr. Hamptoni Curia, Hamptoncour. Eſſexia in provincia altera, Eſſex. Colceſtria, Colcheſter. Harvicum, Harvvick.

In Suſſexia ſunt Suſſexia, Suſſex. Ciceſtria, Chicheſter. Aruntina, Arundel. Rium, Rye. Kingſtonia, arx regia, Kingſton. Sutria. Surrey.

In Weſtſexia ſunt VII. parvæ Regiones ſcil. I. Hantonia, Southampton in qua ſunt Vintonia, Wincheſter. Hantonia Auſtralis, Southampton. Portus magnus, Porſtmouth. Portus novus, Neuporth. Vectis, Wicht. II. Bercheria, Barcheshire, in qua eſt Vindeſorium aliis Windleſora, Windſor. III. Viltonia, Wiltshire, in qua ſunt Salisburia, Salisbury. Malmesburria, Malmesbury. IV. Dorſetia, Dorcheſter, in qua ſunt Dorceſtria, Dorcheſter. Vimutium, Weymouth. Vindelis, Porthand. V. Sommerſetia, Sommerſet, in qua ſunt Briſtolium, Briſtol. Bathonia, Bathe. Wella, alijs Fontanenſis Eccleſia, Welles. VI. Devonia, Devonshire, in qua ſunt Exonia, Exceſter. Plimuthum, Pleymouth. Darthmuthium, Dartmouth. VII. Cornubia; Cornubien, in qua ſunt Launſtonium, Launceſton. Falmu-

mutum, Falmouth. Promontorium Antiveſtæum, alijs Bolerium, Thelandſende.

In Oſtlangia ſunt III. parvæ Regiones, ſcil. I. Cantabrigia, Cambrigde, in qua ſunt Elis, Ely. II. Nortfolcia., Northfolck, in qua ſunt Nordovicum, Nordvvick. Jarmuthum aliis Garinonum, Jarmouth. III. Suffolcia, Saffolck, in qua ſunt Gippevicum Ipsvvick. Clarentia, Clarenze. Burgus Auſtralis, Subdury.

In Mercia ſunt XIX. Comitatus, ſcil. I. Buckhinghamenſis, in quo eſt Buckhinghamia. II. Hardfordienſis, in quo Hardfordia. III. Bedfordienſis, in quo Bedfordia. IV. Hundingtonienſis, in quo Hundingtonia. V. Northantonienſis, in quo Northantonia &c. VI. Oxonienſis, in quo { Petroburgum. Oxonium. VII. Gloceſtrienſis, in quo Gloceſtria. VIII. Monumethenſis, in quo Monumethia. IX. Herfordienſis, in quo Herfordia. X. Wigornienſis, in quo Wigornia. XI. Varvicenſis, { in quo Varvicum. Item Conventria. XII. Liceſtrienſis, in quo Liceſtria. XIII. Rutlandienſis, in quo Rutlandia. XIV. Lincolnienſis, in quo Lincolnia. XV. Nottinghamenſis, in quo Nothingamia. XVI. Darbienſis, in quo Darbia. { Item Lichfeldia. XVII. Staffordienſis, in quo Staffordia. XVIII. Salopienſis, in quo Salopia. XIX. Ceſtrienſis, in quo Ceſtria.

In Northumbria tandem ſunt VI. Regiones haud magnæ, ſcil. I. Ducatus Eboracenſis Yorck, in quo ſunt Eboracum, Yorck. Hullum, Hull. Richmundia aliis Richmontium, Richmond. II. Lancaſtrienſis, Lancaſter, in quo ſunt Lancaſtria, Lancaſter. Preſtonium, Preſton. III. Regio Cumbrienſis, Cumberland, in qua Cumbria. Mancunium, Mancheſter &c. Caroleolum, Carlile. IV. Regio Weſtmarienſis, Weſtmorland, in qua Weſtmaria. Cancaſium, Kendal. V. Epiſcopatus Dunelmenſis, in quo Dunelmum, Durham. VI. Regio Northumbrienſis, Northumberland, in qua Northumbria &c. Barvicum, Barvick. Novum Caſtrum, Neucaſtle.

§. II.

§. II.

DE DUCATU WALLIÆ.

DUcatus Walliæ duas in partes dividitur, nimirum in Walliam Auſtralem, & Walliam Borealem.

In Wallia Auſtrali ſunt VI. parvæ Regiones, ſcil. I. Clamorgania, Clamorganſchire. II. Brechinia, Breckmockſchire. III. Comitat. Maridunenſis, Kaermardenſchire. IV. Comitat. Pembrochienſis, Pembrobſchire. V. Cardigan, alijs Ceretica, Cardiganſchire. VI. Radnoria, Radnorſchire.

In Wallia Boreali ſunt itidem VI. Regiones parvæ, ſcil. I. Mongomeria., Montgomeryſchire. II. Mervenia, Merconetſcire. III. Arvonia, Caernarvonſchire. IV. Comitat Denbighenſis, Denbigſchire. V. Comitat. Flintenſis, Flintſchire, VI. Duæ inſulæ propinquæ, ſcil. Angleſey, Mona & Mannia.

Hæc de Angliæ Provinciis & urbibus ſufficiant; pauca nunc de Anglorum moribus, & Statu Politico, divitiis & rebus aliis dicenda ſuperſunt, unde ſit.

§. III.

DE ANGLIÆ STATU.

P. *Henricus Scherer* ex authoribus diverſis diverſarum nationum, mores & ſtatus conquirens, hunc maximè in modum Anglos depinxit: Angli ad omnia bona nati: gens forma moribúsque elegans, non minùs perdiſcendis ſcientiis, quam artibus exercendis, nec non armis terrâ maríque pertractandis idonea. In re nautica pro palma certant cum quibuſvis Europæis, jam tertiùm circumnavigato orbe terreſtri, multíſque terræ provinciis detectis & occupatis celebres. In hoc uno cum Inſulanis ferè omnibus participant Angli, quòd animi motibus plus æquô obnoxi ſint; quemadmodum ventis eorundem patria; namque veluti naves in pelago & via maritima, ita ipſi fluctuant in ſua Republica, ſemper mobiles & inconſtantes, prompti proníque ad nova molimina, ad bella domeſtica & ſeditiones, quas poſteris abundè prodidêre priora, quin etiam

hoc noſtrum ſeculum. Unde *Heroldus* (de quo an verum dicat, dubitat *Schererus*) rerum Anglicarum obſervator haud timuit aſſerere, quòd ex 40. Anglorum Regibus duodecim non ab hoſtibus externis, ſed domeſticis fuerint interfecti: quin addidit, per breve 36. annorum curriculum plura quàm 80. ex Regio ſanguine prognata capita fuiſſe à ſuiſmet ſubditis extincta &c.

In Anglia regnârunt uſque ad Julium Cæſarem Reges origine Britanni, à Bruto Rege ſic vocati, ſi tamen fides hac in parte ſit habenda *Hübnero*; nam *Foreſtius* & alij diſcrepant; Britannis ſuccedebant Reges Romani, Romanos ſecuti ſunt Saxones, hos denique Dani.

In Anglia ab aliquot Seculis cuſtoditum eſt Regimen mixtum ex Statu Monarchico, Ariſtocratico & Democratico: unde regnant Reges, Regem crebrò moderantur Magnates, quin non rarò dominantur cives. Magiſtratus ſuos vocant Parlamenta, quæ duas in partes dividunt, & priorem partem *Domum ſuperiorem*, partem verò poſteriorem *Domum inferiorem* appellant. Domum ſuperiorem ferè nobiles, inferiorem ignobiles conſtituunt; unde Regiam Majeſtatem valde diminutam ivit Parlamenti potentia, quæ talis ac tanta eſt, ut quamvis Rex Majoris Britañiæ Parlamentum vocare in curiam ſoleat, Legem tamen abſque illius conſenſu ferre, ſubditis nova vectigalia aut tributa imponere, quidquam in Eccleſia Anglicana imutare &c. non liceat.

Quatuor horum Regum ex ſtemmate extero prognatorum abſolutis periodis faſces Angliæ tenuerunt Familæ ſequentes:

Ab anno 1399. Familia Lancaſtrienſis uſque ad annum 1485.
Ab anno 1485. Familia Tudorena uſque ad annum 1605.
Ab anno 1605. Familia Stuardorum uſque ad annum 1714.
Ab anno 1714. Familia Hanoverana. *Lexicon Lipſienſe* unà cum Familia Lancaſtrienſi ponit Familiam Eboracenſem ab anno 1460. uſque ad an. 1485.

Angliæ Regnum admodum valere viris & viribus armatis, docuêre ſatis etiam ſecula, quibus nec Scotia, nec Hybernia eidem fuerunt conjuncta.

Certè Anglorum Reges in Palæſtinam uſque copioſos duxerunt exercitus; cum Galliæ Regibus pene perpetuo Marte certârunt; Scotorum hoſtes frequenter, Hiſpanis, aliiſque tum vicinis tum remotis populis vel palmas eripuerunt, vel victoriam ancipitem fecerunt ſæpiùs victores, quàm victi. Poſtquam verò tria regna, nimirum Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ in unum coaluêre, & Magnæ Britanniæ glorioſum nomen accepêre, ex eo tempore valde Britañorum terrâ maríque potentia, nec non divitiarum quarumvis abundantia crevit, adeò ut inter plebem etiam ſit ingens auri argentíque copia, quam ex Anglia ad exteras gentes exportari lege lata jam prohibuit Eduardus III. circa annum 1360 (*Hübner P. II. n. 760.*) quæ lex, niſi fallar, inter Anglos viget hodie. Udne etiam proventus annui iíque nomine Regii ad multos auri milliones haud ſemel tantùm excreverunt, ex quibus tamen Regi non niſi duo, aut tres milliones conceduntur, cujus reditus ſunt annîs variîs diverſi, quàm diverſa nimirum eſt Parlamenti in Regem ſuum vel propenſio, vel averſio. Vid. *Foreſtium P. IV. p. 3.*

Jus ſibi in ipſum Galliæ Regnum tribuere etiamnum cupiunt Angliæ Reges, quam ob cauſam Regis Galliæ titulum titulis unà cum reliquis vendicant ſibi; argumenta ſi alia deeſſent, hoc ajunt eſſe fortiſſimum, quòd Caroli IV. Regis Francorum filia Iſabella Eduardi II. Anglorum Regis conjux Regia, enixa fuerit Eduardum III. ipſa proxima regni Gallici hæres, vel ſi fœminæ obſtet lex Salica, Eduardum filium nulla lege Gallorum excludendum. *Briet. Foreſt. Bock. & alij.*

Contendunt quoque Britanni, jus ſibi deberi in piſcationem halecum, quam annîs ſingulîs Batavi ſuô lucrô maximô inſtituunt in Oceano Anglicano.

Affirmant etiam, ſibi jure ſervari immunitatem à vectigalibus ſolvendis in Balthico mari, tum ob privilegium Anglorum regno pridem conceſſum, tum ob argumenta alia.

Quamvis in M. Britannia locum invenerint ſectæ omnino multæ, & adeò inter ſeſe diverſæ, ut *Hornius* author non Catholicus numerârit 160. præ quibusvis tamen Doctoribus, ùt ajunt Theologis

logis, notiores ſunt *Presbyteriani* & *Independentes*. Presbyteriani vocantur illi, qui cuſtodiunt quempiam dignitatis ordinem inter ſeſe, ita ut eorum pars dicantur Sub-Diaconi, aut Diaconi, pars alia Parochi & Presbyteri, pars ſuperior Decani, pars adhuc major Superintendentes, Abbates, Epiſcopi, quin & Archiepiſcopi, quorum omnium *ſupremum Caput* ſit Magnus Magnæ Britanniæ Rex. Horum multorum pars ſectatur partes Catholicorum veluti ſimia hominum geſtus; minimè tamen eſt Catholica, nec Lutheri, aut Calvini placitis ex aſſe addicta.

Independentes toto genere ſunt diverſi: hi enim neutiquam inter ſe ſervant miniſteriorum ordinem, veluti Presbyteriani; paſtor quiſvis ferè in parochia ſua pro ſua voluntate & voluptate diſponit omnia, ùt ajunt ſuaviter, aut pleraque privato ſpiritui gratus adſcribens, ſi tamen grata eveniant multa. Unde hi poſteriores nec comitia, aut conventus celebrant, vel etiam unam hanc ob cauſam, ut Presbyterianis contraveniant.

Cæterùm pars illorum, qui Presbyterianis adhærent, vocantur *Wichs*; pars verò aliorum, qui Independentium laudant placita, dicuntur *Torris*: *Wichs* autem ſonat idem, quod *mollius*, *Torris* verò, quod eſt *rigidius*, quæ duæ nomenclaturæ partium diverſarum inter Britannos & Scotos ſunt nata, dum ſub Carolo I. & II. Anglorum Regibus varia certamina pro aris & focis inter partium ſtudia fuerunt ſuſcepta.

Interea dum inter Britannos Sectarum centuriæ integræ & pluribus locus conceditur tutus atque ſecurus, Catholicis tamen vix occultus patet angulus, omni locô Romanis ſacris interdictô. Adeò diverſa eſt Anglia nova ab Angla veteri, quæ ſeminarium fuit Virorum Apoſtolicorum ex aſſe Romanorum. Quantum fuerit, & fortè ſit hodie inter modernos Angliæ Independentes adversùs Romanos Sacerdotes odium, intelligere ex eo etiam licet, quòd in Conventu Glaſgenenſi Presbyterianorum gubernatio Eccleſiaſtica tanquam Anti-Chriſtiana fuerit condemnata, quòd à ritibus & ordine Romanorum receſſerint remotiùs.

Ang-

Angli in addiſcendis ſtudiis ſeverioribus, ſi Philoſophiam Experimentalem & Matheſin exceperimus, non uſque adeò clarum hoc tempore ſibi vendicant nomen; inſtabiles enim, & parùm ſeduli in ſublimioribus ſunt adeò, ut antiquiora vel omnino non perlegant; vel ſi legendo penitiùs inſpexerint, facilè relinquant, rebus novis & recentibus intenti magìs. Rerum tamen naturalium experientiæ miram navant operam adeò, ut ſummo etiam locò nati minimè alieni ſint à naturæ ſcrutinio. Teſtes ſunt præter alios multos *Verulamius* & *Robertus Boyle* nobiliſſimi quondam etiam ſanguinis proſapiâ in Britañia M. Philoſophi, qui *Societati Regiæ* ſic dictæ initium dederunt & augmentum, cujus nec experimur finem, nec decrementum. Societas hæc Regia eſt Doctorum Virorum collegium, cujus ſe Præſidem & Fundatorem conſtituit Carolus II. Anglorum Rex. Collegio intereſſe poſſunt, qui volunt hebdomadibus ſingulis ex viris doctrinâ conſpicuis. Eorundem aliqui præmeditata proponunt, & propoſitam aſſertionem experientiîs demonſtrant. Finis ac ſcopus inſtituti eſt Philoſophiam naturalem non tam verbîs quàm factîs excolere; unde in Anglia ſunt varia eáque mira artis mechanicæ inſtrumenta & documenta etiam circa navigationem, architecturam, agri culturam &c, quæ cum natura & experimentîs bene fuerint firmata, publici juris eſſe incipiunt.

Dividitur Societas Regia in Collegium generale, & Sub-Collegia, utì vocant: penes Collegium generale eſt poteſtas de Societate diſponendi. Sub-Collegia ſunt eo ordine inſtituta, ut unum eorundem operam navet Medicinæ, alterum Matheſi & Architecturæ Militari; tertium inſtitutioni liberorum; quartum Mercaturæ; quintum hortorum culturæ & aliis artibus agreſtium propriis; ſextum rei culinariæ; ſeptimum arti equitandi & navigandi; octavum artibus texendi; nonum artibus dolandi, tornandi, & decimum artibus Muſicæ, Pictoriæ, Cælatoriæ & Typographiæ.

Tot in Angliæ Regno artibus præceſſit natura ipſa admodum fertilis; tametſi enim vites non ſoleat progerminare, gignit tamen frumentum copioſiſſimum, præſertim verò hordeum, ex quo maximè plebi coquitur cerevíſia notæ ferè optimæ.

Nobiles & prædivites cum cereviſia vinum ſociant, quod ex Gallia, Hiſpania aliiſque Regionibus copiâ maximâ & optimâ advehunt, indignante ſæpe Neptuno, & tempeſtatibus Oceanum turbante.

Inter Anglicanæ terræ fructus numerandi veniunt equi generoſiſſimi, boves præpingues, & greges ovium lanigeri, quin & ſtannum cum metallis alijs, quæ omnia jure Britannorum theſauros dixeris. *Vide Foreſtium, Scherer. Funccium &c.*

§. IV.

DE REGNO SCOTIÆ.

SCotiæ Regnum Regno Angliæ proximum, ferè circumundique cingitur aquis, ſuperiùs nimirum Oceano Deucaledonio, ad dexteram Mari Germanico, ad lævam Mari Hybernico. à Meridie ſolùm cohæret Angliæ. Longitudine ſua 58. latitudine ſua maxima 40. milliaria Germanica complectitur. *Köhler. Bockius ait* longam 70. latam 50. mill. *Atlas Portatilis Weigelij* longitudinem ait eſſe 60. latitudinem 30. milliar.

In Scotia unicus eſt fluvius magni nominis, ſcil. Tavus cum quatuor Æſtuariis, quorum 1. Æſtuarium Itunæ, Ytan. 2. Æſtuarium Glottæ, Clyd. 3. Æſtuarium Bodotriæ, Forth. 4. Æſtuarium Vara, Varo. Æſtuaria & fluvij minores tacentur.

Dividitur Scotia diviſione prima in tres partes, nimirum in I. Meridionalem II. Septentrionalem & III. Inſulanam.

Pars Meridionalis continet XXI. Præfecturas, quarum VII. ſunt Anteriores. VII. Poſteriores. & VII. Superiores.

PÆFECTURÆ VII. ANTERIORES SUNT

I. Lothania, ſeu Laudania, in qua ſunt Edenburgum, Edenburg. Letha, Lyth. Dumburum, Dunbar. Duglaſſium, Duglas. II. Fifa, Fife, in qua eſt Andreopolis, S. Andrevvs. III. Merchia, Merche, in qua eſt Colania, Coldingham. IV. Teviotia, Tivedal, in qua eſt Jedburgum, Jedburg. V. Eſcia, Eskdal. VI. Tvvedia, Tvvededal. VII. Anandia, Annand.

PRÆ-

PRÆFECTURÆ VII. POSTERIORES SUNT

I. Nithia, Nitheſdal, in qua eſt Dumfreja, alijs Trimontium, Dumfreys. II. Gallovidia, Gallovvay, in qua eſt Caſa Candida, Withern. III. Carricta, Carrick. IV. Coila, Kyle, in qua eſt Aera urbs princeps, Ayr. V. Cuninghamia, Cuningham, in qua eſt Renfroana, alijs Randuaria, Reinfrey. VI. Cantyra. VII. Knapdalia.

PRÆFECTURÆ SUPERIORES SUNT

I. Argathelia. II. Lorna, in qua Stephanodunum, Dunſtafag. III. Menthitia, Mentheid, in qua Dumblanum, Dumblain. IV. Strathernia, Strathern, in qua Abrenethum, Abernethey. V. Levenia, Lennox, in qua Dumbritonium, Dumbriton. VI. Sterlinga, Sterling. VII. Glotiana, Clysdal, in qua Glaſcovium Glaſcovv. Hamiltonum, Hamilton.

Pars Septentrionalis XV. conſtat Provinciis, quarum V. ſunt Anteriores. V. poſteriores & V. Superiores.

V. ANTERIORES SUNT

I. Anguſta, Angus, in qua ſunt Brechinium, Brechin. Taodunum, Dundee. Mons Roſarum, Montroſe. II. Merniſia, Mernis. III. Marnia, Marr, in qua eſt Aberdonia nova, Nevvaberdon. IV. Buchania, Buquan. V. Moravia, Muray, in qua Elgis, Elgin. Innernium, Inernes.

V. POSTERIORES SUNT

I. Perthia, Perth, in qua ſunt Perthum, Johnſton. Caledonium Caſtrum, Duncheld. II. Gorea Idem. III. Albania, Braid Alben. IV. Atholia Idem. V. Lochabria, Loquabria.

V. SUPERIORES SUNT

I. Roſſia Idem, in qua ſunt Chanonricum, Chanonry. Cromartium, Cromarty. II. Aſſynthum, Aſſinth. III. Sutherlandia, Sutherland, in qua Dornocum, alijs Donraduna, Dornock. IV. Stra-

thnavernia, Strath-Navern. V. Cathenefia, Cathene, in qua Promontorium Veruvium, Dungybſi.

Scotia Inſulana alias inſulas habet verſus Occidentem, alias verſus Septentrionem.

Verſus Occidentem ſunt Hebrides X. numero. 1. Leogus, Levvis. 2. Viſtus, Vuſt. 3. Scia, Skye. 4. Mula, Mul. 5. Cola, Col. 6. Tyriſus, Tyrie. 7. Yla, Yla. 8. Arania Idem. 9. Inſula S. Columbi, Cholmkil. 10. Jura Idem.

Verſus Septentrionem ſunt Orcades numero 32. & Inſulæ Hitlandicæ num. 26. quarum tamen & illarum pauciores inhabitantur.

§. V.
DE SCOTIÆ STATU.

Scotorum Regnum antiquiſſimum jam ante Chriſtum natum permultos numeravit Reges; poſt Servatoris noſtri incunabula primis mox ſeculis Chriſtianam amplexum eſt Religionem, futurum per ſecula omnino tredecim ex aſſe Catholicum; donec deniq; Maria Stuarda Franciæ quondam & Scotiæ Regina an. 1587. 18. Febr. capite plexa ſuo ſanguine nobiliſſimo Romanæ Fidei parentavit, cùm annis ferè 20. in carcere veriùs, quàm in honeſta cuſtodia fuiſſet detenta, ita mandante ejusdem cognata Eliſabetha Anglorum Regina. Eo ex tempore Romanis Sacerdotibus, aris & focis ſeveriſſimè interdictum non minùs in Scotia, quam in Anglia, præcipuè poſtquam Jacobus VI. Mariæ Stuardæ filius unicus, adversùs Romana Sacra odium hauſit à Doctoribus omnino novis oſor Catholicorum perpetuus, cujus tamen filius Carolus I. ducta in conjugem Regiam Maria Henrica Ludovici XIII. Gallorum Regis ſorore, cùm Orthodoxis Sacerdotibus denuo locum cederet in Anglia & Scotia, haud abhorrens ipſe à Majorum ſuorum Fide ac Religione, inde ſibi ſeditionem populi & mortem accerſivit truculentiſſimam, in foro publico plexus capite, triſtioráque perpeſſus fata, quàm tulit ejusdem avia Maria Stuarda. Atque adeò ab anno 1649. Regiis ex ſtemmate Stuardorum filiis & nepotibus maſculis nunquam quietum aut ſecurum in M. Britannia ſperare licuit ſolium, Regibus profectò ex

eo

eo etiam infeliciſſimis, quòd eorum plures violenta, quàm naturali morte extincti ſint per quatuor ferè ſecula:

David enim Roberti II. Regis ex ſtemmate Stuardorum patrui ſui Roberti inſidiis circumventus fame enectus, contabuit circa annum 1400.

Jacobus I. ex eodem ſtemmate Rex III. Waltheri Atholiæ patrui ſui inſtinctu nefario, 26. vulneribus trucidatus occubuit an. 1436.

Jacobus II. annorum 32. juvenis an. 1460. cùm oppugnaret in Anglia arcem Rosburgum, cuneô ligneo percuſſus illæſis comitibus omnibus ſolus cecidit exanimis. *Briethius* ait, fractæ bombardæ fruſto percuſſum cecidiſſe.

Jacobus III. à genitrice hujúsque adulatoribus ſuis hoſtibus victus, captus, & in vincula datus, demum tamen liber, ſed & iterum victus & fugatus in molendinum ſe recepit, ubi deprehenſus an. 1488. violentam mortem oppetiit.

Jacobus IV. in Anglia pugnans contra Anglos Gallorum hoſtes, ſed in Northumbria victus, cum plurimis Scotis ſanguinis proſapiâ claris an. 1513. Tyllo amni ſic fuit immerſus, ut cadaver Regium vix denique repertum, honeſtô ſepulchrô potuerit recondi.

Jacobus V. Mariæ Stuardæ genitor in flore ætatis, an. nimirum 30. Rex venenô fuit ſublatus è medio, poſtquam quinque abhinc diebus intellexit geminos filios admodum parvulos ſimili nece fuiſſe exanimatos.

De Mariæ Stuardæ, & hujus ex filio nepotis Caroli I. truculentis fatis conſtat ex dictis paulò ſuperiùs.

De Jacobo VII. & hujus filio Walliæ Duce perpetuo exule abundè conſtat omnibus, quàm aſperam ſortem nactus ſit uterque hactenus & pater & filius, hic ſuum in regnum nunquam admiſſus, ille ſuo ex regno pulſus, ne aditus pateret procul abactæ Religioni.

Quamvis pleriſque Scotorum complura Calvini placita probentur, nondum tamen omnes penitus radices fert aridas in Scotia Orthodoxa Religio; namque ſi in ipſo Scotiæ Regno patentibus non ampliùs viret floribus, nihilominus extra Scotiæ fines egreſſi Scotorum plurimi, plantandis Fidei præclaris fructibus peridonea nacti

ſunt Seminaria, in quibus Scotorum proles de ſuis teſtantur Majoribus, quam firmas ac fixas egerit radices in patria ſua, Religio remota procul à novitatibus.

Scotorum decus inſigne eſt Joannes Duns Scotus, ex Ordine D. Franciſci, à Scholaſticis omnibus *Doctor Subtilis* jure vocatus, quem Doctorem Doctoribus Romanis maximè notum *C. Bellarminus* meritò collocavit ſeculo XIV. & XV. dum ait *fol. 361. de Script. Eccleſ.* Eundem Pariſiis immatura morte an. 1308. extinctum. Longiſſimè à. C. Bellarmino, quin à toto Seraphico Ordine, quatuor ſeculis ſcilicet abeſt *Hübnerus*, qui *fol. 1031.* in Scotorum Hiſtoria recenſet hæc de Scoto his ferme verbis, idiomate Germanico: *Carolus M. circa annum 787. varios Doctores ex Scotia evocavit, inter quos fuit Joannes Duns Scotus, à quo Scotiſtæ Scholaſtici nomen accepêre ſuum.*

Cùm Scotia longè ſit minor, quàm Anglia, nec huic par habeatur agrorum fertilitate, ſitu & aeris temperie, hinc pares minimè fert proventus Regi aut Reipublicæ: ſunt tamen Scotorum plerique aſſueti maximè duris manuum laboribus, tractandis mercimoniis, capiendis piſcibus & bellis gerendis, in quibus vix ulli cedunt nationi difficultatum tolerantiâ; eam ob cauſam didicêre Angli apprimè, quàm optabile ſibi ſemper fuerit Scotiæ Regnum cum Regno Angliæ indiſſolubili vinculo connectere, ut ambo ferant fructus communes eo tamen diſcrimine, ut Angli dominentur, Scoti ſervitutem ſerviant.

Scotorum ignobilium pars magna montes incolit, pars alia non parva in inſulis victum quærit; pars utraque incultis moribus haud multùm diſtat à gente barbara: unde priores montibus, poſteriores ſylveſtribus comparantur animantibus, *Montani & Sylveſtres dicti.* Vid. *Foreſtium, Chriſtian Funccium, & alios.*

§. VI.

DE REGNO HIBERNIÆ.

Hibernia longitudine ſua 60. Germanica milliaria excurrens, latitudine 30. circiter dimetiens, verſus Boream habet Oceanum

num Deucaledonium, verſus Orientem mare Hibernicum, verſus Occidentem & Meridiem Oceanum Occidentalem ſeu Aquitanicum. *Atlas Portat.* Quoad longitudinem & latitudinem non parùm diſcrepat *Köhlerus.*

In Hibernia fluvij celebres ſunt Senus, Schennon. Barrojus, Barrovv.

Hibernia quatuor conſtat Provinciis, ſcil. I. Ultonia ad Septentrionem, Ulſter. II. Lagenia ad Orientem, Leinſter. III. Connachia ad Occidentem, Connauth. IV. Momonia ad Auſtrum, Mounſter.

In Ultonia ſunt Comitatus IX. ſcil. I. Dunenſis, Dovvne, in quo eſt Dunum, Dovvne. II. Antrimenſis, Antrym, in quo Antrimum, Antrym. Rupes Ferguſij, Knockfergus. III. Colranenſis, Colrane, in quo Colranum, Colrane. Londinonderia; *Schererus* Comitatum Londondery, dicit, unde 10. Comitatus numerat. IV. Dunghalenſis, Dunchall, in quo Dunghalia, Dunchall. Rapoa, Rapoy, V. Tyronenſis, Tyrone. VI. Fermanaghenſis, Fermanach. VII. Monaghanus, Monachan. VIII. Cavanenſis, Cavan, in quo Cavanum, Cavan. Chilmoria; Kilmore. IX. Armachany, Armach, in quo Armacum, ſeu Armacha, Armach.

In Lagenia ſunt Comitatus XII. ſcilicet. I. Luthenſis, Louth, in quo ſunt Lutum, Louth. Carlingfordia, Carlingfort. Drogheda, Drochdaga. II. Dublinenſis, Dublin, in quo Dublinum, Dublin. III. Kildarienſis, Kildare, in quo Kildaria, Kildare. IV. Vicloenſis, Wiklo, in quo Vicloa, Wiklo. V. Catarlagenſis, Caterlag. VI. Wexfordienſis, Wexford, in quo Wexfordia, Wexford. VII. Longfordienſis, Longford, in quo Longfordium, Longford. VIII. Midiæ Occidentalis, Weſtmeath. IX. Midiæ Orientalis, Eaſtmeath. X. Regis, Kinges, in quo Regiopolis, Kingſtovvne. XI. Reginæ, Quenes, in quo Reginopolis, Queneſtovvne. XII. Kilchennenſis, Kilkenny, in quo Kilkennia, Kilkenny.

In Connachia Comitatus ſunt VI. ſcil. I. Slegenſis, Slego, in quo Slegum, Slego. II. Letrimenſis, Letrim, in quo Letrimum, Letrim. III. Roſcomenſis, Roſcomen, in quo Atlona, Athlone.

Agri-

Agrimum, Agrim. IV. Gallivenſis, Gallovvay, in quo Galliva, alij Gallovaga, Gallovvay. V. Mayenſis, Mayo. VI. Claræ, Clare, in quo Clara, Clare. Tuama, Toam.

In Momonia Comitatus ſunt VI. ſcil. I. Limmericenſis, Limmerick, in quo Limericum, Limmerick. II. Tiperarienſis, Tiperari, in quo Caſſilia, Cashel. III. Watterfordenſis, Watterfort, in quo Waterfordia, Waterfort. IV. Corcavienſis, Cork, in quo Corcavia, Cork. Kinſalia, Kynſale. V. Deſmoniæ, Deſmound, in quo Balatimora, Balatimore. VI. Kerrienſis, Kerry, in quo Ardatum, Ardart.

§. VII.

DE HIBERNIÆ STATU.

Hiberniam primis poſt Chriſtum natum ſeculis multi Reguli inter ſe diviſi diviſam tenebant. Seculo demum duodecimo circa annum 1171. Henricus II. Anglorum Rex armîs totâ Hiberniâ potitus eſt, capto & in Angliam translato Hibernorum Rege Wilhelmo. Eo ex tempore conſtanter Anglorum Reges dominabantur Hibernis, quorum quatuor Provincias in diverſos Comitatus diviſère, & Comitatûs nomine totam Hiberniam appellavêre; donec denique Henricus VIII. Hiberniæ Regem ſe cœpit ſcribere, Regium nomen Summo Pontifici, & iis omnibus opponens, quos ſibi hoſtes fecerat rumpendo fidem.

Seculo V. *Palladius* & *D. Patritius* Hibernis ſacra Dogmata pleniùs expoſuiſſe feruntur eo fructu, ut uſque ad Seculum XVI. Romæ fidem ſervârit Hibernia integram: tum verò cùm inter perpetua ferè bella nullus ſupereſſet locus ullis legibus, lex etiam Chriſtiana exulare juſſa Calvinianis locum tenentibus, inter quos hodie vivunt ita Catholici multi, ut palam prodere ſigna Catholica vix liceat.

In Hiberniam ex Gallia tranſiêrunt plurimi Hugonotarum priori primùm ſeculo, qui variis artibus dant operam, manum admovere operi jubentur pueri puellæque; unde induſtriæ multiplex reſpondet fructus, cujus partem ſat magnam ſolvunt Regi aut Reipublicæ Anglicanæ unà cum his artificibus piſcatores & gregium pinguiſſimorum paſtores.

In

IN ANGLIÆ REGNO UNIVERSO SUNT ACADEMIÆ.

I. Cantuarienſis. II. Oxonienſis. IN SCOTIA. I. Andreapolitana. II. Edenburgenſis. III. Glaſcovienſis. IN HIBERNIA. I. Duplinenſis.	nulla ampliùs Catholica.

CHOROGRAPHIA GERMANIÆ.

SPectatis ambobus Europæ brachiis partem corporis proximam & principem conſiderandam ſumimus, pectus nimirum ampliſſimum. Pars eadem eſt Germania univerſa, complectens unà cum partibus Jmperij ſingulis Belgium ſimul & Helvetiam, quarum hæc proxima eſt Jtaliæ, illud propinquum Angliæ. De Belgio, & mox etiam de Helvetia initium facimus, ac demum Germanicum aggrediemur Jmperium, ne dum deſcenderimus ad infimos Germaniæ Circulos, opus ſit nobis denuo aſcendere ad partes ſupremas, quales ſunt Belgium atque Helvetia.

TABULA UNIVERSA.

§. I.

DE BELGIO UNIVERSO.

BElgium reſpicit à Septentrione Mare Germanicum & partem Angliæ; à Meridie Lotharingiam; ab Occaſu Galliam & Mare Britannicum; ab Ortu Germaniam majorem ipſa minor & inferior Germania, cujus longitudo ſi petatur à Mari Germa-

nico 60. circiter milliaria Germanica, latitudo verò quibusdam in locis vix 20. alibi 40. continet.

In Belgio ſunt maximi nominis fluvij quatuor, 1. Moſa, Maaß. 2. Scaldis, Schelde. 3. Moſella, Moſel. 4. Rhenus, Rhein;

Quorum poſtremus, nimirum Rhenus dum mari appropinquat in quatuor dividitur brachia, alijs oſtia; eorundem unum vocant 1. Rhenum. 2. Yſalam. 3. Vahalim. 4. Leccum, alijs Licum.

Belgium univerſum Geographis multis *Leonem* exhibet, caput nimirum efformant 1. Friſia Occidentalis. 2. Gröninga. 3. Tranſiſalania. Collum oſtendunt 4. Ultrajectum 5. Hollandia. Collo partem proximam conſtituunt 6. Geldria. 7. Zutphania. Tergoris inſtar apparent 8. Flandria. 9. Seelandia. Corpus Craſſius efficiunt 10. Brabantia, 11. Antvverpia & 12. Mechlinium. Pedes priores ſed parùm inflexos repreſentant 13. Limburgum & 14. Luxenburgum. Pedes poſteriores 15. Hannonia. 16. Namurcum. Caudam denique tenet 17. Artheſia.

DIVISIO BELGIJ ALTERA.

Continet Belgium univerſum Provincias XVII. Harum Provinciarum X. priori ſeculo vocatæ *Belgium Hiſpanicum*,

Provinciæ reliquæ VII. dictæ ſunt *Belgium Fœderatum.*

Nomina Provinciarum olim omnium Hiſpanicarum ſunt hæc: I. Luxenburgum, Luxenburg. II. Limburgum, Limburg. III. Geldria, Geldern. IV. Namurcum, Namur. V. Hannonia, Hennegau. VI. Arteſia, Artois. VII. Brabantia, Brabant. VIII. Antvverpia, Antwerpen. IX. Mechlinium, Mechelen. X. Flandria, Flandern.

Nomina Provinciarum reliquarum VII. I. Hollandia, Holland. II. Seelandia, Seeland. III. Ultrajectina Prov. Utrecht. IV. Zutphania, cum parte Geldriæ, Zutphen. V. Tranſiſalana, Oberyſſel. VI. Gröninga, Gröningen. VII. Friſia Occidentalis, Weſtfrießland.

De

De primis X. nunc, de VII. poſterioribus poſtmodum erit ſermo.

Ex X. Provinciis nunc potiſſimùm Auſtriacis tres ſunt Germanis ſuperioribus propinquiores, ſcil. I. Luxenburgum II. Limburgum III. Geldria.

Tres ſunt Gallis viciniores, ſcilicet I. Namurcum II. Hannonia III. Arteſia.

Quatuor ſunt in Medio Belgij, ſcil. I. Brabantia II. Antvverpia III. Mechlinium IV. Flandria.

§. II.

DE DUCATU LUXENBURGICO.

In Ducatu Luxenburgico Pars una Cæſaris eſt, in qua ſunt urbes, Luxenburgum, Luxenburg. Chiniacum, Chiny. Baſtonacum, Gall. Baſtogne. Fanum S. Viti, St. Veith. Vienna & Vianda, Wiand ꝛc.

Pars altera Gallorum Regis eſt, in qua ſunt urbes Mons Medius, Mont-Medy. Villa Theodonis, Diedenhofen. Epoiſus, vocatur nunc Principatus Carignanus, Jvoix. Damvillerium, Damvilliers. Villa Martia, Marville. Stenacum, Stenay. Machera Regia Königſmacheren. Machera rubra paret Marchioni Badenſi, Rodenmacheren.

§. III.

DE DUCATU LIMBURGENSI.

In Ducatu Limburgenſi pars una Cæſaris eſt, in qua eſt urbs Limburgum, Limburg.

Pars altera Reipublicæ Fæderatorum eſt, in qua ſunt urbes Dalemum, Dalem. Mons Falconis, Falckhenburg. Vicus, Wich.

§. IV.

DE DUCATU GELDRIÆ.

In Ducatu Geldriæ Pars una eſt Cæſaris, in qua Ruremunda, Ruremont.

Pars altera Regis Boruſſiæ eſt, in qua Geldria, Geldern.
Pars tertia Reipublicæ Fæd. eſt, in qua Venloa, Wenlo. Caſtrum S. Michaelis, St. Michaels Schloß. Geldria inferior tota Reipublicæ Fæd. ſubjacet.

§. V.
DE COMITATU NAMURCENSI.

In Comitatu Namurcenſi pars una eſt Cæſaris, in qua Namurcum, Namur. Caroloregium, Charleſroy. Floriacum, Fleury.
Pars altera Gallorum Regis eſt, in qua Charolomontium, Charleſmont. Givetum, Giwet.

§. VI.
DE COMITATU HANNONIÆ.

In Comitatu Hannoniæ pars una eſt Cæſaris, in parte hac ſunt urbes Mons, Bergen. Athum, Ath. Leſſinæ, Leſſines. Ligniacum, Ligne. Bellomontium, Beaumont. Barbanſonium, Barbanſon. Chimacum, Chimay ꝛc.ꝛc. Angia, Enghien. Stenkerka, Stenkerken. Rodium, Roeux.

Gallorum in Hannonia ſunt urbes Valentianæ, Valenciennes. Cameracum, Cambray. Bochanium, Bouchain. Contatum, Condet. Malebodinm, Maubeuge. Quercetum, Queſnoy. Landrecium, Landrecy. Avennæ, Aveſnes. Bavacum, Bavay. Philippopolis, Philippeville. Mariæburgum, Idem &c.

§. VII.
DE COMITATU ARTESIÆ.

In Comitatu Artheſiæ, qui totus Regno Galliæ acceſſit, ſunt urbes Atrebatum, Arras. Audomaropolis, Somer. Aria, Arien. Bethunia, Bethune. Fanum S. Venantij, S. Venant. Papalma, Papaume. Hedinum vel Heſdinum, Heſdin. Fanum S. Pauli, S. Paul. Lentium, Lenz ꝛc.

§. VIII.
DE DUCATU BRABANTIÆ.

In Brabantia pars prior & major eſt Cæſaris, in qua ſunt urbes Bru-

Bruxellæ, Brüſſel. Lovanium, Löven. Antverpia, Antorff. Mechlinium, Mechlen. Arſchottum, Arſchott. Dieſta, Dieſt. Vilvordia, Vilvorden. Tienæ, Tienen. Leuvia, Leuwe. Gemblacum, Gemblours. Landæ, Landen. Nivigella, Nivelle. Seneſa, Senneſ. Lyra, Lier. Herenthalia, Herrenthal.

Pars altera Reipublicæ Fæderatorum eſt, in qua ſunt urbes Bergæ ad Zomam, Bergen ob Zom. Stenoberga, Steenbergen. Breda Idem. Sylva Ducis, alij Sylvaducum, Hertzogenbuſch. Gravia, Grave. Helmontium, Helmont. Ravenſteinium eſt Electoris Palatini, Ravenſtein. Trajectum ad Moſam, Maſtricht. Santulietum, Santuliet.

Colliget Lector in Brabantia hic includi Mechlinium & Antvverpiam.

§. IX.

DE COMITATU FLANDRIÆ.

In Ampliſſimo Flandriæ Comitatu Pars prima eſt Cæſaris, in qua ſunt urbes Gandavum, Gent. Bruga, Brugg. Damum, Dam. Blancoberga, Blanckenberg. Oſtenda, Oſtende. Portus novus, alij Neoportus, Neuport. Furnæ, Furnes. Tornacum, Dornick. Dixmuda, Dixmuden. Deinſa, Deynſe. Cortracum, Cortricht. Aldenarda, alij Odenarda, Odenard. Teneramunda, Dendermondt. Aloſtum, Aelſt. Mons Gerardi, Herſtberg. Jpra, Ypern. Menena, Menin. Poperinga, Poperingen. Comincum arx, Comines ꝛc.

Pars altera Gallorum eſt, in qua ſunt urbes Inſulæ, Ryſſel. Duacum, Douay. Baſſea, La Baſſee, Armentariæ, Armentieres. Dunkerka, Dunkirchen. Gravelinga, Grawelingen. Mons S. Vinoci, Winoxberg. Caſtrum Morinorum, Mont Caſſel.

Pars tertia Batavorum eſt, in qua ſunt urbes Clauſulæ, Sluis. Ardenburgum, Ardenburg. Axella, Axel. Bierfletum, Bierfliet. Hulſtum, Hulſt. Cataracta Gandavienſis, Saß von Gent.

§. X.

APPENDIX DE EPISCOPATU LEODIENSI ET PARVO DUCATU BULLONIENSI.

In Epiſcopatu Leodienſi urbes ſunt Leodium, Auguſta Eburonum, Lüttich. Huium, aliis Hoium, Huy. Dinantum, Dinant. Maſecum, Maßeick. Tongri, Tongern. Franchimontium, Francimont. Thuinum, Thuin. Stokhemium, Stockheim.

Comitatus Hornanus, qui extinctâ Comitum Hornanorum Familia ad Leodienſe territorium rediît. Non procul diſtant Abbatia Malmandarienſis, Malmedy. Abbat. Stabulenſis, Stablo. Comitatus Rechemienſis, Reckheim. Monaſterium Bilſanum, Münſterbilſen. Ballivia Juncetana, Altenbieſen. Abbatia Thorenſis, Thoren.

In Comitatu Bullonienſi eſt urbs Bullonium, alij Bullionum, Bouillon.

§. XI.

DE BELGIO FÆDERATORUM.

In Hollandiæ Comitatu urbes ſunt Amſtelodamum, Amſterdam. Harlemum, Harlem. Narda, Naerden. Muda, Muyden. Monachodamum, Muinckedam. Hornia, Hoorn. Eymonda, Eymond. Enchuſium, Enchuyſen. Medenblicum, Medenblick. Alcmaria, Alkhmar. Teſſelia, Texell. Wilhelmopolis, Willhelmſtatt. Roterodamum, Roterdam. Lugdunum Batavorum, Leyden. Delphi, Delft. Dortracum, Dortrecht. Gouda, Goude. Haga Comitum, Haag. Ruſſvicum, Ryßwick. Graveſanda, Graueſand. Delphorum Portus, Delftshauen. Schonhovia, Schonhofen. Aquæ Veteres, Odewater. Værda, Wöerden. Jſelſteinium, Yſelſtein. Viana, Vianen. Vorconium, alij Morcumium, Worcum. Gorichemium, alij Gorcomium, Gorcum. Crepicordium, alij Crepacorium, Crevecœur. Mons S. Gertrudis, Gertrudenberg.

In vicinia Hollandiæ ſunt Inſulæ Vornia, Voorn. Transflachiana, Oberflackhen. Goderea, Göeree. Beyerlandia, Beyerland. Jſelmunda. Jſelmond.

§. XII.

In Seelandia ſunt inſulæ VII. ſcil. I. Valachria, alij Walchria, Walchern / in qua Mittelburgum, Mittelburg. Ulliſſinga, Ullißingen. Veria, ſeu Campoveria, Veere. II. Bevelandia Auſtralis, Sudbeueland. III. Bevelandia Septentrionalis, Nordbeueland. IV. Duvelandia, Duveland. V. Scaldia, Schowen in qua Portus Broverus, Browertshauen. Ciriczæa, Ziricſee. VI. Tola, Tolen. VII. Woeferdyca, Wolfersdyck.

§. XIII.

In Provincia ultrajectina urbes ſunt Ultrajectum, Utrecht. Amersfordia, Amersford. Batavodorum, Wick. Montfortium, Montfort. Rhena. Rhenen.

§. XIV.

In Geldria Hollandica urbes ſunt Noviomagus, Nimwegen. Tiela, Tiel. Bommelia, Bommel. Lœvvenſteinium, Löwenſtein. Culenburgum, Cuelenburg. Bura, Buren. Arx Schenckij, Schenckenſchantz. Arenacum, Arnheim. Hardevicum, Harderwick. Elburgum, Elburg. Zutphania, Zutphen. Grolla, Groll. Lochemium, Lochen Doesburgum, Döſburg. Borckeloa, Borcklo. Arholtum, alij Anholtium Arholt. Bronchorſtium, Bronckhorſt.

Subjacent hæc Principi Salmenſi & Limburgo-Styrenſi.

§. XV.

In Tranſiſalana urbes ſunt Deventria, Deventer. Campena, Campen. Zvvolla, Zwoll. Haſſeletum, Haſſelt. Vallenhovium, Wallenhouen. Clauſulæ nigræ, Schwartſchluiß Bloczilia, alij Blockzyla, Blockzyl. Stenovicum, Stenwick. Oldeſalia, Oldenzell. Cavordia, Cavorden ꝛc.

§. XV.

§. XVI.

In Gröninga urbes ſunt Gröninga, Gröningen. Vindſchottum, Windſchotten. Burtanga, Burtangerfort. Delfzilia, Delfzil. Damum, Dam.

§. XVII.

In Friſia Occidentali urbes ſunt Leovvardia, Lewarden. Harlinga, Harlingen. Franckera, Francken. Stavernia, alij Stauria, Stavern. Dokumum, alij Docum, Docum. Bolſvardia, Bolſwerth. Kundera, Keinder. Slota, Schlotten. Sneca, Schneck.

Vicinæ inſulæ ſunt Schellinga, Schelling. Amelandia, Ameland, Monicoga, Schiermong.

§. XVIII.

IN Bellgio Auſtriaco ſimul & Gallico Orthodoxa Sacra, ſaltem potiſſima ex parte antiquiſſimam ſuam & conſtantiſſimam tenent ſtationem, quamvis nullo non tempore, præſertim ultimis noſtris Seculis non defuerint hoſtes partim publici, partim occulti plurimi, qui vel ſuis ſedibus Romano-Catholicos pellere, aut ſervatis incolis doctrinam Catholicam invertere laborârunt cuſtodes ovium lupi rapaces, aut potiùs vulpes, vultu Religionem præferentes, ſinu virus & vitium tegentes. De Belgarum genio, moribus & dotibus alijs ſcribit ſequentia *Strada P. I. lib. 1. pag. 25.*

Belgium, quod & Flandria, ab ejus parte illuſtriore apud externos: & inferiores Provinciæ, à depreſſione aliquarum ſitu, ſive ut Germanis placuit, à linguæ morúmque cognatione, Germania inferior appellatur; portio quidem Europæ perexigua eſt, quippe quæ non multùm excedat quintam Italiæ partem, nec ultra milliaria circiter mille ambitu protendatur. Tamen haud ſcio, an facilè ulla ſit uſpiam regio aut ditior, aut frequentior: cùm non minùs fructuum è Belgio ſuo Princeps, quam Anglia Rex Ampliſſima & inſula (ſi demas ſacrorum ſpolia) percipere conſueverit: & urbes in ea ſive mœnibus clauſæ, ſive clauſis magnitudine propemodum pares, ſupra trecentas & quinquaginta cenſantur: pagi vero majores ultra

ſex millia ac trecentos numerentur : ut nihil de minoribus vicis arcibúſque loquar, quibus ſupra omnem numerum conſitus eſt Belgicus ager. Jam hominum virtus, operum molitio, varietas, copia quantùm anguſtias Belgici tractus egreditur? Nuſquam militia aut ingenioſior, aut influentior, aut diuturnior. Planè ut aperto hìc ludo accurrentes undique populos erudire Mars ad bellum videatur. Quæ verò ignota marium littora, quáſve deſinentis mundi oras ſcrutata non eſt Belgarum ars nautica? nimirum quanto illos natura intrà fines terræ contractiores incluſit, tanto ampliores ipſi aperuêre Oceani campos, quos ſubigerent incoleréntque, Belgij velut pomœria prolatantes. At lanificia atque texturæ non implent modò, quanta eſt, Europam; ſed longè latéque per Africæ Aſiæque populos circumferunt quotidie Belgium: ipſique ad occidentem Indi ex laneis ac lineis opificiis Belgarum nomina urbium didicêre. Demum rara admiramur hodie machinamenta, quæ Belga aut non invenerit, aut non abſolverit. Et verò fuerit olim, cùm horum ingenia tanquam ex humilioris ſoli fato depreſſa habebantur. Alia nunc ætas, & mores ſunt. Litterarum curam, maris militiam, navigationum quæſtum, pecuniarum negociationem, Reip. quam ipſi ſibi fecêre, culturam, admiranda ignium aquarúmque artificia, nempe ingenij non utique depreſſi documenta, vix alibi paria, nuſquam certè tam multa ſimul per reliquam Europam, quam uno in Belgio quiſquam viderit. Cæterùm hæc in univerſum genti propria, ſi genio illis ſuo uti liceat: odiſſe fraude, ex fide, qua ipſi digni, alios æſtimare. gratia donísque non magnopere, neque in longum capi; plerumque beneficijs utentes ceu floribus, tamdiu gratis quamdiu recentibus. Eundem adversùs injurias ſenſum eſſe, quarum memoria citò animum exuunt: niſi ſi contemni ſe videant, tamquam ex facili tolerantes; tunc enimvero implacabiliter excandeſcere. Ad hæc vires ſuas metiri haud improbè: nec ferè concupiſcere, quæ non capiant: cum tamen nulli mortalium pari ſolertia terram ac mare ad quæſtum exerceant, utriuſque cultores elementi, atque incerti juris. In hoc etiam perquam admirabiles, quòd quantumcumque lucrum jacturámve, quæ (ut in mercatura perſæpe faciunt) tam modico ſurdóque lætitiæ ac doloris ſenſu prætereunt, ut alienis intereſſe, non ſua curare credas, æquitate opinor animi, ac cœlo illos ſuos frigidiùs amante. At in libertate propugnanda caleſcunt plùs ſatis. Scilicet poſthabere omnia, gloriæ ducunt: licentiæ interdum quam libertati propiores.

Belgium Auſtriacum ſimul & Francicum veneratur Archiepiſcopos duntaxat duos, extincto tertio, nimirum Ultrajectenſi. Duorum

Primus eſt Archiepiſcopus Mechlinienſis in Brabantia, cui ſubditi ſunt Epiſcopi V. ſcil. I. Epiſcopus Antvverpienſis in Brabantia. II. Epiſcopus Brugenſis in Flandria. III. Epiſcopus Gandavienſis in Flandria. IV. Epiſcopus Lovanienſis in Brabantia. V. Epiſcopus Ruremundenſis in Geldria.

Secundus Archiepiſcopus eſt Cameracenſis, olim Dux Romani Jmperij, nunc ab eodem Jmperio diviſus, in Belgio Gallico ſub ſua poteſtate numerat Epiſcopos quatuor, quorum

I. Epiſcopus Atrebatenſis	Omnes in Arteſia.
II. Epiſcopus Tornacenſis	
III. Epiſcopus Audomarenſis	
IV. Epiſcopus Yprenſis	

Academiæ Catholicæ ſunt ſequentes: Duacenſis in Flandria, fundata an. 1563. Lovanienſis in Brabantia 1425.

§. XIX.

BElgij Provinciæ Seculis prioribus diviſæ omnes diverſis omnino Viris & Fœminis Principibus paruêre; Seculis primùm poſterioribus potior earundem pars Hymenæi potiùs aut connubij vinculô, quàm Martis gladiô fuerunt conjunctæ, præcipuè circa annum 1396. quo Margaretha Flandrica Philippo Audaci Burgundorum Duci nupſit, afferens ſponſo ſuo in dotem ſeptem aut plures Provincias connubiorum nexibus priùs colligatas. Provinciis tredecim jam connexis addidit reliquas Caroli V. Jmperatoris prudentia ſingularis, qua Belgârum univerſorum in ſe rapuit animos, natus ipſe Gandavi an. 1500. Provinciæ reliquæ erant 1. Grôninga an. 1521. 2. Ultrajectum & 3. Tranſiſalana an. 1529. 4. Geldria an. 1543. inter 17. Provincias uni Carolo Hiſpano Regi aut Archiduci Auſtriaco ſimul ſubditas. Addere hoc loco lubet, quæ *Strada P. I. pag. 26. in margine appoſuit: Provinciæ convenêre in Principem unum tribus viis. Philippus Bonus habuit eas affinitate. Carolus Pugnax emptione & armis: ſed idem aliquas amiſit. Maximilianus recuperavit partim*

armis

armis; partim ex conditionibus pacis. Carolus V. Imp. omnes demum obtinuit. Mortuo Carolo haud diutiùs, quàm ad annum uſque 1560. amicitiæ & obedientiæ fœdere colligari ſuſtinuerunt; vinculum enim utrumque rumpere quamprimum ſuaſerunt ſectarum prorſus novarum etiam in Belgium irrumpentium molimina; item Belgarum ad ſeditiones proniſſimorum audacia; nec non Hiſpanorum ſub Philippo II. Rege longè major, quàm ſub Carolo vis aut imperitandi violenta ratio. *Strada P. I. l. 2. pag. 65. 66. & ſeqq.*

Inter ſeditionis authores numerabantur Wilhelmus Uranius, hujus item frater Ludovicus de Naſſau, nec non Comites de Egmond & Horn, quorum duo poſtremi an. 1568. capite plexi, Ludovicus verò à Duce de Alba Hiſpano prope Amiſin fluvium in pugna victus, Wilhelmus denique poſt variam belli aleam author & promotor ſeditionis eſſe perſeveravit, negotium grande faceſſens cunctis deinceps in Bellgio Gubernatoribus. Ejusdem hortationibus animata Hollandia, Geldria, Seelandia, Friſia & Ultrajectenſis Provincia conjurârunt an. 1579. adversùs Philippum II. Quinque his Provinciis libertatem ſectantibus acceſsêre Gröninga & Tranſiſalana in id unum intentæ omnes, ut erigerent more Helvetiorum Rempublicam nullis Regum legibus ligandam. Harum proin ſeptem Provinciarum conſenſum dixêre *unionem Trajectenſem*, aut *Belgium Fœderatum.*

Tanta erat Provinciarum harum nullo non tempore in ſuo propoſito conſtantia, aut pertinacia, ut Belgij Hiſpanici Gubernatores, Joannes præſertim Auſtriacus, Alexander Farneſius, & Albertus Auſtriacus paucorum annorum intervallo humanis viribus pene majora opera in ſe ſuſceperint, & ritè pleraque perfecerint, nunquam tamen expugnare penitus valuerint contra nitentium conatus, qui identidem plus ultra graſſaturi, navigia ſua ad Indos Orientales uſque direxerunt Hiſpanorum & Luſitanorum detrimento longè maximo. Ad annum uſque 1609. hoſtilia utrinque arma ſummam vim exeruêre; donec denique duodecim annorum induciæ placuêre. An. 1622. denuo reſumptis animis & reſtauratis viribus pugnatum ſtrenuè tam ab Hiſpanis, quàm ab Hollandis, quorum poſtremis

cùm accederent Hiſpanorum Hoſtes Galli, Belgium totum plures in partes cœpit dividi, Gallis & Hollandis potiores victorias & prædas numerantibus. Anno demum 1648. Hiſpaniæ Rex Philippus IV. de VII. inferioribus Belgij Provincijs recuperandis ſpem omnem depoſuit conceſſa pace earundem raptoribus, quos in pacis ac pactorum ſynopſi vocavit *tanquam liberos*, utì refert *Hübnerus P. II. pag. 1137. in Hiſtor. Holl. Funccius P. III de Repub. Belg. n. 305.* Atque hæc libertas quantas ſit nacta vires, docuêre tempora, quibus Batavi variis omnino Regibus terrâ maríque obſtitêre victores ſæpiùs, quàm victi: bella enim geſsêre ingentia cum Anglis, Suecis, Luſitanis & Gallis majori ſuâ ferè ſemper, quàm hoſtium fortuna. Pax certè Weſtphalica, Noviomagenſis & Rüſvvickiana Batavis proficua magìs, quàm noxia fuit. Vid *Foreſtium P. III. pag. 419. in geſtis Philippi II.*

Belgium quantos ſuis dominis per annos ſingulos poſſit parere proventus, gemino ex rerum capite dimetiri licet, nimirum ex variorum Regum ſumptibus, quos in ſubigendo incaſſum Belgio amiſêre, & ipſiſmet Belgarum fœdere junctorum divitiis, quas bellorum vorago abſorpſit. Innumerabiles ferè ſunt bonorum expenſæ, quas nunc Reges Hiſpaniæ, nunc Reges Galliæ, nunc Reges Angliæ numerabant. Certè Philippus II. intra 20. annorum ſpatium ſumptuum in Belgio factorum copiam æqualem dixit 24. aureorum millionibus. *Foreſtius aliique authores* tametſi hunc aureorum numerum non exprimant, addunt tamen innumerabiles ſumptus fuiſſe factos. Si Angli minorem auri ſummam couſumpsêre, Ludovicus XIV. Franciæ Rex fortè faciendîs expensîs ſuperavit tam Anglos quàm Hiſpanos. Nihilominus Hollandis, ùt vocamus, vix unquam defuit auri argentíque copia, qua tot hoſtibus non magìs ferrô, quàm aurô valentibus occurrerunt. Abiît proinde in proverbium inter Germanos multos: vix major eſt in òrbe domina, quàm Batavorum pecunia.

Batavi tametſi ſuis in Provinciis patiantur frumenti, ligni & vini defectum perpetuum, mercimoniîs tamen ſuîs comparant facilè horum omnium & rerum aliarum abundantiam; vinum enim

ſuum commutant Batavorum mercibus Galli maximè & Hiſpani &c; ligna concedunt Dani, frumentum varia natio.

Inter Batavorum merces veniunt etiam haleces, quos menſe Auguſto in mari Germanico tantô capiunt numerô, ut annis ferme ſingulis vendere liceat exteris mercatoribus halecum copiam ſex imperialium millionibus æſtimatam. His ſimilia habet *Funcius P. III. de Repub. Belg. n. 378. & ſeq.*

TABULA UNIVERSA.

CHOROGRAPHIA HELVETIÆ, FÆDERATORUM AC SUBDITORUM.

§. I.

HElvetia ſua longitudine vix major 50. milliaribus Germanicis; latitudine verò ſua facilè æquat 30. aut 32. milliaria Germanorum menſuræ comparata. Eadem à Septentrione & Oriente junctam ſibi habet Germaniam, Scilicet Tyrolim & Griſoniam, Sueviam, Sylvam Hercyniam, & Alſatiam; à Meridie Sabaudiam, Mediolanenſium Ducatum &c. ab occaſu Comitatum Burgundiæ & Delphinatum.

In Helvetia partim lacus, partim fluvij ſunt V. ſcil. 1. Lacus Podamicus inter Sueviam & Helvetiam. 2. Lacus Lemanus in finibus Helvetiæ inter Galliam & Sabaudiam. Lacuum in Helvetia plurium ac minorum hìc non habetur ratio. 3. Rhenus, cujus origo eſt in Griſonia. 4. Rhodanus, cujus fons eſt in Valeſia. 5. Arola per medium Helvetiæ currens miſcet ſe Rheno.

Helveti unà cum ſuis ſociis ac ſubditis varias poſſedêre Provincias, quarum alias occupant hodie Helveti, alias horum ſocij, & demum alias eorundem ſubditi. Tres itaque in partes principes divide-

videmus Helvetiam totam, diviſuri deinde has partes in ſuas veluti particulas.

§. II.
DE HELVETORUM REPUBLICA, SEU IPSIS HELVETIS.

Helveti univerſum ſuum teritorium in XIII. Regiones diviſêre, quas ipſi Cantones vocârunt, qui ſunt ſequentes, ſcilicet

QUATUOR SUNT IN MEDIO

I. Regio Lucernenſis, in qua ſunt urbes — Der Canton Lucern /
Lucerna, - - - Lucern.
Sempacum, - - - Sempach.
Surſea, - - - Surſee.

II. Regio Sylvanienſis, in qua ſunt oppida — Der Canton Unterwalden /
Stantia ſeu Statio, - Stanz.
Sarna, - - - Sarnen.

III. Regio Suicienſis, in qua eſt — Der Canton Schweiz /
Suitium, alij Suitia, - - Schweiz.

IV. Regio Tugienſis, — Der Canton Zug /
in qua eſt Tugium, - - Zug.

TRES VERSUS BOREAM

I. Regio Tigurina, in qua ſunt urbes — Der Canton Zürch /
Tigurum, - - - Zürch.
Egliſovia, - - Egliſau.
Kyburgum arx, - - Kyburg.
Regenſpurgum, - - Regenſperg.

II. Regio Schafhuſienſis, in qua ſunt — Der Canton Schafhauſen /
Schafhuſia, - - - Schafhauſen /
Neokirchium urbecula, - Neükirch.

III. Re-

III. Regio Baſileenſis,		Der Canton Baſel/		
in qua ſunt urbes				
Baſilea,	-	-	-	Baſel/
Laucoſtabulum,		-	-	Liechſtal.
Auguſta Rauracorum,			-	Augſt.

TRES VERSUS ORIENTEM ET MERIDIEM

I. Regio Abbatiſcellenſis,		Der Canton Appenzell/		
in qua eſt ſola				
Abbatis-cella,		-	-	Appenzell.
II. Regio Glaronenſis,		Der Canton Glaris/		
in qua eſt ſola				
Glarona,	-	-	-	Glaris.
III. Regio Uranienſis,		Der Canton Ury/		
in qua eſt				
Altorffium,	-	-	-	Altorff.

TRES VERSUS OCCIDENTEM

I. Regio Bernenſis,		Der Canton Bern/		
in qua ſunt urbes				
Berna,	-	-	-	Bern.
Burgdorffium,		-	-	Burgdorff.
Arburgum,	-	-	-	Arburg.
Habsburgum,		-	-	Habſpurg.
Königsfelda,		-	-	Königsfeld.
Lauſonium,		-	-	Lauſanne.
Ebrodunum,		-	-	Yverdon.
Aventicum,		-	-	Wilfflisburg.
II. Regio Friburgenſis,		Der Canton Freyburg/		
in qua eſt				
Friburgum,	-	-	-	Freyburg.
III. Regio Solodorenſis,		Der Canton Solothurn/		
in qua ſunt				
Solodorum,		-	-	Solothurn.
Olta,	-	-	-	Olten.

Minorum locorum ubique non habetur ratio.

§. III.

§. III.

HElvetia olim tota ex aſſe Catholica nunc pro Romano Pontifice, nunc pro Rege Chriſtianiſſimo ſtrenuè pugnavit; igitur à Julio II. Roman. Pont. Helvetij an. 1512. *Propugnatores* & *Defenſores Pontificiæ Dignitatis* appellati ſunt ex ſuo merito. Eosdem deinde an. 1515. Leo X. Pont. *Eccleſiæ Defenſores* dixit. De Helvetiorum inter Gallos æſtimatione ac pretio hæc habet *Brietius Hiſtoricus fol. 779.* anno 1480. *primùm fædus initum eſt inter Ludovicum XI. Regem & Helvetios, quorum ille primus civis & fœderatus renuntiatus eſt. Horum operâ Franci Reges utiliter uſi ſunt, & ſine dubio ſervatam Religionem debemus ob fortitudinem in prælio Druidenſi, in quo ſupra homines pugnavêre. Vid. eundem auth. etiam an. 1512.*

Verùm has laudes eximias obſcurârunt ſummopere quatuor Regiones Helvetiorum integræ, eæque inter omnes ferme maximæ, nimirum Regio Bernenſis, Tigurina, Schafhuſiana, & ex parte Glaronenſis ac Abbatis-cellenſis, quæ doctore Zvvinglio olim Conſtantiæ Canonico, tunc verò à Romanis aris transfuga, didicêre Calvini potiſſimùm placita. Hæc ipſa doctrina recentior inter ipſos Helvetiorum limites peperit bella non rarò domeſtica, in quibus Catholici, tametſi numerô & viribus minores longè, de Calvinianis triumphârunt prioribus certè ſeculis, non item hoc noſtro ſeculo. *D. Carolus Boromæus* S. R. E. Cardinalis, *Helvetiorum Apoſtolus* jure vocatus conſervavit ac confirmavit in ſervanda Fide plurimos, qui aliàs majoris & pejoris numeri exemplô ſeducti ad Zvvinglij greges abiîſſent. Epiſcopi Conſtantienſis, Baſileenſis, Lauſanenſis, Curienſis & Genevenſis grandem ovium & paſcuorum jacturam paſſi, de paſtoribus vigilantioribus proſpexêre tandem infectis ſcabie gregibus. Cæterùm inter Paſtores Principes etiam hodie eminet Legatus Pontificius, qui Lucernæ ſedem ſtabilem fixit hactenus.

§. IV.

HElvetiam prioribus ſeculis Romani Jmperij magna ex parte Provinciam, incoluerunt Germanorum nobiles permulti, quorum divitiæ & ſplendor cum Helvetiorum plebi diſpliceret

mu-

maximè, haud una tantùm nobiles inter ac ignobiles ſimultas exorta, eò denique exarſit, ut nobiles ab ignobilibus pulſi exulum more in Sueviam aut alias Regiones vicinas ſeſe receperint, præcipuè tempore interregni, quo eligi denuo Cæſarem aſſertorem ſuum enixè deſiderârunt. Electus proſperè Rudolphus Habſpurgicus ea pollebat apud populares ſuos Helvetos authoritate, ut nobiles ſuis ſedibus reſtituti, ſecurum inter plebejos locum invenerint; quo ex tempore nobilium plerique pro Archiducibus Auſtriacis, ignobiles verò pro Auſtriacorum hoſtibus ſtare ac certare fixum ratum habebant; unde Alberti I. Jmperatoris in Helvetia hoſtes jam multos auxit plurimùm Joañes Sueviæ Dux & conjurati ſocii j Udalricus Palmius, Rudolphus Warth & Walterus Eſchenbach, fœderis Helvetici vel authores, vel adjutores, vel certè prodromi. Proniſſimis jam ad ſeditionem ſubditis oppoſuêre ſeſe Archiduces Auſtriaci Albertus I. Fridericus Pulcher, hujus item frater Leopoldus cognomentô Glorioſus, quorum ultimus an. 1315. propè montem Morgarten (occiſo priùs jam avo ſuo Alberto à conjuratis ſociis) ab Helvetis victus, accepta clade multis præluſit cladibus; clades enim ab Helvetis accepêre deinde Leopoldus Probus, qui an. 1386. prope Sempachum cum 676. nobilibus cecidit. Non multùm feliciùs certavit contra Helvetos *Fridericus cum crumena vacua* dictus, & hujus frater Leopoldus Craſſus, Probi Leopoldi uterque filius, quorum prior, quòd Joannis XXII. Pont. partes defenderet, à Concilio Conſtantienſi anathemati ſubjectus, ditionibúſque ſuis exutus, tametſi Tyrolim recuperârit annitente Sigiſmundo Jmperatore, bona tamen ab Helvetis adempta nunquam ſibi valuit vindicare, vi impeditus multa. Tot jam clades multiplicârunt damnô ſuô maximô Sigiſmundus Friderici hujus filius Archidux & Maximilianus I. Jmperator Friderici III. Jmp. filius, qui infauſto plerumque cum Helvetis Marte pugnârunt. Jam verò Jmperatores & Auſtriæ Archiduces priorum Succeſſores duobus ſeculis Helvetos infeſtis armis haud petiêre, quin ſtabilita pace Weſtphalica *liberos populos* dixerunt, à quibus proin crebrò ſtipendiarios accepêre milites, ut pugnarent unà cum Cæſare Auſtriaco contra hoſtes Helvetis longè majores.

Obicem itaque Auſtriacis, quò minùs Helvetios ſibi ſervârint ſubditos, poſuerunt ipſimet Jmperatores tum priores, tum etiam durante ſeditione poſteriores. Vetuſtorum fortè erat primus Ludovicus Pius Caroli M. filius Seculi IX. Jmperator ſecundus, qui Helvetiis haud vana conceſſiſſe fertur privilegia. Vid. *Jacobum Fuggerum. Chriſtian. Funccium. Chronicon. Alſat. Solodoranum &c. Hibnerum P. II. n. 1159. in Hiſtoria Helvet.*

Obicem alterum poſuerunt victoriæ multæ contra hoſtes varios operâ Helvetiorum vel unicâ vel maximâ reportatæ, quas ſecuta ſunt encomia & honorum nomina ab ipſiſmet Pontificibus & Regibus genti laudis avidiſſimæ indita.

Obicem objecêre tertium Henricus VII. & Ludovicus Bavarus Jmperatores, quorum hic Friderici Pulchri perpetuus æmulus, confæderatis Helvetis eam, ad quam avidiſſimè anhelabant, non negavit auram libertatis, ut nempe libertati ſuæ locus potior eſſet in Jmperio, cujus Sceptrum Electorum pars Friderico Pulchro ſuffragiîs ſuîs vendicârat.

Obicem etiam poſuerunt Concilia gemina inter Germanos ab univerſa Eccleſia celebrata; alterum Conſtantiæ, alterum Baſileæ; quo tempore dum adversùs Fridericum anathemate percuſſum conceſſa fuit Helvetis in bona Auſtriaca irruptio, nullo dein pacto expelli potuêre, quin adeò crevit eorundem audacia, ut Baſileenſe conciliabulum adversùs quoſvis oppugnatores in ſe ſuſceperint propugnandum, facti Huſſitarum amici publici.

Obicem addidêre Reges Galliæ & fædere conjuncti Helvetis ſocij multi, quorum alios cives, alios ſocios, alios ſubditos vocavêre. Inter Helvetiæ cives venire, aut eos inter eminere non dubitavit ipſe Ludovicus XI. Francorum Rex, qui an. 1480. ſe *civem Helvetiorum* teſte *Brietio* nominavit. Tantas vires accepit infirma quondam Helvetiorū libertas! A morum probitate Helvetios plurimùm laudat *Funccius Lib. III. pag. 253.* dum ſcribit in hunc modum: *in univerſum moribus Helvetij ſatis bene ſe habent: vivunt enim temperanter: nec apud illos reperire licet æquè crebra adulteria & vagas libidines, ac apud finitimas gentes. Et quamquam Germani ſint, & à vitiis horum non prorſus alieni*

alieni : ebrietati tamen non ita dediti ſunt. Sunt parci & frugales, vivítque major illorum pars lacte & carne, ut Veteres Germani. Plura vide loc. cit.

§. V.
DE FÆDERIS HELVETICI INITIO ET PROGRESSU.

HElvetorum fæderi initium dederunt Regiones ſeu Cantones tres circa annum 1308. nimirum Suizenſis, Urienſis & Subſylvanus, qui poſt victoriam prope Morgarten relatam an. 1315. pacta inter ſe denuo confirmârunt exemplô ſuô proximè alios tracturi ad ſui ſuorúmque ſequelam; anno namque 1322. fædere ligatorum partibus adhærere cœpit Regio Lucerneuſis.

An. 1351. Regio Tigurina & Tugienſis.
An. 1352. Regio Bernenſis & Glaronenſis.
An. 1481. Regio Friburgenſis & Solodorana.
An. 1501. Regio Baſileenſis & Schafhuſiana.
An. 1513. Regio Abbatis-Cellenſis. In referendis annis multùm ab *Hübnero* diverſus eſt *Hofmanus & Funccius*; hic enim *T. III. de Republica Helvetica* ſic habet n. 244.

Lucerna fædus amplexa anno 1332. M. Novembr. Tigurum receptum eſt in fædus an. 1531. M April. Glaronenſes eodem recepti ſunt anno. Tugii recepti aut adacti potiùs per vim an. 1352. Bernates in idem conceſsêre fædus an. 1353. Abbas San-Gall. in fædus receptus eſt an. 1451. Abbatis-Cella recepta in temporarium ac particulare fædus an. 1452. in perpetuum an. 1503. Urbs S. Galli an. 1453. recepta: nec tamen pertinet cum ſuo Abbate ad ipſos Cantones, ſed ad Confæderatos. Urbs Schaffhuſina fædere jungi cœpit an. 1454. Friburgenſes & Solodorenſes in fædus recepti 1481. primùm cum Bernatibns, Tigurinis & Lucernatibus pangentes. Baſilea urbs Helveticarum ampliſſima demum an. 1501. utì & Schaffhuſium, antè temporali, tunc perpetuò fædere adſtrictum, ſe aſſociârunt. Rottvvila ſe adjunxit an. 1519. Mülhuſium an. 1515. Rhæti acceſſerunt ad fædus an 1498. Valeſiorum verò acceſſio circa an. 1475. facta. Hactenus *Funccius*

§. VI.

DE SOCIIS HELVETIORUM.

Socij Helvetiorum ſunt.

I.	Tota Rhætia. -	Graubinderland.
II.	Epiſcopus Baſileenſis cum Cantonibus Catholicis.	
III.	Princeps Abbas & Urbs S. Galli.	Der Fürſt und Statt St. Gall.
IV.	Valeſia. - -	Walliſerland.
V.	Principatus Neocomenſis.	Frantzöſiſches Neuburg.
VI.	Reſpublica Genevenſis.	Die Republic Genf.
VII.	Bienna Regio. -	Biel.
VIII.	Urbes Mülhuſium & quondam Rottvvila.	Müllhauſen und Rottweil.

§. VII.

DE SUBDITIS HELVETIORUM.

Subditi Helvetiorum dicuntur urbes prope Germaniam, ſcil.

Bada, ſeu Thermæ Helvetiorum.	Baden.
Certiacum, ſeu Forum Tiberij.	Zurzach.
Tribunal Cæſaris. - -	Keyſerſtuel.

Item Provinciæ ac Regiones, ſcilicet:

Provinciæ liberæ. - -	Die freyen Aembter.
Turgovia. - - -	Turgäy.
Vallis Rheni ſeu Rheguſia. -	Rheinthal.
Tractus Sarunetum. - -	Sarganß.
Caſtra Rhœtica. - -	Gaſter.
Uzenacum. - - -	Uznach.

Subditi Helvetiorum dicuntur Præfecturæ, ſitæ prope Franciam, ſcilicet

Muratum. - - -	Murten.
Grandiſonum. - -	Grandſee.
Urba cum tractu Urbigeno. -	Orben.
Schvvarzenburgum. - -	Schwartzenburg.

Sub-

Subditi Helvetiorum dicuntur Præfecturæ Jtalicæ Tranſalpinæ, ſcil.

I.	Præfectura Luganenſis. –	Lugano.
II.	Præfectura Lorcanenſis. –	Locarno.
III.	Præfectura Mendriſiana. –	Mendriſio.
IV.	Præfectura Madiana. –	Valmagia.
V.	Præfectura Bellinzonia. –	Bellenz.
VI.	Vallis Brunia. – –	Val Brenna.
VII.	Riviera. – – –	Idem.

Superſunt ſubditi Helvetiorum alij, qui licèt eadem ferme gaudeant libertate, qua gaudent Helvetij non-Subditi, ſervitia tamen nonnulla exhibere coguntur Cantonibus etiam illis, quorum membra non ſunt, tales ſubditi dicuntur:

Arovium Bernenſibus ſubdita, –	Arau.
Epiſcopi-Cella Tigurinis ſubdita:	Biſchoffzell.
Pons Arolæ Bernenſibus ſubdita –	Bruck.
Dieſſenhovium Tigur. & Schafhuſ. ſubdit.	Dieſſenhofen.
Gerſovium quatuor Cantonibus ſubditum	Gerſau.
Ruperti villa Bernenſ. & Tigur. jam ſubdit.	Rappersweil.
Ganodurum ſeu Steinium Tigur. ſubdit.	Stein.
Vitodurum Tigurinis ſubditum –	Winterthur.
Tobinium ſeu Zophinga, Bernenſ. ſubdita,	Zopfingen.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

ANtequam de Germanis ordiar ſcribere, Lectorem commonitum volo, me ita ſcribere de Germano Imperio ejúſque nunc univerſis, nunc membris ſingulis, ut longè magìs Hiſtoricus, quàm Jurispublici aut Genalogiæ peritus videri malim; unde quæ multis in locis de Jurepublico inſperſa invenerint Lectores, ita à me dicta exiſtiment, ut quæ in Hiſtoricis legi, methodo Hiſtorica mihi tractanda collegerim, minimè verò in alienam meſſem falcem meam mittere cogitaverim. Quæ ſupra me nihil ad me. Quare nullum in iſthoc libello locum inveniant litigioſa aut, dubia multorum in Imperio Germanico Statuum bona, jura aut privilegia: nullius dignitati, nullius prærogativæ aut ordini præjudicetur: Ratio Status non attingatur: vetuſtas cujuſcunque nominis aut ſtemmatis non lædatur: Imperatorum præcipuè ultimorum, aut Electorum inter ſeſe conventiones, pacta aut jura, quæ Capitulationes vocamus novas, aut enatas inde obligationes, minimè hoc loco diſcutiantur; quæ vetera aut non dubia duntaxat novimus, paucîs referantur. Quodſi nihilominus quiſpiam ſit, qui lædi ſe vel verbulo conqueratur meritò, is non culpam authoris voluntariam magìs, quàm errorem non ſpontaneum irrepſiſſe agnoſcat velim, quem corrigere quamprimum parabit is, qui errorem commiſit. Veniam etiam eò lubentiùs dabunt Lectores æquiſſimi, quòd meminerint, errare humanum eſſe, præſertim verò in re hac ex variis artibus & facultatibus Hiſtoriæ affinibus conquiſita & commixta. In eo maximè poſitum noverint univerſi finem Hiſtorici; talia conquirere ſtuduit, ut ſtudioſa juventus hoc in libello compendium inveniat, unde legendæ Hiſtoriæ initium, non finem faciat: hoc proinde perlecto compendio ulteriùs progrediatur & altiùs aſcendat, edocen-

da clariùs à Juris publici & Genealogiæ apprime peritis, quid dicendum de ſingulorum Statuum in Imperio juribus; quid ſentiendum de Nobilium ceris & generationum tabulis. Guſtum facere, non appetitum ſatiare hìc ſatagimus: ſaturabunt autem multorum Authorum libri & grandia volumina. Ut mentem ejus, qui ſcripſit hunc libellum, citiùs & certiùs deprehendant Lectores, ipſi palpabunt facillimè, ab eodem nullum penitus diverſis in locis ſervatum eſſe dignitatis, nullum meritorum, nullum Juris publici proprium, niſi tum, cùm vel neceſſitudo, vel certitudo rerum ſuadebant ordinem. Æqui proinde boníque conſulet vir non iniquus, quidquid mente optima dictum hìc aut ſcriptum.

TA.

TABULA UNIVERSA.

CHOROGRAPHIA TOTIUS GERMANIÆ.

§. I.

QUoniam de Germania ordimur dicere, non abs re erit, Antiquiſſimorum etiam Germanorum res & mores paucîs deſcribere. *Cornelius Tacitus* Seculi II. poſt natum Chriſtum Romanos inter Authores Author & ipſe nominatiſſimus, Synopſi admodum brevi Teutonum antiqua nomina, ſacra, bella & mores præcipuè complectitur. Hinc qui plura de Antiquiſſimis Teutonibus deſiderant cognoſcere, ji præter *Tacitum* Authores alios perlegant. Nobis ſufficiat ex *Tacito* potiſſimùm ſequentia decernere.

Nomina Teutonum diu ante Chriſti natales florentium fuerunt maximè ſequentia: Marſi, Suevi, Gambrivij, Vandali &c. His proin nominibus longè recentius nomen eſt *Germanus*; nunc enim *Tungri*, nunc Germani cœperunt appellari Teutonum illi, qui Rhenum tranſgreſſi, Gallos procul ſuis ſedibus expulerunt. Quæ autem fuerit cauſa, aut anſa novæ nomenclationis, incertum habetur.

Ante Deos ſuos fictiles & fictitios Germani nondum Sacra Romana edocti, Mercurium coluerunt, cui nonnullis diebus fas eſſe exiſtimârunt humanis etiam litare hoſtiis. Mercurio proximi in veneratione dii erant Hercules & Mars, quos animalium victimis placare ſolebant; pars Suevorum Jſidi etiam ſacrificabat. Penates Germani more aliarum gentium non ſolebant colere, quòd nec cohiberi ullarum domuum parietibus, nec in ullam humani oris ſpeciem

ciem aſſimilari poſſe ex magnitudine deorum cœleſtium arbitrarentur. Lucos tamen ac nemora diis conſecrabant, quarum receſſus ſummâ reverentia ſunt proſecuti.

Germani Reges ſuos ex nobilitate, Duces ex virtute ſumpſerunt. Regibus quamvis ampla, non tamen omnino libera poteſtas fuit conceſſa; Duces verò Regibus minores exemplo potiùs, quàm imperio moderabantur populum, atque adeò rerum agendarum promptitudine, facinorum claritate, & operum admiratione traxêre magìs, quàm ratione aut conſiliis moverunt ſubditos. *Cæterùm* (verba ſunt Taciti) *neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, niſi Sacerdotibus permiſſum: non quaſi in pœnam, nec Ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt, effigiésque & ſigna quædam detracta lucis* (ſylvis ſacratis) *in prælium ferunt.* Quódque præcipuum fortitudinis incitamentum fuit, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum faciebat, ſed familiæ & propinquitates, & in proximo pignora: unde fœminarum ululatus audiri & vagitus infantium: hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera referebant, nec illæ numerare, aut exſugere plagas pavebant; hinc memoriæ proditum eſt, quaſdam acies inclinatas jam & labantes à fœminis reſtitutas conſtantiâ precum & objectu pectoris, & monſtrata cominus captivitate &c.

Concilia ſuadebant ſuo tempore magìs, quàm cogebant, quæ dum die tertia initium accepêre, per ſacerdotes ſilentium imperatum eſt. Tum verò Rex vel Princeps cœpit dicere, authoritate tamen ſuadendi magìs, quàm jubendi poteſtate. Hinc ſi diſplicuit dicentis ſententia, fremitu aſpernabantur; ſin placuit, frameas concutiebant. Hônoratiſſimum autem genus fuit laudîs & aſſensûs, armîs laudare. Eligebantur in conciliis etiam ji Principes, qui jura per pagos & vicos reddebant.

Res cunctas, tum publicas, tum privatas non niſi armati gerebant Germani; arma tamen ſumere non antea cuiquam moris, quàm civitas ſuo ſuffragio armis ſuffecturum probaverit. Audita

verò civitatis ſententia, in ipſo concilio vel Principum aliquis vel patrum aut propinquorum ſcuto frameáque juvenem ornabant. Hæc apud Germanos toga, hic primus juventæ honos erat. Ante alia verò argumenta inſignis majorum nobilitas, aut magna patrum merita adoleſcentulis etiam prodeſſe ſolebant, qui viris robuſtioribus & jam pridem judiciô civitatis aggregabantur probatis.

Regum, Principum & Ducum dignitati proximus erat gradus Comitum, quorum æmulatio maxima comitandi ſuum Principem, ut eſſent in pace decus, in bello præſidium. Comitum honor & gloria non ſolùm apud populares, ſed & apud finitimas gentes erat inſignis, quem legationibus & muneribus augere certabant. Cùm ventum in aciem, turpiſſimum habebatur, Principem virtute vinci, turpiſſimum item virtutem Principis non adæquâſſe comitatum; in omnem verò vitam infame ac probroſum, ſuperſtitem Principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum verò defendere, tueri, propria quoque facta Regis aut Principis gloriæ aſſignare, præcipuum fuit ſacramentum; Principes enim pro victoria, comites verò pro Principe pugnabant. Siqua civitas, in qua orti erant, longa pace aut otiô torpuerit, plerique nobilium adoleſcentes ultrò petebant eas nationes, quæ tum bellô occupabantur. Arare terram, aut exſpectare anni fructus non modò nobiles, ſed & melior ætas univerſa detrectabat; gloria juventutis vocare hoſtes & mereri vulnera: quin imò pigrum & iners videbatur ſudore acquirere, quod quiſque poterat ſanguine parare. Hinc fortiſſimus quiſque & bellicoſiſſimus in pace ſomno cibóq; deditus, delegatâ domus & agrorum cura fœminis ſenibúſque & infirmiſſimo cuique ex familia ſtertebat. Matrimonia Germanis antiquiſſimis erant ſevera; unde à Romanis etiam laudata plurimùm; nam ferè *ſoli*, ùt ait *Tacitus*, *ex barbaris*, contenti fuerunt uxoribus ſingulis, exceptis pauciſſimis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem pluribus nuptiis ligabantur. Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offerebat. Nuptiis intererant parentes, & propinqui ac munera probabant: munera verò non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comabatur, ſed boves, equum & ſcutum cum framea gladióque. In hæc munera uxor accipiebatur, atque invicem

invicem ipſa armorum aliquid viro afferebat. Ne verò ſe mulier extra virtutum cogitationes, extráque bellorum caſus putaret, ipſis incipientis matrimonij auſpiciîs admonebatur, venire ſe laborum periculorúmque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſurámque; hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiarent: ſic vivendum, ſic pereundum eſſe: accipere ſe quæ liberis inviolata ac digna redderent, quæ nurus acciperent rurſúsque ad nepotes referrent. Hanc ob cauſam ſeptâ pudicitiâ agebant uxores, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ.

Pauciſſima in numeroſiſſima gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa, qui acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellebant domo, ac per omnem vicum verbere agebant: publicatæ enim pudicitiæ nullus erat veniæ locus; hinc nec formæ præſtantiâ, nec ætatis gratiâ, nec opum multitudine profligatæ vitæ fœmina maritum invenit: nemo etenim illic vitia, ùt modò ridebat; nec corrumpere & corrumpi ſæculum vocabatur. Solùm Virgines nubebant, & cum ſpe votóque uxoris *Semel* tranſigebatur: ſic unum namque accipiebant maritum, quo modo unum corpus unámque vitam; nec ulla cogitatio ultrà, nec longior cupiditas, ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium amarent, plúsque ibi boni mores valebant, quàm alibi bonæ leges. Sua quemque filium mater uberibus alebat, nec ancillis aut nutricibus delegabantur: unde dominum ac ſervum nullis educationis deliciîs dignoſcere poterant: inter eadem pecora, in eadémque humo degebant; donec ætas ſeperaret ingenuos, virtus agnoſceret. Sera juvenum Venus; nec virgines feſtinabantur. Hæredes ſucceſſoréſque ſui cuique liberi & nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt, proximus gradus in poſſeſſione eſt, nimirum fratres, patrui, avunculi. Quo plus propinquorum, aut major affinium numerus, eò gratioſior ſenectus.

Convictibus & hoſpitiis non alia gens effuſiùs indulgebat; quemcunque enim mortalium arcere tecto nefas habebatur; pro fortuna ſua quiſque apparatîs epulîs hoſpitem excipiebat; cùm verò de-

fecerit, qui modò hoſpitiô exceperat, is monſtrator hoſpitii & comes proximam domum non invitatus cum hoſpite adibat, ac pari humanitate accipiebantur, quòdque mirum dictu, notum ignotúmque, quantum ad jus hoſpitij, nemo diſcernebat. Abeunti ſi quid popoſcerit hoſpes, concedere fuit moris, & poſcendi invicem par facilitas; gaudebant enim muneribus; ſed nec data imputabantur, nec acceptis obligabantur. Lauti cibum capiebant; ſeparatæ ſingulis ſedes & ſua cuique menſa: diem noctémque continuare potando, nulli probrum. De reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis Principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis conſultabant. Potui humor ex hordeo, aut ex frumento in quamdam ſimilitudinem vini corruptus: proximi verò amnium ripæ vinum mercabantur. Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum. Adversùs ſitim non ſatìs cavebat temperantia: hinc ſi indulſerint ebrietati, faciliùs ebrietatis vitiis, quàm armis vincebantur. Gens nec aſtuta, nec callida aperiebat adhuc ſecreta pectoris, licentiâ loci. Aleam (quod mirere) ſobrii inter ſeria exercebant tantâ lucrandi perdendíve temerirate, ut cùm omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de libertate & de corpore contenderint. Victus voluntariam ſervitutem adibat: quamvis junior, quamvis robuſtior alligari ſe ac venire patiabatur, ut datam fidem ſervaret. Fœnus agitare, & in uſuras extendere ignotum erat, ideóque magìs ſervabatur, quàm ſi vetitum fuiſſet. Funerum nulla ambitio: id ſolùm obſervabatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis cremarentur. Struem rogi nec veſtibus, nec odoribus cumulabant: ſua cuique arma, quorundam igni equus adiiciebatur. Sepulchrum ceſpes erigebet; monumentorum arduum & operoſum honorem, ùt gravem defunctis aſpernabantur. Lamenta ac lacrymas citò, dolorem & triſtitiam tardè poſuerunt. Fœminis lugere honeſtum fuit, viris meminiſſe.

Hæc ferè Tacitus.

§. II.

Longiſſimè diverſus eſt Status Germaniæ modernæ à ſtatu Germanorum antiquiſſimo; & licèt aliàs Germania in Geographico

phico univerſæ Europæ corpore pectoris locum obtinuerit, ipſa tamen ſe ſola etiam corpus efficit in caput & membra eleganter diſtinctum, & à nobis diſtinguendum ea methodo, ut tam capiti quàm membris omnibus ſua jura, bona & proprietates multæ addantur; hac enim ratione eveniet, ut ſuis quaſi coloribus & caput & membra in Jmperio Germanico diſtinguantur, & Lectorem benevolum rerum varietas delectet non parùm. En igitur & caput & membra Corporis Germani à Juris-Publici peritis ſequenti ordine deſcriptum. Vide *Münſchmayr, Hermetem* &c.

CAPUT

I. Auguſtiſſimus Jmperator, cui temporis Succeſſu acceſſerunt Romanorum Rex & Jmperatrix Auguſta, *quam aliqui Rom. Regi anteponunt.*

MEMBRA IN ORDINE ECCLESIASTICO.

II. Archiepiſcopi ſimul & Electores Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis.

III. Archidux Auſtriæ, Archiepiſcopus Saliſburgenſis, & hodie Archiepiſcopus Viennenſis, quondam verò etiam Archiepiſcopus Viſuntinus, & Dux Burgundiæ.

IV. Magiſtri Equitum duo Principes, nempe Equitum Teutonicorum Mergenthemienſis in Franconia, & Equitum S. Joannis, vulgò Melitenſium, dictus Princeps Heitershemienſis in Briſgoia, & per Germaniam Prior; qui tamen in ordine Jmperij poſtponitur Epiſcopis &c.

ORDINE ALPHABETI

V. Epiſcopi, Argentoratenſis, Auguſtanus, Bambergenſis, Baſileenſis, Brixinenſis, Conſtantienſis, Curienſis, Euſtadianus, Friſingenſis, Herbipolenſis, Hildeſienſis, Leodienſis, Lubecenſis, Monaſterienſis, Oſnabrukenſis, Paderbornenſis, Paſſavienſis, Ratisbonenſis, Spirenſis, Tridentinus, Wormatienſis.

VI. Principes Abbates, Bertholdsgadienſis, Campidunenſis, Corveienſis, Elvacenſis, Fuldenſis, Prumienſis, Stabulenſis, & quondam etiam Luderenſis, Murbacenſis & Weiſſenburgenſis.

VII. Abbates in Ordine Suevico: Augiæ Divitis, Elchingenſis, Gengenbachenſis, Marchtalenſis, Münchrodenſis, Oxenhuſanus, Ottoburanus, Petershuſanus, Roggenburgenſis, Salmenſis, Schuſſenriethenſis, Urſpergenſis, Weingartenſis, Weiſſenavienſis, Wettenhuſanus, Yrſingenſis, Zvvifaltenſis.

VIII. Abbates in Ordine Rhenano: Auguſtanus ad S. Udalricum, Bruchſalenſis, Cæſareenſis, Jſnenſis ad S. Georgium, Odenhemienſis, Ratisbonenſis ad S. Emeramum, Walckenriedenſis, Werdenſis.

IX. Abbatiſſæ partim Principes, partim non Principes; quondam Andlavienſis, Baintenſis, Buchavienſis, Burſcheidenſis, Eſſendienſis, Gandershemienſis, Gernrodenſis, Heggenbachenſis, Herfordenſis, Jnferioris Monaſterii Ratisbonæ, Lindavienſis, Monaſterii rubri, Quedlinburgenſis, Superioris Monaſterij Ratisbonæ.

MEMBRA IN ORDINE SECULARI.

X. Electores S. R. J. Rex Bohemorum, Dux Bavarus, Dux Saxonicus, Dux Brandenburgicus, Dux Palatinus, Dux Brunſuicenſis Hanoveranus.

XI. Duces & Principes Antiquiores: Badenſis Marchio uterque, Brunſuicenſis & Luneburgicus Dux, Haſſiæ Landgravius, Holſteinius Dux, Lotharingus Dux, Megalopolitanus Dux, Onoltinus & Byruthanus Princeps, Palatini Duces, dicti Comites, Sabaudiæ Dux, Saxoniæ Duces, Wirtenbergicus Dux.

XII. Principes Recentiores: Arenbergicus: Auerſpergenſis, de Croy, Dietrichſteinius, Eggenburgenſis, Friſiæ Orientalis, Fürſtenbergicus uterque, Hanavienſis, Hohenzolleranus, Lambergenſis, Liechtenſteinius, Lœvvenſteinius, Lobkovvizenſis, Mindelhemienſis, Naſſavienſis, Oettinganus, Piccolominius, de Porcia, Salmenſis, Schvvarzenbergicus, Schvvarzenburgicus, de Thurn & Taxis, Waldekenſis.

XIII. Comites & Barones in quatuor Ordines, ſeu ùt vulgò vocant, quatuor Scamna diviſi, quorum primum appellant Wetteravienſe, ſecundum Suevicum, tertium Franconicum, quartum Weſtphalicum.

In

In Ordine Wetteravienſi ſunt Comites & Barones his Germanicis nominibus expreſſi, & Ordine Alphabeti collocati; quoniam Authores aliö Ordine vel non exprimunt, vel inter ſeſe non bene conveniunt: Berg, Crichingen, Flekenſtein, Hanau, Hazfeld, Jſenburg, Leiningen, Mansfeld, Naſſau, Ortenburg, Wild & Rhein, Reuſſen, Sain & Wittgenſtein, Schönburg, Schvvarzburg, Solms, Stolberg, Waldeck, Wartenberg &c.

In Ordine Suevico ſunt Comites & Barones his pariter Germanicis nominibus noti: Cronberg, Freyberg, Fugger, Fürſtenberg, Gravenegg, Hohenems, Königſegg, Maxelrein, Montfort, Oettingen, Rechberg, Pappenheim, Schlick, Sinzendorff, Sulz, Tilly, Abensberg, & Traun, Trautmansdorff, Truchſeſſe de Waldburg, Waldſtein, Weiſſenvvolff, Wolckenſtein, Wolffſtein &c.

In Ordine Franconico ſunt partim Comites, partim Barones: Caſtell, Dernbach, Erpach, Geyer, Hohenlohe, Limburg, Lœvvenſtein & Wertheim, Noſtiz, Schönborn, Windiſchgräz &c.

In Ordine Weſtphalico ſunt partim Comites partim Barones: Bentheim, Bronkhorſt & Gronsfeld, Lippe, Manderſcheid, Marck, Metternich, Ranzau, Reckheim, Rietberg, Salm & Reifferſcheid, Teckelnburg & Steinfort, Vehlen, Waltpode de Baſſenheim, Wied &c.

XIV. Urbes Jmperij in duos Ordines ſeu Scamna diſtinctæ. In Ordine Rhenano ſunt Aquiſgranum, Brema, Colonia, Francofurtum ad Mænum, Fridberga, Gelnhuſium, Goslaria, Herfordium, Lubecca, Mülhuſium, Nordhuſium, Spira, Tremonia, Wezlaria, Wormatia, & quondam in Alſatia urbes Argentoratum, Colmaria, Ebenhemium ſuperius, Hagenoa, Landavium, Monaſterium in valle Gregoriana, Mons Cæſaris, Roshemium, Schletrſtadium, Türckheimium.

In Ordine Suevico ſunt Alena, Auguſta, Biberacum, Bopfinga, Buchavia, Buchornia, Campidunum, Dünckelſpila, Eslinga, Gemundia Suevorum, Gengenbachium, Gienga, Hala Suevorum,

Heilbrunna, Jſna, Kauffbura, Leutkirchium, Lindavium, Memminga, Nördlinga, Norimberga, Offonisburgum, Pfulendorffium, Ratisbona, Ravenſpurgum, Reitlinga, Rotenburgum ad Tuberim, Rottvvila, Schvveinfurtum, Uberlinga, Ulma, Weinſhemium, Weiſſenburgum Septentrionale, Willa, Wimpfa, Zella. Ita ferè *P. Scherer*, fortè ne quem offendat præponendo unum alteri, quod idem & ego facio.

XV. Denique Membra in Corpore Jmperij ſunt Equites ſanguine illuſtres per Franconiam, Sueviam, Wetteraviam & ad Rhenum plurimi; tam de his, quàm omnibus aliis Jmperij Statibus plura dicemus ſuô locô.

§. III.

Ordinem ſequentem tum Juris periti publici, tum Hiſtorici paſſim poſuère, quem affirmant obſervari in Conventibus Jmperij publicis. Vide *Schvvederum, Münchſmayr, Hermet.* &c.

Electores Eccleſiaſticos, Archiducem Auſtriæ, Archiepiſcopum Salisburgenſem, Viennenſem, & quondam Viſuntinum vide ſuperiùs.
Eoſdem ſequuntur
Ordinis Teutonici Magiſter.
Epiſcopi: Bambergenſis, Herbipolenſis, Wormatienſis, } alternis ſibi invicem præcedere dicuntur vicibus.
Euſtadianus, Spirenſis, Argentoratenſis, Conſtantienſis, Auguſtanus, Hildeſienſis, Paderbornenſis, Friſingenſis, Ratisbonenſis, Paſſavienſis, Tridentinus,
Baſileenſis & Brixinenſis } ſedem alternant.
Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, Leodienſis, | horum primus & ultimus ita alternant, ut Oſnabrugenſis conſtanter ſit medius.
Curienſis.
Lubeccenſis Epiſcopus diverſam ab his Sedem occupat.

PRIN-

PRINCIPES ECCLESIASTICI NON EPISCOPI.

Fuldenſis,
Campidunenſis,
Elvacenſis,
Heitersheimenſis,
Luderenſis & Murbacenſis } quondam
} certâſſe dicuntur de loco digniori.

Berchtoldſgadienſis,
Prumienſis &
Weiſſenburgenſis quondam } certabant de prioritate.

Stabulenſis & Corvejenſis } ſunt compeditores.

Sunt Principes alij Eccleſiaſtici, qui rarò, aut nunquam in Comitiis comparere ſolent; dicuntur tamen Status S. R. Jmperij, quales ſunt Epiſcopus Sedunenſis, Principes Abbates ad S. Gallum & Einſidlenſis, Creuzlingenſis Præſul aliíque per Germaniam.

Status Eccleſiaſtici Principibus proximi, qui dividuntur in Ordinem, ſeu Scamnum Suevicum & Rhenanum; in Ordine Suevico vix conveniunt Authores; *Münchſmayr* habet ſequentem Ordinem pag. 269.

Antiſtites Augiæ Divitis, Marchtalenſis, Elchingenſis, Salemitanus, Weingartenſis, Ochſenhuſanus, Irſingenſis, Petershuſanus, Urſpergenſis, Münchrodenſis, Roggenburgenſis, Weiſſenavienſis, Schuſſenriedenſis, Wettenhuſanus, Gengenbachenſis,
Ottenburanum & Zvvifaltenſem. } addidêre alij.

Michaël Münchſmayr alium adhuc Ordinem ſtatuit pag. 330. qui ita habet:

Præſules
I. Salemitanus Ord. D. Bernardi.
II. Weingartenſis Ord. D. Benedicti.
III. Ochſenhuſanus Ord. D. Benedicti.
IV. Elchingenſis Ord. D. Benedicti.

V. Irſingenſis Ord. D. Benedicti.
VI. Urſpergenſis Ord. D. Norberti.
VII. Roggenburgenſis Ord. D. Norberti.
VIII. Münchſrodenſis Ord. D. Norberti.
IX. Weiſſenavienſis Ord. D. Norberti.
X. Schuſſenriedenſis Ord. D. Norberti.
XI. Marchtalenſis Ord. D. Norberti.
XII. Petershuſanus Ord. D. Benedicti.
XIII. Wettenhuſanus Canon. Regulares.
XIV. Gengenbachenſis Ord. S. Benedicti.
XV. S. Blaſij Ord. S. Benedicti.
XVI. Ottoburanus Ord. S. Benedicti.
XVII. Zvvifaltenſis Ord. S. Benedicti.

Hermannus Hermes totus diverſus ita habet: Reichenavienſis, Salmanſchvveiler, Weingartenſis, Schuſſenrietenſis, Oxenhuſanus, Gengenbachenſis, Elchingenſis, Yrſenſis, Ursbergenſis, Rochenburgenſis, Münchenrodenſis, Mundeinenſis & Weſſenavienſis, Marthalenſis, Petershuſanus, Wetterhuſanus, Ottenbajenſis. *Hucuſque idem author ferè ad literam. Vide alios non minùs diverſos.*

SEQUUNTUR ABBATISSÆ IN ORDINE SUEVICO.

Lindavienſis,
Monaſterij Rubri,
Heggenbachenſis,
Guttenzellenſis,
Baintenſis,
} comparent in Comitiis per Legatos.

In Ordine Rhenano ſunt Antiſtites Cæſareenſis, Odenheimenſis ſeu Bruchſalenſis, Werdenſis & Helmſtadienſis, ad S. Udalricum Auguſtæ. In valle Gregoriana Abbas quondam, ad S. Georgium Iſnenſis, S. Cornelii prope Aquiſgranum, ad S. Emeramum Ratisbonæ. Huc pertinet Baliviatus, ùt vocant, Confluentiæ, in Alſatia &c &c.

Sequun-

Sequuntur Abbatiſſæ in Ordine Rhenano,

Eſſendienſis,
Buchavienſis,
Quedlinburgenſis,
Andlavienſis quondam,
Hervordienſis, } Catholicæ quondam
Gernrodenſis
Monaſterienſis inferrior } Ratisbonæ,
Monaſterienſis ſuperior
Burſcheidienſis,
Gandersheimienſis,
Lubeccenſis ad S. Joannem.
} comparent per Legatum.

ORDO DUCUM ET PRINCIPUM SECULARIUM.

Duces aut Principes, quibus præcedit omnibus Archidux Auſtriæ, & quondam Burgundiæ, Bavarus, Magdeburgicus ſcil. Brandeburg, Palatinus Lauterenſis, Palatinus Simmerenſis, Palatinus, Neoburgicus, Bremenſis, nunc Elector Hanoveranus, Palatinus Bipontinus, Palatinus Veldentianus, Saxo-Altenburgenſis, Saxo-Coburgenſis, Saxo-Wimarienſis, Saxo-Eiſenachenſis, Saxo-Gothicus, Brandeburgicus Culmbacenſis, Brandeburgicus Onolſpacenſis, Brunſuico-Zellenſis, Brunſuico-Calenbergenſis, Brunſuico-Guelphobytelianus, Verdenſis ſcil. nunc Hannoveran. Halberſtadienſis ſcil Brandeburg. Würtenbergicus, Haſſo-Caſſelius, Haſſo-Darmſtadienſis, Badenſis, Badenſis Durlacenſis, Badenſis Hochbergenſis, Megalopolitanus Schvverinenſis, Megalopolitanus Strelizenſis, Pomeranianus anterior, Pomeranianus poſterior, Saxo-Lauenburgicus, Mindenſis, ſcil. Brandeburg, Holſteinius Glükſtadienſis, Holſteinius Gottorpienſis, Sabaudus, Leuchtenbergicus, Onoltinus, Hennebergicus, Schvverinenſis, Caminenſis, Razeburgicus, Hirſchfeldenſis, Lotharingus, Arenbergicus, Hohenzolleranus, Eggenbergenſis, Lobkovvizenſis, Salmenſis, Dietrichſteinius, Naſſo-Hadamarenſis & Siegenſis, Naſſo-Dillenburgicus, Auersbergenſis, Friſiæ Orientalis, Fürſtenbergicus Möskirch,

Schvvarzenbergicus, Oettinganus, Mindelhemienſis ſcil. Bavarus, Waldeckenſis, Liechtenſteinius, Piccolominius, De Croy, De Porcia, Hanavienſis, Schvvarzenburgicus, De Thurn & Taxis, Lambergenſis, Lœvvenſteinius, Fürſtenbergicus Stülingenſis. Sunt Principes alij dicti de Jmperio, qui tamen ſedem in Comitiis non habent.

Membra Jmperij ſunt urbes multæ in duos Ordines, ſeu duo, utì appellamus Scamna, nimirum Rhenanum & Suevicum diſtinctæ,

In Ordine Rhenano ſunt Colonia, Aquiſgranum, quondam *Argentoratum*, Lubecca, Wormatia, Spira, Francofurtum ad Mœnum, *Landavium*, *Hagenoa*, *Colmaria* & *Schlettſtadium* quondam, Goslaria, Brema, quondam *Mülhuſium*, Nordhuſium, quondam, *Weiſſenburgnm*, *Obenhemium ſuperius*, *Mons Cæſaris*, *Monaſterium in valle Gregoriana*, *Roshemium*, *Türckhemium*, Tremonia, Fridberga, Wezlaria, Gelnhuſium, Hervordium.

In Ordine Suevico ſunt Ratisbona, Auguſta, Norimberga, Ulma, Eslinga, Reutlinga, Nördlinga, Donavverda quondam, Rotenburgum ad Tuberim, Hala Suevorum, Rottvvila, Uberlinga, Heilbrunna, Gemundia Suevorum, Memminga, Lindavium, Dünckelſpila, Biberacum, Ravenſpurgum, Schvveinfurtum, Campidunum, Weiſſenhemium, Kauffbura, Wila, Isna, Pfullendorffium, Offenburgum, Leutkirchium, Wimpfa, Weiſſenburgum Septentrionale, Gienga, Gengenbachium, Zella, Buchornia, Alena, Buchavia, Bopfinga. *Ita ferè ad verbum Münchſmayr aliique cit.*

Sequuntur aut præcedunt Comites in quatuor Scamna diviſi, quorum nomina authores vel omnino non exprimunt, vel Ordine Alphabetico ponunt, quoniam alterum Ordinem fortè neſciunt, vel ſtudio omittunt.

§. IV.

DE POTESTATE, JURE ET PROPRIETATIBUS JMPERATORIS.

I. Creatus Jmperator ornatur purpureô palliô ſuis inſignibus concinnè diſtinctô

II. Eſt

II. Eſt poteſtas Jmperatoris in Jmperio Suprema & Maxima, unde competit eidem

III. Poteſtas creandi Reges, Duces, Principes, Comites, Barones, Equites, Nobiles, Doctores &c.

IV. Inter jura Jmperatoria vel maximè numeratur Jnveſtitura & Collatio Feudorum, ac de his ortam litem decidere & ſententiam dicere.

V. Eſt in poteſtate Jmperatoris proſcriptio rebellium quorumcunque, ſaltem cum conſenſu plurium, aut omnium Electorum.

VI. Habet Jmperator jus inſtituendi & ordinandi Conſilium Jmperiale Aulicum, Camerale & Rottvvilanum.

VII. Indicendi Conventum, ſeu Comitia Jmperij conſentientibus Electoribus.

VIII. Exigendi tributa, ſteuras, ùt vocant, & alia ſimilia.

IX. Ineundi fœdera cum exteris Regibus ac Viris Principibus &c.

X. Bella gerendi, repreſſalia, utì appellamus, concedendi ob denegatam juſtitiam, aut illatam injuriam aliam &c.

XI. Mittendi Legatos majores e. g. ad Portam Ottomannicam &c.

XII. Exigendi juramentum fidelitatis ac obedientiæ ab Urbibus Jmperialibus &c.

XIII. Impertiendi privilegium de non appellando &c.

XIV. Abſolvendi à juramento ad effectum agendi: relaxandi urphedam &c.

XV. Mutandi Feſtos dies & Calendarium cum præſcitu Summi Pontificis.

XVI. Urbes ædificandi, Academias erigendi, nundinas majores concedendi &c.

XVII. Per primas preces præſentandi ad Beneficia Eccleſiaſtica &c.

XVIII. Concedendi veniam ætatis in minorennitate, velut ajunt, conſtitutis.

XIX. Aggratiandi, hoc eſt, commiſſos defectus aut crimina remittendi &c.

XX. Reſtituendi famam ac honorem ab aliis per injuriam ademptum.

XXI. Legitimandi liberos ex fornicatione, adulterio & inceſtu natos etiam per ſuos Comites Palatinos. Cæte-

Cæterùm Jmperatoris dies Natalis inter feſtos ac feſtivos numeretur, atque ritu majori celebretur. Promiſſa Cæſaris tanti valeant univerſis, quanti aliàs Regum, Ducum ac Virorum Principum promiſſa juramentîs confirmata valere ſolent. *Vide multa alia in authoribus Jur. Pub.* præſertim in *Michaële Münchſmayr*, ex quo dicta ferè omnia ſunt collecta.

§. V.

DE POTESTATE, JURE ET PROPRIETATIBUS REGIS ROMANORUM.

TEſtibus Hiſtoricis multis tempore Henrici I. Ottonis M. & Succeſſorum Jmperatorum, Reges Romanorum vocati ſunt illi, qui quidem in Supremum Jmperij Caput electi, necdum tamen à Romano Pontifice, aut hujus Legatis fuerunt coronati. Succeſſu temporis mutato Jmperij ſtatu Romanorum Regem dixerunt illum, quem Jmperator conſentientibus Electoribus ſibi Vicarium aut Adjutorem delegerit: unde

I. Electus Romanorum Rex à die electionis ſuæ incipit eſſe perpetuus Jmperatoris Vicarius ea ratione, ut quandocunque Jmperator agit abſens, vel malis, aut morbis impeditur ab officio, Romanorum Rex Jmperatoris vices agat, & Jmperij bono conſulat.

II. Rex Romanorum vivente Cæſare habet jus potiùs ad rem, quàm in re; mortuo autem Jmperatore ita ſuccedit, ut à ſolio excludi poſſit nullo pacto.

III. Competit Romanorum Regi (abſque Cæſaris præjudicio) poteſtas creandi Nobiles & Equites, confirmandi Academias, banno Jmperij ſubjiciendi perfidos, aut aliàs Jmperio noxios, bannum ſuſpendendi, vel aliâ pœnâ permutandi &c.

IV. Electo Romanorum Rege Jmperij Vicariatus non habet locum in ordinariis Jmperij Vicariis.

V. Vocatur *Auguſtus*, ab ipſo Jmperatore *Dilectus* (Ihr Liebden) ipſe appellat Jmperatorem *ſuam Najeſtatem*, aut *Dominum ſuum*.

VI. Adversùs Regem Romanorum committi poteſt crimen Læſæ Majeſtatis. *Beckerus* aſſerit contrarium.

VII.

VII. In Romanorum Regis inſignibus ponitur aquila unius duntaxat capitis &c. *Münchſmayr.*

§. VI.

DE POTESTATE, JURE, ET PROPRIETATIBUS ROMANORUM JMPERATRICIS.

QUando cœperit mos coronandi Jmperatrices, non abundè conſtat; procul dubio tamen Jmperatricibus conſtanter honor prorſus eximius fuit exhibitus. Certè Octavianus Auguſtus Liviam conjugem ſuam jam appellari juſſit Auguſtam. Scimus adhæc quanto in honore jam fuerint ipſis Jmperatoribus Maximis Conſtantino M. D. Helena, Conſtantio Euſebia, Theodoſio M. Placilla, Arcadio Eudoxia, D. Pulcheria Martiano, Theodora Juſtiniano, D. Hildegardis Carolo Magno, D. Mathildis Henrico Aucupi, D. Adelhaïs Ottoni M. D. Cunigundis D. Henrico; & Jmperatrices alias ſcimus placuiſſe ſummopere Eccleſiæ & Jmperio univerſo; nam ſeculis etiam Carolo M. prioribus & poſterioribus Pontifices Romani inter applauſus convertiſſimi populi ſolebant coronis exornare Jmperatrices. Unde & antiquo & novo jure inter inſignia Jmperatricis numerantur

I. Corona, ſceptrum, pomum aureum &c.
II. Dignitate & Ordine præcedit Reginis omnibus.
III. Eidem competit poſt coronationem jus primarum precum quoad beneficia.
IV. Reditus Cameræ debentur Jmperatrici jure fiſci.
V. Gaudet pleno jure immunitatis; unde immunis eſt ab iis etiam oneribus communibus, quibus non eximuntur Jmperii Principes qualeſcunque, ſpecialiſſimo privilegio non exempti.
VI. Donationes inter Jmperatorem & Jmperatricem ſine ulla juris ſolennitate factæ ſubſiſtunt.
VII. Donatio à Romanorum Jmperatrice filiofamilias facta, inſtar peculij caſtrenſis pleno jure ad eundem pertinet.

VIII. Privilegia Principis cubiculario conceſſa competunt quoque Auguſtæ cubiculariis.

IX. Debetur Auguſtæ jus etiam Cancellariam erigendi; unde & ipſi ſuus ſervit Archi-Cancellarius, qui eſt Princeps Abbas Fuldenſis, coronam Jmperatrici imponens & deponens.

X. Servit non minùs Romanorum Jmperatrici ſuus Archi-Mareſchallus, utì vocamus, qui eſt Princeps Abbas Campidunenſis, ſuo tempore præferens in Comitiis publicis ſceptrum.

XI. Epiſtolas & ſcripta alia Jmperatrix non ſolet ſignare annis à Nativitate Chriſti numeratis, ſed annis à cœpto Jmperio computatis.

XII. Crimen læſæ Majeſtatis committitur etiam adversùs Jmperatricem (quod *Bekerus* negat) unde ipſe jam Theodoſius M. cives Antiochiæ, ſeveriùs tamen, quàm opus fuit, punivit, occiſis eorundem 8000. quòd ſtatuam Placillæ Auguſtæ conjugis violaverint. Cæterùm inter coronationem Jmperatoris & Jmperatricis ferè nullum ajunt eſſe diſcrimen. *Münchſmayr.* &c.

§. VII.

DE POTESTATE, JURE, ET PROPRIETATIBUS ELECTORUM S. R. J. IN COMMUNI.

SEptem numerô S. R. J. Electores juxta multorum & veriorem Hiſtoricorum opinionem jam ad finem ſeculi X. à Romano Pontifice Gregorio V. & Cæſare Ottone III. ſunt conſtituti; totidem tempore Rudolphi Habſpurgici ſeculo XIII. fuerunt confirmati: nec pauciores, nec plures enumerantur in Bulla Aurea à Carolo IV. conſentientibus Electoribus in lucem edita; hæc ſiquidem continet ſequentem Electorum Ordinem: 1. Moguntinus 2. Trevirenſis 3. Colonienſis 4. Bohemus 5. Palatinus 6. Saxo 7. Brandeburgicus. Verùm mutata tempora & in tempore mutatus Jmperij Status ſuaſerunt, ut in numerum Electorum, & quidem in locum Palatini veniret Dux Bavarus, ita diſponente Ferdinando II. Cæſare. Septem Electoribus acceſſerunt noſtris ſeculis Dux Palatinus Simaringenſis, & Dux Hanoveranus, uterque de Jmperatore & Jmperio univerſo optimè meritus.

Electc-

Electores in Bulla Aurea vocantur *Ornamentum Jmperij*, *Electores Sereniſſimi*, *Palmites Jmperiales*, *Gemmæ* S. *R. J. Septem Candelabra lucentis in unitate ſpiritus ſeptiformis*, *Columnæ*, *quæ ſacrum ædificium circumſpectæ prudentiæ pietate cuſtodiunt*, *Membra Corporis Jmperatoris*, *æquales Regibus &c.*

Electorum omnium officia communia his ferme capitibus comprehenduntur.

I. Debito modo ac Ordine in Bulla Aurea contento eligunt ſoli Jmperatorem, & Capitulationes prælegunt.

II. In rebus ad Jmperium pertinentibus Cæſari conſilia & auxilia ſubminiſtrant.

III. Vigili oculo Leges Jmperij cuſtodiunt.

IV. In emolumentum Jmperij Comitia Provincialia in ſuis Circulis ſuo tempore inſtituunt.

V. Singulare & ſeparatum ab aliis Jmperij Statibus Collegium Legale ac perpetuum conficiunt.

VI. Conſilium prævium de Jmperij neceſſitatibus & utilitatibus Cæſaris electioni, ſi è re viſum fuerit, præmittunt.

VII. Jmperatorem, ut ſuo tempore Jmperij Comitia celebret, ſi opus fuerit, commonent &c.

ELECTORUM S.R.J. PRIVILEGIA, ET FACULTATES FERME SEQUENTIBUS VENIUNT NUMERIS.

I. Electores dum ab Jmperatore Feuda accipiunt, ex obligatione nihil ſolvunt.

II. Ab Electoribus nequit appellari, niſi in caſu denegatæ juſtitiæ.

III. In conventibus ad Curiam Jmperij pertinentibus Electores præcedunt Regibus, Cardinalibus & quibuſvis Ducibus.

IV. Electorum juncta eáque conformia ſuffragia quoad valorem conficiunt medietatem in conventibus generalibus.

V. Sine Electorum conſilio etiam Cæſar nequit Conventum Jmperij celebrare.

VI. Singuli Electores Jmperij repræſentant duos aſſeſſores in Camera.

VII. Electores cibos ſumunt in eadem aula cum Jmperatore, & quidem ſinguli ſingulis accumbunt menſis ſub conopæo.

VIII. Electorum Legati ſupremi more Legatorum Regiorum caput tegunt etiam præſente Cæſare: vehuntur etiam equis iidem Legati in quibusdam Conventibus, cùm Principum aliorum Legati pedibus incedunt.

IX. Electorum Legati in Conventibus publicis ſequuntur quidem Regum Legatos, præcedunt tamen Legatis à quacunque Republica miſſis.

X. Jus & poteſtas Electoralis nequit ullò unquam tempore in partes dividi, aut ab Electorum Ducatibus facilè avelli.

XI. Crimen læſæ Majeſtatis à ſubditis Jmperij poteſt adversùs Electores committi.

XII. Abſque Cæſaris conſenſu emptionis Beneficiô poſſunt acquirere nova Jmperij Feuda minùs præcipua.

XIII. A tempore electionis Ferdinandi III. Jmp. Electores Eccleſiaſtici ab ipſo Cæſare Admodum Reverendi (Hochwürdige und Neſſen) Seculares verò *Sereni* (Durchleuchtige und Oheim) vocantur. *Vide plura in Herman. Hermete, Lymnæo, Michaële Münchſmayr aliisque Scriptoribus Juris Publici.*

§. VIII.
DE VICARIIS JMPERATORIS ET JMPERIJ.

VArium eſt genus Vicariorum horum; alij enim ſunt antiqui, alij novi; alij perpetui, alij temporarij; alij univerſales, alij particulares; alius eſt Vicarius Jmperatoris, alius Jmperij.

Vicarij antiqui fuerunt Comites in Palatio Jmperatoris perpetuò ferè præſentes, unde vocati ſunt Palatini. Novi ſunt omnes jam ex his reliqui. Perpetui vocantur, qui abſque temporis termino ſunt conſtituti, quales ſunt per Jtaliæ partem, præſertim regnum, utì vocârunt, Longobardicum Dux Sabaudiæ, & per ſuum Ducatum modò Dux Mediolanenſis. Vicarij temporarij appellantur, qui fixo temporis limite conſtituuntur. Univerſales eos vocamus, quos rerum univerſarum, aut ferè omnium in Jmperio cura

premit:

premit: particulares verò, quibus unius aut plurium rerum negotium Jmperatoris loco committitur. Vicarius Jmperatoris eſt, quem ipſe ſibi Cæſar ob ſuam abſentiam eligit; Vicarij verò dicuntur Jmperij, quos ob mortem Jmperatoris conſtitutos novimus. Dum itaq; Jmperator vel bellorum, vel rerum aliarum graviſſimarum causâ Jmperij finibus egreditur, vel ſolùm Germaniæ limites tranſcendit, poteſt ipſe ſibi deligere ex Jmperij Electoribus, qui ſuis fungatur vicibus, & in rebus cunctis Jmperij emolumento conſulat. Præteritis verò Seculis cùm non elegerunt ſibi Vicarium abituri è Germania Jmperatores, moris & juris erat Duci Palatino proprij, ut ipſe proſpiceret Jmperij bono in Cæſaris abſentia: hodierno eóque Jmperij jure defuncti morte Cæſaris funguntur munere Electores Bavarus & Saxo; jus autem etiam ſuum antiquiſſimum propugnat Elector Palatinus: hinc.

I. Nuntiata Jmperatoris morte, abſque ullius mandato, monito aut commiſſione incipiunt Jmperij faſces tenere.

II. Poteſtati Vicariorum in Jmperio ſubjacent omnia Jmperij tribunalia, quorum nomine & ſigillo ſententiæ omnes notantur & confirmantur.

III. Vicarij per primas preces præſentare poſſunt ſede vacante ad beneficia Eccleſiaſtica.

IV. Poſſunt exigere proventus & reditus ad Jmperium pertinentes ob curam & laborem Jmperio præſtitum.

V. Vacante ſede Feuda viduata non excepta concedunt, & juramentum fidelitatis excipiunt.

VI. Academiarum privilegia poſſunt confirmare, Equites creare, ſpurios inter legitimos natos numerare, criminis reos eóſque notorios abſolvere, & pœnis liberare &c &c.

VII. Inſigne Vicariorum Jmperij eſt biceps Aquila ſine corona & unguium ornamentis.

VIII. Nequit appellari à ſententia Vicariorum ad futurum Cæſarem.

IX. Exercent plenam Jmperatoris jurisdictionem etiam Criminalem in caſibus tamen non expreſsè exceptis; tum hujus verò & alterius generis cauſæ ſunt exceptæ, Eg.

I. Nequeunt concedere Feuda majora (Fahnen und Scepter lehen)
II. Non poſſunt ferre leges univerſales, ſeu univerſum Jmperium obligantes.
III. Non competit Vicariis Jmperij introductio novorum vectigaliũ,
IV. Nec creatio Regum aut Principum.
V. Nec proſcriptio cujusvis Status in Jmperio.
VI. Nec expeditio bellica, aut belli denuntiatio.
VII. Nec Fundatio Academiarum.
VIII. Nec conſtitutio nova, aut immutatio Curſorum (vulgo Poſtarum) publicorum.
IX. Nec denique alienatio bonorum Jmperialium.

Quamvis tamen hactenus enarrata tanquam indubitata referat *Münchſmayr*, authores tamen alij non omnino conveniunt; unde videri poſſunt *Schvvederus, Sigonius, Cuſpinianus, Limnæus, Bodin. Pockius, Hermes.*

§. IX.
DE STATIBUS S.R.J. ECCLESIASTICIS.

Bene, imò optimè conjungi, minimè verò confundi aut comiſceri poſſe cum poteſtate Eccleſiaſtica poteſtatem Politicam, ſeu Secularem, non modò Jurisprudentia nova, aut Hiſtoria, ſed vel maximè ipſe Sacer Codex ab ipſis conditi orbis incunabulis teſte Divino Spiritu docuit; Adam ſiquidem tam in rebus ſacris, quàm profanis ſupremus Præſes ſucceſſores habuit ultra Diluvij maximi longè tempora plurimos jurisdictione ſacra ſimul & profana divinitus magìs, quàm humanitus inſtructos. Exempla clariora ſunt relicta poſteris in Melchiſedecho, in Abrahamo & hujus hæredibus, in Moyſe, Heli, & omiſſis aliis multis, in Machabæis, ſcilicet Juda, Jonatha, Simone, Joanne & cæteris uſque ad Herodem ſimul Pontificibus & Ducibus Politicis, utì patet non tam ex Bellarmino, quàm *ex libris ſacris, nimirum Gen. c. 14. Exod. 18. Levit. 23. Lib. 1. Reg. c. 1. & 4. & libris Machabæorum &c.*

Exempla Teſtamenti Veteris imitati hac in parte ſunt ex cauſa juſtiſſima non modò Romani Pontifices jam à tempore Conſtan-

tini M.

tini M. (prohibiti priùs & impediti tyrannorum & ethnicorum Jmperatorum machinis) verùm ſucceſſu temporis etiam Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Antiſtites &c, haudquaquam invitis Jmperatoribus cognomentô Magnis omnibus, Jurisdictioni Eccleſiaſticæ ſuperaddidêre Politicam, pedô & gladiô tum ornati, tum armati. Non auſi ſunt hactenus poteſtatem utramque negare in Epiſcopis potiſſimùm Germanis Scriptores Heterodoxi; unde & Carolum M. & Ludovicum Pium filium cum Succeſſoribus Carolinis; Ottonem item M., Henricum ſanctum, Lotharium II. & multos Jmperatores alios in leges Politiæ peccatum peccâſſe graviſſimum dicunt, cùm Eccleſiaſticæ (ipſi dicunt Papiſticæ) poteſtati adjici Politicam prohibere non fuerunt anniſi. Non negandum proinde, univerſos & ſingulos ſuperiùs ennumeratos Status S. R. J. Eccleſiaſticos, nimirum Archiepiſcopos, Epiſcopos, Magiſtros Equitum, Principes Præpoſitos, Abbates, Abbatiſſas &c. pollere quapiam poteſtate, eáque gemina, nimirum ſacra & profana in ſubditos ſuos Eccleſiaſticos & Politicos. Quanta verò aut qualis ſit omnium & ſingulorum in utroque foro poteſtas, non eſt hujus loci deſcribere. Vide *Concordata Nationis Germanicæ inter Nicolaum V. Pont. & Fridericum III. ſeu IV. potiùs alióſque Jmperatores inita.*

§. X.

DE DUCIBUS ET PRINCIPIBUS S. R. J. POLITICIS.

QUamvis Seculis pervetuſtis Principis nomine ſolus Jmperator venerit, à Friderici tamen Ænobarbi ætate Principes dici conſueverunt Duces omnes, Comites Palatini, Marchiones, Landgravij, & quivis alij Comitibus Majores in Jmperio Viri, qui ſingulari quadam prærogativa inſigniti propinquiorem acceſſum habebant ad Jmperatorem; hic proinde Summus aut Supremus Princeps cœpit vocitari, & hodie vocatur Principum Maximus. Strictiori loquendi methodo utuntur illi, qui Archiduces, Duces, Marchiones, Principes, Burgravios, Landgravios &c. in complures dividunt claſſes, his ipſis nominibus diſtinctas, qua ratione nominare

re equidem Principes convenit eos omnes, qui in dictis claſſibus collocantur; minimè verò fas eſt appellare Archiducem, Ducem, Marchionem &c, qui Principis duntaxat gaudet titulô; quales ſuperiùs non paucos numeravimus noſtris primùm ſeculis Jmperij Principum numero ab Jmperatoribus Auſtriacis inſertos.

Sunt etiam Principes nonnulli, dicti *Honorarij*, qui equidem Principis nomen impetrârunt ab Jmperatore, nulla tamen ratione in Imperij Comitiis locum aut ſuffragium habent, nec intra Imperij limites ditionem poſſident; tales Principes erant Lubomirski & Razevilius &c. Vid *Fichar. Azor. Jacobin. Felin. Beſold. Sixtin. &c.*

Archiducum nomen ac dignitas ſolis Auſtriæ quondam Marchionibus, mox verò creatis à Friderico Ænobarbo Ducibus eſt conceſſum à Friderico II. Cæſaré, partim ut inſignia Auſtriacorum Marchionum & Ducum merita præmium acciperent, partim etiam ut ampliùs eorundem ſibi amicitiam & vires armatas adversùs hoſtes conjugeret Jmperator. Ab eo tempore dignitatis Ordine univerſis in Imperio Ducibus, non tamen Electoribus cœperunt præcedere Archiduces Auſtriæ haud ſecus, ac præcedere ſolent in Ordine Eccleſiaſtico Archiepiſcopi Epiſcopis. Vid. *Blondum, Foreſtium, Fuggerum, & Kiefferum,* qui ſuis in Theſibus Friburgi Briſgojæ an. 1674. editis hunc in modum ſcribit *pag. 81.* Poſt Electores in Jmperio primum locum occupant Auſtriæ Archiduces, quaſi primi Ducnm, quo titulo frui cœperunt tempore Friderici Barbaroſſæ, qui Henricum Ducem Auſtriæ Pfaltz-Hertzog intitulavit. Specul. Fug. *in Hiſt. Auſt. l. 2. c. 2. p. 58. & 2. ſeqq.* Fridericus verò II. Auſtriæ Principes S. R. J. Archiduces (Sprinzenſtein. *in Jmp. p. 3. th. 50. Anno 1145.*) Regibus æquiparavit, de quo prædicato Archiducali obtinendo plures apud Jmpp. inſtiterunt, ſed obtinere non potuerunt. Beſold. *in Theſ. Hiſt. prac. V.* Ertz-Hertzog *circa finem.* Sixtin. *de Reg. l. 1. c. 4. n. 30. & ſeqq.* ne Auſtriacæ Domûs Archiducalis intitulatura propter aliorum Principum concurſum vileſceret, aut in minori reſpectu foret, de cujus ſpecialiſſimis juribus placet principaliora referre &c. Hactenus *Kiefferus.*

Du-

Ducum nomen ac dignitas in Germania etiam longè antiquior Henrici I. Imperatoris ætate, ſingulari jure Supremis Bavarorum, Saxonum, Franconum, Suevorum & Lotharingicorum Ductoribus vel primùm concedi, vel confirmari potiùs cœperat; ſucceſſu temporis verò crevit admodum Ducum numerus, utì patet omnibus.

An Principis, an Ducis nomen ætate ſuperet alterum, divinare eſt difficillimum, ſiquidem utrumque à Romanis Authoribus antiquiſſimis crebrò uſurpatum, in ipſo ſacro Codice frequentiſſimum obtinuit locum, eo fortaſſis diſcrimine, quòd preſſiùs utrumque hoc nomen ſumatur poſteris, quàm ſumptum eſt antiquis.

Marchionum, Landgraviorum, Burggraviorum &c. Germanis, quàm Latinis notiora nomina audiri cœperunt imperante Carolo M. cui placuit nova fingere nomina & munera, ut ſui muneris & officij commonefierent ipſo nomine, qui tale gererent & munus & nomen.

§. XI.

DE S.R.J. COMITIBUS ET LIBERIS BARONIBUS.

Comes, teſtante *Cornelio Tacito*, inter Germanos etiam nomen & munus non minùs nobiliſſimum, quàm antiquiſſimum inde ſuam videtur, & fertur accepiſſe originem, quòd nimirùm Nobiles illi fuerint dicti *Comites*, qui ſuum Regem vel Ducem proximè ſunt ſecuti, comitati & proſecuti ſtrenuiſſimè. Sententia hæc Hiſtorica nequaquam contradicit menti illorum, qui aſſeruerunt, *Comitum* nomen Germanicum (Graven) inde fuiſſe inſtitutum, quòd Reges & Duces Germanorum frequenter aut conſtanter ſibi delegerint in aulæ miniſtros & delegatos judices, nec non locorum præfectos tum in rebus politicis, tum militaribus eos viros, qui experientiâ, doctrinâ, virtute & crebrò etiam canitie erant venerabiles. Cum hiſce viris conſultum ac conſuetum erat Regibus conferre conſilia, res maximi momenti committere, tranſigere, bellum decernere, ſtabilire pacem, in aciem egredi, adversùs hoſtes dimicare, vincere vel cadere: verè Comites!

Proximus Comitibus eſt Liberorum in Jmperio Baronum gradus, quorum dignitatem haud obſcurè nobis indicavit in antiquiſſimis

mis Germanis *Cornelius* quoque *Tacitus*, dum ait, Germanis in more poſitum fuiſſe ferreum, in bellis præſertim, brachiô ferre annulum ignobilitatis indicem, donec denique edito quopiam egregio facinore ſe inter Nobiles, dictos *Liberos* aſſeruerint. Non deſunt Authores, qui hodie affirmant, *Baronis* nomen Germanicum pervetuſtum idem ſignificare, quod ſonat *Liber* aut *Liberum* & *Generoſum*; unde non eſt abſonum dicere, eodem fortaſſis tempore quo Marchionum, Land- & Burggraviorum &c. invaluerunt nomina, uſum obtinuiſſe etiam Baronis nomen; certè difficilè erit invenire Authorem Carolo M. antiquiorem, qui nomenclaturam *Baronis* legendam poſteris reliquerit.

Duces, Comites ac Barones antiquiſſimis ſeculis non nativitas dabat, aut hæreditas formabat, ſed facinorum famą certiſſima, aut oculorum probabat teſtimonium; unde nec hæreditarii Ducatus, nec Comitatus, nec Baronatus, utì appellamus, concedebantur, niſi tum, cùm filij factîs genitoribus pares, aut majores veſtigiis novis veſtigia antiqua renovârunt, imitatores majorum generoſi juvenes. Seculô primùm decimô & ſubſequentibus Jmperatorum modò favor, modò neceſſitas, modò optimè meritorum laudes filijs heroum & ſeris nepotibus prodeſſe maximè incipiebant in Germanico Jmperio. Unde Baronatuum, Comitatuum & Ducatuum oppidis, pagis & villis cœperunt ſtatui limites propemodum abſque termino.

Cæterùm à nonullis ſeculis Comites & Barones ſacri Romani Jmperij dicuntur illi viri & filij nobiles, qui ditionem inter Jmperij Circulos deſcriptam, & Feudi Cæſarei prærogativâ inſignitam poſſident, deſignato pariter in Comitiis Jmperij *communi pluribus loco ac ſuffragio*: duplex enim duntaxat ſuffragium ferunt univerſi Comites & Barones, qui ſunt Status *Immediati*, utì vocamus, Jmperij. Vid. *Funccium P. I.*

Cæterùm Ducum, Marchionum aliorúmque Virorum Principum, ſimul etiam Comitum atque Baronum in Romano Jmperio poteſtas ac privilegia communia ſunt ferè talia, qualia de Urbibus & Nobilibus S. R. J. Equitibus proximè afferemus, unde ſequentes vide paragraphos.

§. XII.

§. XII.
DE LIBERIS S.R.J. URBIBUS.

INter Status ſoli Romanorum Jmperatori & Jmperio ſubditos numerantur poſt S.R.I. Comites & Barones permultæ in univerſa Germania urbes, de quarum origine, prærogativis, poteſtate ac privilegiis communibus hoc loco paucis eſt dicendum. Pleræque ſi non omnes, Imperij urbes à Romanis Imperatoribus conditæ diverſis ſeculis publici juris ac poteſtatis ſunt factæ: aliquot enim ab ipſo Octaviano Auguſto & proximis ſucceſſoribus ſunt extructæ; aliæ ſeculo III. Conſtantium Chlorum, Valentinianum III. aut his proximos nactæ ex Imperatoribus Conditores. Secula V. VI. VII. & VIII. in Oriente & Occidente turbatiſſima, ſævientibus Gothis, Vandalis & Hunnis aſpexerunt urbes non paucas potiùs deſtrui, quàm extrui. Ipſe Carolus M. & è Carolino ſtemmate orti Imperatores ſacrarum magìs ædium & arcium atque oppidorum, quàm urbium authores, aditum negare denique haud potuerunt repetitis Hunnorum irruptionibus, eò quòd raræ in Germanico Imperio urbes præmunitæ mœnibus ſeſe hoſti opponerent. Tandem ſeculo X. Henricus Auceps & Succeſſores Imperatores natione Saxones valla ac propugnacula extruere, domos domibus arctiùs jungere, junctas præaltis mœnibus & profundis foſſis circumcingere eventu ſecundiſſimo inſtituerunt. Imperatorum Saxonum bene cœpta longè magìs Conradi aut Friderici ſanguine Suevi, quàm Henrici Francones Imperatores proſecuti ſunt, teſtantibus ipſis, urbium ſingularum monumentis & annalibus. Imperatores Auſtriaci dum urbes jam extructas invenerunt, non multas novas antiquioribus adjecerunt, bene tamen reſtaurârunt, amplificârunt & exornârunt triplici hìc titulo glorioſi, jure merito dicendi Conſervatores, Amplificatores & Exornatores urbium. Hæc de communi urbium in Imperio Romano origine; nunc de earundem libertate pariter communi.

Urbes in Romano Imperio quondam univerſæ non minùs ſubditæ ac ſubjectæ erant Romanorū Imperatori, quam hodie ſubjectas eſſe cernimus ſuas cuique Regi, Duci aut Principi urbes proprias, nullo exemptionis privilegio munitas, quales vocare ſolemus Provinciales, aut

Municipales. Inter varias autem viciſſitudines & Imperij neceſſitates urbium aliæ ab Imperatoribus in emphytevſin creditoribus datæ, aliæ mutuô aurô obſtrictæ, aliæ obſequiis & meritis Imperatori præſtitis celebres redditæ, aliæ denique inter turbas & turbines liberam auram aucupatæ, eum libertatis denique ſtatum ſunt adeptæ, quem hodie univerſi intuentur, plurimi mirantur, & non pauci libertatis hoſtes deteſtantur. Cæterùm urbium in Imperio jure libertatis donatarum priori adhuc ſeculo numeratæ ſunt 84. hodie verò Circulo Burgundico ferè univerſo ab Jmperij Circulis avulſo, & Alſatiâ Gallorum Regi aſſertâ, pauciores numeramus. Seculis maximè XI. & XII. imperantibus Henricis natione Francis Orientalibus, & Fridericis Suevis Jmperatoribus bello perpetuo eóque graviſſimo implicitis, libertas urbium in Jmperio cœpit alas explicare, uti probè notârunt Hiſtorici tum Antiquiores, tum Recentiores. Vide *Kranzium*, *Urſpergenſ. Foreſt. Funccium* &c.

Prærogativæ Urbium in Jmperio liberarum ſunt ferme ſequentes; 1 Appellantur liberæ Jmperij urbes. 2. Ab Jmperatore Sigiſmundo vocatæ ſunt *ſacræ*, ſeu *ſanctæ*, ut legum ac morum ſanctitatem cuſtodirent. 3. dictæ ſunt *meritiſſimæ* ac *digniſſimæ Jmperij urbes*. 4. *Electa membra Romani Jmperij*. 5. *Fulcra ac columnæ ſacri Romani Jmperij*. 6. *Urbes nobiles* &c.

Poteſtas ac privilegia urbium harum ex ſequentibus apparent capitibus;

I. Liberæ Jmperij urbes ſunt Reipublicæ propemodum æquales.

II. Inter cives earundem urbium numerari poſſunt & numerati ſunt Comites, Abbates, Barones, Nobiles &c.

III. Non niſi in urbibus Jmperij coronandus eſt Jmperator.

IV. Competit urbibus Jmperij jus conſervandi perpetuò inſignia Jmperatoria.

V. Inter jura urbium harum numerantur maximè jura Regalia Eg. fiſci, immunitatis &c.

VI. In neceſſitate bellum hoſtibus denuntiandi conſentiente Cæſare.

VII. More Statuum in Jmperio majorum fœdus cum exteris nectendi.

VIII. In rebus civilibus & criminalibus cauſas cognoſcendi, de iis ſtatuendi &c.

IX.

IX. Ligna cædendi, venandi, piſcandi &c.
X. Magiſtratum civilem eligendi, corrigendi, deponendi.
XI. Homagium à ſuis civibus ac ſubditis exigendi.
XII In ſuo territorio leges ferendi, jura municipalia inſtituendi.
XIII. Coventus univerſales & Circulares celebrandi.
XIV. More Principum Cancellarium ſibi aſſummendi, ac mittendi ad Conventus Jmperij.
XV. Archivum omnium documentorum ac inſtrumentorum ad Jmperij urbes pertinentium cuſtodiendi.
XVI. Sigillandi, ùt vocant, cerâ rubrâ & ſigillo duplici.
XVII. Colligendi tributa, vectigalia, ſubſidia extraordinaria etiam.
XVIII. Monetam cudendi.
XIX. Legatos mittendi ad Cæſarem & Jmperij Comitia.
XX. Ædificandi munimenta, inſtruendi armamentaria, conducendi milites &c.
XXI. Externos protegendi ac ſeſe eorundem protectioni committendi, non tamen in præjudicium Jmperatoris.
XXII. Vias publicas à periculis conſervandi immunes per comitatus publicos.
XXIII. Gratiam ſeu veniam delicto concedendi, vulgò jus aggratiandi.
XXIV. Aſylum conſervandi, mutandi &c. in caſibus non exceptis.
XXV. Cives ſuſcipiendi, & præfectum urbis ſupremum etiam conſtituendi.
XXVI. Hebræos protegendi.
XXVII. Excipiendi contra alienationem ſui à Cæſare etiam factam, niſi cum conſenſu Statuum fuerit facta. Hæc pleraque ex *Münchſmayr*; plura alia privilegia vide in *D. Bockio*.

§. XIII.

DE NOBILIBUS S.R.J. EQUITIBUS.

EQuites S.R.J. ferè comunem cum urbibus Jmperij originem ſunt nacti: poſtquam nimirum Sueviæ, Franconiæ, Alſatiæ &c. Duces ſine hæredibus ſunt penitus extincti, Equites Germani

ni permulti patriis Ducibus orbati, maluerunt ſoli Jmperatori ſeſe totos dedere, quàm alium ſibi Principem præficere: unde dici cœperunt S. R. J. Equites Liberi.

Veluti dictum ſuperiùs, diviſi ſunt Equites in tres diverſos Ordines ſeu Scamna: in Suevicum, Franconicum & Rhenanum. Hi ipſi Ordines ſunt diſtincti in ſuas claſſes, quod nos docebunt Circuli Suevicus, Franconicus & Rhenanus ſuperior, quiſque nimirum ſuo loco. Poſſunt nihilominus Equites ſoli Jmperatori & Jmperio ſubjecti aliorum Ducum aut Principum tam Eccleſiaſticorum quàm Politicorum, præſertim in Jmperio Feuda mereri, dicto fidelitatis, utì appellant, ſacramento creati *Vaſalli.*

Tametſi inter Status Jmperij numerentur Equites Nobiliſſimi, in Comitijs tamen Jmperij more Statuum aliorum locum ac ſuffragium vel non petunt, vel modò non impetrant: Jurisperiti enim inter ſeſe certant, dum alij aſſerunt, Germanos Equites in Comitiis Jmperij locum ſibi non optare ampliùs, veluti lapſis ſeculis, ut parceretur ſumptibus non neceſſariis: alij verò contendunt, ut abeſſent à Conventibus Jmperij Equites, ſtatuiſſe Jmperatorem, in cujus poteſtate ac arbitrio ſit Equites vel admittere, vel non admittere.

Cæterùm poteſtas ac privilegia Equitum S. R. J. his ferè comprehenduntur capitibus;

I. Nefas eſt Equites accuſare, ſeu deferre ad judicem alium, quàm ad Jmperatorem ſeu tribunal Jmperij Aulicum; ad Romanorum Regem, ad Jmperij Vicarios, ad Conſilium Camerale; vel denique ad Auſtregas.

II. Fruuntur Equites fructibus pacis, ùt vocant Religioſæ.

III. Competit ipſis Jurisdictio, quam Territorialem appellant, in ditionibus Nobilitatis Equeſtris.

IV. Item in oppidis & cæteris ditionibus propriis competit eisdem Jurisdictio univerſalis, criminalis & civilis.

V. Non minùs quàm alijs Jmperij Statibus debentur ipſis jura Regalia.

VI. Habent jus venandi & lignandi.

VII. Sunt immunes à ſolvendis vectigalibus, gabellis & his ſimilibus tributis.

VIII. Ex ſpeciali privilegio poſſunt vectigalia conſtituere nova,& promovere, atque augere antiqua.

IX. Ex privilegio Jmperatorum Auſtriacorum Maximiliani II. Mathiæ, Ferdinandi II. & III. ac demum Leopoldi accepêre jus, ùt vocant, collectandi.

X. Ex privilegio Rudolphi II. gaudent jure Retractûs in bona Nobilium.

XI. Poſſunt in ſuo territorio ferre leges, & ſtatuta municipalia promulgare.

XII. Poſſunt inter Equites pacta de futura ſucceſſione firmari, licèt aliis ſint prohibita &c.

XIII. Hebræos poſſunt protegere.

XIV. Licet Equitibus dies, ùt vocant, Equeſtres indicere pro ſubſidio charitativo & conſervando ſtatu.

XV. Licet ipſis etiam cum extraneis fœdus inire.

XVI. Equites Status Romani Jmperij ſunt & permanent eſſe, tametſi in Comitiis publicis hodie locum ſibi ampliùs non vendicent: Status verò Imperij non ſunt Italiæ Duces & Principes, Eg. Mediolanenſis, Mantuanus, Montisferratenſis &c, quamvis iidem Imperij Principes appellentur, & Cæſari ſint immediatè, utì ſolemus loqui, ſubjecti. Cauſa diverſitatis videtur eſſe privilegium Equitibus Germanis ſervatum: Italiæ verò & aliis Principibus nunquam datum. Hactenus de univerſo Romani Imperij Corpore & Membris ferè in communi; cujuslibet, aut ſingulorum Membrorum proprietates vide in Circulis Imperij ſingulis; Lectori namque amplam legendi materiam dabunt Authores plurimi, quales ſunt *Hermes*, *Limnæus*, *Svvederus*, *Fuggerus*, *Funccius*, *Kieffer* aliique.

DE

DE CIRCULIS ROMANI JMPERIJ SINGULIS.

MAximilianus hujus nominis I. Jmperator Imperium Romano-Germanicum in decem diviſit Circulos hoc ordine, ut nimirum loco veniret 1. Circulus Auſtriacus. 2. Burgundicus. 3. Rhenanus inferior, dictus Electoralis. 4. Bavaricus. 5. Saxonicus Superior. 6. Franconicus. 7. Suevicus. 8. Rhenanus Superior. 9. Weſtphalicus. 10. Saxonicus Inferior. De Circulis ſingulis hoc eodem ordine jam agendum, prætermiſſo tamen Circulo Burgundico, qui in Belgio & ſuperiore Burgundia, ab Imperio nunc maximam partem avulſis includebatur quondam. Cæterùm in univerſo Germanico Imperio fluvij præ reliquis nobiliores ſunt Rhenus, Danubius, Mænus, Moſa, Moſella, Viſurgus, Albis, Viadrus ſeu Odera.

TABULA TOPOGRAPHICA I.

DE CIRCULO AUSTRIACO.

§. I.

CIrculus Auſtriacus complectitur Auſtriam Superiorem & Inferiorem, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Tyrolim, partem Sueviæ & Briſgojam.

Auſtria longitudine ſua 40. latitudine 18. circiter continens milliaria Germanica à Septentrione conjunctam ſibi habet Bohemiam & Moraviam; ab Oriente Hungariam; à Meridie Styriam; ab Occidente Archiepiſcopatum Salisburgenſem & Bavariam.

In

In Auſtria tam Superiore, quàm Inferiore ſitæ ſunt urbes

Vienna, olim Vindobona dicta	Wien.
Paſſavium,	Paſſau.
Lincium,	Lintz.
Aniſium ſeu Enſium,	Enß.
Styra,	Steyr.
Velſium, alijs Felſiana,	Welß.
Gamundia, alijs Gemunda,	Gemündt.
Cremſium, alijs Cremſa,	Crembs.
Novoſtadium,	Neuſtatt.
Monaſterium Neoburgicum,	Kloſter-Neuburg.
Laxenburgum,	Idem.
Ebersdorffium,	Idem.
Thermæ Auſtriacæ,	Baden.
Weitra,	Idem.
Greina,	Grein.
Corneoburgum,	Kornneuburg.
Horna,	Horn.
Steina,	Stein.
Tulna,	Tuln.
Waidhovium duplex,	Waidhofen.

§. II.

Auſtria Noricum quondam vocata, (*Fuggerus* in Speculo Honorum Auſtriam Inferiorem Pannoniam Orientalem vocatam fuiſſe aſſerit) ante Chriſti incunabula fertur obediîſſe Regibus; dein verò in Provinciam Romanam more Provinciarum aliarum multarum imperante Auguſto Cæſare mutata per annos circiter quingentos Romanis collum ſubdidit faſcibus. Inter Præſides Româ in Auſtriam miſſos Fabianus venit, qui ſub annum Chriſti 26. Viennæ Auſtriacorum metropoli fundamenta prima poſuit, vel veriùs maximam urbis partem jam poſitam perfectiorem reddidit, Fabianam inde vocatam. Seculo III. imperante Philippo Cæſare à D. Quirino Auſtria idolorum cultum dedocta Romanæ nomen ſubſcripſit Eccleſiæ. Injuria dein temporum & magìs populorum barbaro-

barorum doctrinam Orthodoxam ferè extinctam *D. Severinus* Seculo V. reſtituit Auſtriæ. Eodem Seculo per Auſtriam cum validiſſimis exercitibus penetrârunt Gothi, Vandali aliíque tam Septentrioni, quàm Orienti proximiores populi, qui in Jtaliam, Africam & Hiſpaniam profecti, primò armis omnia latiſſimè vaſtârunt; mox verò probata terrarum fertilitate ſtabilem fixerunt ſedem, erectis regnis novis & electis Regibus.

Circa annum 520. Theodo II. Bojorum Dux potentiſſimus pulsîs Romanîs victricia ſigna in Auſtriam & vicinas Provincias intulit, & comparatos victoriæ fructus ut conſtanter conſervaret, conſtitutis quatuor Marchionibus ſuum Auſtriis quoque miſit. Anno demum 788. Carolus M. Thaſſilonis Bojorum Ducis imperata facere detractantis victor, Auſtriacam ſibi Provinciam ſubjecit, per Marchiones etiam deinceps gubernatam.

Translatis à Francorum Regum ſtirpe ſeculo X. Romani Jmperij habenis ad Saxones, ob navatam crebrò ingentem in bellis operam Marchiones Auſtriaci identidem majus accepêre honoris ac dignitatis incrementum, jure hæreditatis & ſucceſſionis perpetuo jam tum potitus Leopodus I. cognomentô Jlluſtris. Altiùs aſcendit ſeculo XI. Erneſtus Strenuus ab Henrico IV. Jmperatore *Jmperij Prior* nuncupatus, & novis privilegiis exornatus. Seculo XII. Auſtriacos honores promoverunt magìs Leopoldus V. aliis VI. & Henricus Germanis dictus Jaſamer Gott; proſcripto enim Henrico Superbo Bojariæ Duce Bavariam Auſtriæ junctam annis circiter 24. aut teſte *Fuggero* 28. ſuam dixerunt, donec denique Fridericus I. Jmperator Henricum Leonem Henrici Superbi filium Bavaris Ducem reſtitutit eo pacto, ut Inferior Bavariæ pars, nunc Auſtria Superior dicta, perpetuò avulſa in poteſtate maneret Auſtriacorum. Eodem tempore Friderico I. Cæſare diſponente Marchionatus Auſtriæ, Ducatûs jure ac nomine eſt inſignitus, adjectis novis privilegiis. Seculo XIII. Fridericus II. Romanorum Jmperator Leopoldum VII. cognomentô Glorioſum Archiducem Auſtriæ creavit, facta eidem & Succeſſoribus poteſtate ornandi caput pileolô, ſupra quem figeretur crux aurea, duobus quaſi arcubus in crucis modum implexis. *Vide AA. jam citt. pag. 118.* Eo-

Eodem hoc Seculo XIII. Fridericus III. Archidux Conradinum Sueviæ Ducem comitatus in Jtaliam regna Neapolis & Siciliæ dum Carolo Andegavenſi eripere laboravit, fretus copioſis viris & armis, poſt pugnam ab initio felicem, in fine verò infeliciſſimam, unà cum Conradino captus, & poſt añuam captivitatem in foro Neapolis publico capite eſt plexus, relinquens Auſtriam maſculo hærede orbatam an. 1269.

In ſolatium verò Auſtriæ & Jmperio natus an. 1218. & Cæſar an. 1275. creatus Rudolphus Habſpurgicus, Auſtriam ab Ottocaro Bohemorum Rege poſſeſſam, jure Jmperij, belli, & tandem etiam hæreditatis titulô conceſſit filio Alberto, datâ eidem in ſponſam Eliſabethâ ex Auſtriacorum Archiducum ſtemmate oriundam, utpote Agnetis Auſtriacæ filiam: atque ex hoc tempore nunquam avulſa eſt Auſtria à Rudolphi Habſpurgici ſtemmate; quin adeò eſt in eodem fundata & radicata, ut præter permultos Archiduces numerentur Sexdecim Jmperatores Auſtriæ Domini Auguſtiſſimi.

Auſtria à leniter deſcendente Jſtro per medium ferè diſſecta, ſcinditur variè ab aliis minoris notæ fluviis, tum ad alendos piſces & cancros, tum ad rigandam terram peridoneis; unde agri, vineæ prata & ſylvæ prorſus frugiferæ ſuppeditant incolis frumentum, vinum & fœnum copioſiſſimum. Sunt multa alia Auſtriacis naturæ & fortunæ dona, Eg. argenti & ferri fodinæ, ſal, crocum, Zingiber &c. unde ſi aliorum non paucorum Principum more annuos reditus ſeveriſſimè exigerent haud ſeveri Jmperatores Auſtriaci, in annos ſingulos ſolvere fors facilè poſſent florenorum milliones ſeptem (*Pockius pag. 574.* aſſerit milliones ſex) ſubditi Auſtriaci, licèt mercimonia non ament uſque adeò, ut crebrò ab exteris nationibus vendi maximo pretio ſibi cupiant ad veſtitum, aut ornatum potiùs, & uſus alios neceſſaria, mercatorum Italorum non rarò, & Gallorum lucro & ſolatio magno, maximo.

Cùm multos multo tempore patiantur hoſtes, à tractandis armis non abhorrere ſolent Auſtriaci, turcarum & aliorum hoſtium victores laudatiſſimi; dum verò haud paucis ſeculis fruuntur ſorte beatiſſima ſub ſuis Jmperatoribus verè Auguſtis & glorioſis,

 ſimúl-

ſimúlque multorum Regnorum ac Provinciarum Dominis potentiſſimis, creſcit etiam hoſtium multitudo.

Auſtrii in Orthodoxa Religióne per pleraque à nato Chriſto ſecula inter graviſſimas etiam anguſtias perrexerunt eſſe conſtantiſſimi. Tametſi verò Lutheri placita, ſplendido libertatis nomine allecti, placere ſibi ſignificârint multi, ſtrenuè tamen didicerunt denuo damnatam à Romanis meritò ſectam in ſe & ſuis ampliùs damnare, Jmperatorum & Archiducum verè Catholicorum exemplîs ſtrenuè animati. Vide *Authores paſſim multos, Cuſpinianum, Fuggerum, Lexicon Lipſienſ. Foreſt. & Seriem Rom. Jmperat.*

TABULA TOPOGRAPHICA II.

DE STYRIÆ DUCATU.

§ I.

STyria longitudine ſua ferè 33. latitudine verò ubi eſt latiſſima 26. Germanicis par milliaribus, à Septentrione contingit Auſtriam, ab Oriente Hungariam, & Sclavoniam, à Meridie partem Sclavoniæ & Carniolam, ab Occidente Carinthiam & Archiepiſcopatum Salisburgenſem. Multùm diverſa habet *Pockius.* Fluvij gemini præ alijs ſunt inſignes, ſcilicet Mura & Dravus. Dividitur ipſa in Styriam Superiorem & Inferiorem; hæc Hungariam, illa contingit Carinthiam & Archiepiſcopatum Salisburg.

In Styria Superiore urbes ſunt

Judenburgum, - - - -	Idem.
Seccovium. - - -	Seckau.
Cella S. Mariæ, - -	Marien Zell.
Muravia, alijs Muravium, - -	Murau.
Leobium, - - -	Leüben oder Leoben.

In

In Styria Inferiore ſunt

Græcium, - - -	Grätz.
Pons ad Muram, - -	Prugg.
Rackelburgum, alijs Roskoburgum,	Rackelburg.
Cactornia, - - - -	Czackenthurn.
Pettavium. - - -	Pettau.
Murckum. - -	Murck.
Fürſtenfelda. - - -	Idem.
Eggenberga. - - -	Idem.
Vendum, alijs Vindogræcium, -	Windiſchgrätz.
Cylleja, alijs Cylleſia, -	Cylley ꝛc. ꝛc.

Status hujus Ducatus ſunt Epiſcopus Seccovienſis, Abbates Rainenſis, ad S. Lambertum, Admontenſis & Neobergenſis: his accedunt Equites Teutonici, Præpoſiti Seccovienſis, Varavienſis, Palenenſis, Stanzenſis & Rottenmannenſis, nec non Abbatiſſa Goeſenſis. Ex his Epiſcopus Seccovienſis, Seculo XIII. cœpit florere; Eberhardus enim Salisburgenſium Archiepiſcopus annuente Honorio III. Pontifice ſua ſponte Epiſcopatum hunc erexit, & Succeſſores Archiepiſcopi uſque hodie numerârunt quadraginta duorum Epiſcoporum Seccovienſium longam Seriem.

Inter Status Seculares eminet Auſtriaco-Cæſareum Regimen, ad quod deferuntur cauſæ Appellationum etiam ex vicinis Provinciis Auſtriacis, Eg. ex Carinthia, Carniola &c. Græcij ſedem perpetuam fixerunt Conſiliarij Cæſareo-Archiducales; eò conveniunt etiam non rarò Status Provinciales.

Styria, quemadmodum Auſtria, paruit Romanis Præſidibus primis à nato Chriſto Seculis; annis dein centum & pluribus Bojorum Duces, poſt hos verò Vindonum Principes ad Carolum M. uſque Styriâ potiti ſunt: Carolus demum & Succeſſores uſque ad an. 1030. ex vario genere & natione Duces Styriis præficiebant. Conradus II. Imperator Seculo XI. conſtituit Marchiones, ſucceſſu temporis Ducum nomine inſignitos; eorundem fuêre per annos centum & ſexaginta Ottocari quinque, quorum ultimus leprâ infectus & hærede deſtitutus, Leopoldo Virtuoſo Auſtriæ Duci ſocero ſuo Styriam ven-

didit ab Auſtria deinceps nunquam ſeparatam , ſi modicum temporis intervallum exceperis , quo Ottocarus Bohemorum Rex ante Rudolphum Habſpurgicum Auſtriam & vicinas Provincias occupavit, ad internecionem denique à Rudolpho deletus.

Styrij abundant calybe , ferro, Sale, vino, arborum fructibus , & pro temporum diverſitate frumento copioſo. Prata ſupra & infra montes alendis pecorum gregibus ſunt ſpatioſa; unde boves & oves idoneam lucro dant materiam. Si tam ex Styria, quàm Carinthia & Carniola annui computentur reditus ſupremo ſuo Domino ſolvendi , aliquot fortè aureorum milliones creduntur æquare ; nam ex ſola Styria colligi poſſe 3. milliones ait *Pockius P. I. pag. 594.*

Thermæ etiam ſalubres & acidulæ multos attrahunt in Styriam advenas , & recreant incolas, quorum poſtremis Romana Eccleſia perpetuis fuit in deliciis ; Religionem auxit maximopere Imago Deiparæ Cellenſis miraculis plurimis clariſſima. *Fugger. Scherer. Hibner. &c.*

TABULA TOPOGRAPHICA III.

DE CARINTHIÆ DUCATU.

§. II.

CArinthiæ Ducatus ad Dravum fluvium ſitus, à Septentrione conjungitur cum Archiepiſcopatu Salisburgenſi, ab Oriente cum Styria, à Meridie cum Carniola & Venetorum Republica, ab Occidente cum Comitatu Tyrolenſi. Longitudo ejuſdem complectitur circiter 30. milliaria Germanica; latitudo quibusdam in locis 14. aut 15.

In Carinthia urbes ſunt

Clagenfurtum urbs princeps, - Klagenfurth.

Gur-

Gurcum ſedes Epiſcopalis, - -	Gurck.
Lavantum ſedes Epiſcopi, - -	St. Andre.
Fanum S. Viti, - - -	St. Veit.
Fanum S Leonhardi, - -	St. Leonhard.
Gamundia, - - - -	Gemind.
Raſtadium. - - -	Raſtatt.
Frieſachium, - - -	Frieſach.
Wolffsberga, - - -	Wolffsberg.
Villacum, - - -	Villach.
Veldkirchium, - -	Veldkirch.

Carinthia ante & poſt Chriſti natales ſeculis aliquot fata habuit Styriæ ferè ſimilia. Poſt Carolum M. variis omnino obedivit Ducibus, nunc Franconibus, nunc Bavaris, nunc Auſtriacis, nunc Suevis, nunc Zerringenſibus, nunc Tyrolenſibus, prout nimirum diverſi Jmperatores diverſos Carinthiæ præfecerunt Duces. Seculo XIII. Rudolphus Habſpurgicus Ottocari Bohemorum Regis Carinthiam quoque rapientis victor, Ducatum hunc conceſſit Mainhardo Tyrolenſium Duci & Agneti conjugi Ulrici quondam Carinthiorum Ducis viduæ. Tandem Otto Jucundus Alberti I. Jmperatoris filius, Rudolphi Habſpurgici ex Alberto & Eliſabetha Mainhardi filia nepos, ſimúlque Carinthiæ hæres, conjunxit Auſtriæ hanc Provinciam vinculo ad noſtra uſque tempora perpetuo.

In partem ſat magnam Carinthiæ jus vendicârunt ſibi Archiepiſcopus Salisburgenſis, Epiſcopus Bambergenſis, Gurcenſis & Lavantinus, quorum duorum ultimus eodem modo & tempore ab Archiepiſcopo Salisburgenſi eſt creatus, annuente Honorio III. Pontifice Romano, quo modo & tempore erectus eſt Epiſcopatus Seccovienſis.

Epiſcopatus Gurcenſis quadamtenus jam circa annum 740. authoribus DD. Virgilio & Modeſto inſtitutus, dici cœpit Epiſcopatus Solienſis, ab urbe non procul Clagenfurto condita, & Solium dicta, hoc nomine appellatus, ubi ſedem fixêre ſtabilem Epiſcopi. Dein circa annum 1070. Archiepiſcopus Salisburgenſis Gebhardus Gurcenſi Epiſcopatui erigendo proprios Solienſis Eccleſiæ & fundos alios dedit, adjutrice maxima D. Hemma, quæ Sanctæ Cunigundis Jmpe-

Jmperatricis exemplum imitata, Epiſcopatui huic manum porrexit utramque. Guntherus Epiſcoporum omnium Gurcenſium primus, 40. aut ſi *Lipſienſi Lexico* fides habenda 47. Succeſſorum nobis reliquit Seriem.

Partem Carinthiæ etiam vendicârunt ſibi Princeps de Portia, Comes Jmperij de Roſenberg, & Equites S. Georgij. Princeps de Portia antiquiſſimæ proſapiæ, utpote cujus author Armannus de Portia ſeculo V. contra Attilam Hunorum Regem jam pugnavit, & cum ſocijs Ducibus Aquilejam liberavit; priori ſeculo inter Jmperij Principes à Leopoldo Cæſare fuit numeratus. Idem ditiones alias poſſidet in Auſtria & Bavaria.

Ducatus Carinthiæ ferè ijsdem, quibus Styria abundat fructibus & naturæ beneficiis; minorem tamen redituum copiam gignit Auſtriaco Cæſari ob varietatem ditionum ad diverſos dominos partim Eccleſiaſticos, partim ſeculares pertinentium. *Pockius P. I. pag. 604.* proventuum ſummam ait excedere unum millionem.

Carinthij per undecim ſecula ab Eccleſia Romana nunquam fuerunt ſeparati. Celebre inter ipſos nomen obtinuit Congregatio à D. Chriſtophoro nomen habens, in qua conſcripti fratres bibendi & maledicendi licentiæ ſe hoſtes profitentur ſingulares.

TABULA TOPOGRAPHICA. IV.

DE CARNIOLÆ DUCATU.

§. III.

CArniola ad Savum ſita longitudine circiter 30. latitudine 25. ſi Jſtriam demas, milliaria Germanica æquans à Septentrione contingit Carinthiam; ab Oriente Croatiam & Comitatum Cillejenſem; à Meridie mare Adriaticum & Jſtriam; ab Occidente Forum Julij.

In

In Carniola urbes & oppida ſunt

Laubacum, alijs Lubiacum, caput Carniolæ,	Laubach.
Carnioburgum, - - -	Crainburg.
Aversberga, - - - -	Auerſperg.
Rattmansdorffium, - - -	Idem.
Steinium, - - - -	Stein.
Gurckfelda, - - - -	Gurckfeld.
Caſtua, - - - -	} Idem.
Galliniana & - - - -	
Laurana, - - - -	

His urbibus acceſſerunt oppida 36. Caſtella 254. pagi 4000. Lacus Circonienſis ideo eſt notatu dignus, quod non raro eodem anno piſces alat, & ſiliginem ferat, & inde cervis pabulum præbeat, venatoribus locus notiſſimus.

Marchia Vinidorum eſt pars Carniolæ,	Windiſchmarck.
In qua ſunt	
Metulum, - - - -	Metlingen.
Rudolphivverdia. - - -	Rudolphswerth.
Comitatus & urbs Gæritienſis, -	Görtz.
Comitatus Gradiſcenſis, - -	Gradiſca.
Tergeſtum, - - -	Trieſt.
Laka, - - - -	Lack.
Luneburgum, - - -	Monßburg.

Per quinque Secula poſt Chriſti nativitatem Carniola Romanis faſcibus caput inclinavit: ſeculis tribus proximis diverſorum dominorum, aut veriùs tyrannorum jugo collum ſubditit, nunc Hunnis, nunc Vandalis, nunc Longobardis dominatum tenentibus. Seculo VIII. triumphante ubivis terrarum CaroloM. per Germaniam, Carniolam ſimul & Carinthiam Series XX. Carnioburgenſium Marchionum aut Ducum gubernavit; ultimus eorundem fuit Henricus IV. poſt cujus fata Fridericus Ænobarbus Jmp. ſeparavit circa annum 1165. Carinthiam à Carniola, quarum poſteriori dein quinque Marchiones, de Crainburg dicti, jus dixerunt. His morte ſublatis Fridericum II. cognomentô Bellicoſum Auſtriæ Archiducem

Carniolæ Status unanimi calculo ſuum in Ducem elegerunt, aut veriùs Jmperator Ducem creavit ſecul. XIII. an. 1231. ùt habet *Lexicon Lipſienſe.*

Tempore interregni in Jmperio Ottocarus Bohemorum Rex armorum vi potitus Carniolâ, dum ſuccubuit victus à Rudolpho Habſpurgico, jus ſuum & vitam amiſit, translata poteſtate ſuprema in Albertum I. & hujus hæredes Auſtriacos, à quibus deinceps non eſt avulſum.

Carniola etſi in montes magna ſui parte exurgat, abundat tamen frumentô & vinô. Piſces ſuppeditant lacus minores & flumina, ſcilicet Savus, Gurck, Culp, Laybach &c. Incolæ ſunt frigoris & æſtus patientes, continuis laboribus aſſueti; limites ſuos adversùs Mahometanos & hoſtes cæteros diligenter muniunt & cuſtodiunt. *Pockius P. I. pag. 614.* affirmat majorem proventuum copiam dari in Carniola, quàm in Carinthia. Cæterùm quamvis tota Carniola Romanæ Eccleſiæ ſacramentum dixerit, non deeſſe tamen feruntur, qui non parùm faveant Græcis Schiſmaticis.

TABULA TOPOGRAPHICA V.
DE COMITATU TYROLENSI.
§. IV.

COmitatus Tyrolonenſis haud inferior Ducatibus multis, longitudine ſua à lacu Gardenſi Kuefſteinium uſque extenſa 35. latitudine verò ducta à munimento Reuttenſi uſque ad fines Auſtriam versùs, circiter 30. complectitur milliaria Germanica. A Septentrione adhæret Sueviæ & Bavariæ; ab Oriente Carinthiæ & Dominio Veneto; à Meridie Jtaliæ; ab Occidente Rhætiæ & Griſoniæ. Fluvijs rigatur ante alios nobilioribus Oeno & Atheſi.

In

In Tyroli urbes præ reliquis nobiliores ſunt

Oenipontum Metropolis, - - -	Ynſprugg.
Brixinum ſedes Epiſcopi, - -	Brixen.
Hala, - - - -	Haal.
Bolzanum, - - - ,	Botzen.
Kueffſteinium, - - -	Kueffſtein.
Landecum, - - -	Landeck.
Liencium, - - - -	Leintz.
Auguntum, - - - -	Innichen.
Merania, alijs Meranum, - -	Meran.
Braunegga, - - - -	Brauneggen.
Doblacum, - - - -	Doblach.
Clauſula, - - - -	Kofel.
Matra, - - - - -	Matrach.
Sebatum, alijs Schvvazium, - -	Schwatz.
Rotenberga, - - -	Idem.
Neoforum, - - - -	Neumarck.
Kizpihla, - - - -	Idem.
Sterzinga, aliis Stiriacum, - -	Stertzingen.
Traminum, - - - -	Tramin.
Tridentum, - - - -	Trient.

Poſt Romanos Præſides Tyrolim ſuam dixerunt quatuor Dominorum ſupremorum claſſes, nimirum 1. Comitum Athigenſium 2. Andecenſium ſeu Meraniæ; 3. Gœritienſium & 4. Archiducum Auſtriæ; ſexto namque poſt reparatam ſalutem ſeculo Bavariæ Duces ad Carolum M. uſque ſuos Marchiones Tyrolenſibus præfecerunt more Provinciarum aliarum. Marchiones illos dixerunt Adigenſes, aut veriùs Athigenſes, derivato nomine ab Atheſi fluvio. Poſt extinctam maxima ex parte Caroli M. familiam, Comites Andecenſes, ſeu Duces Meraniæ Tyrolim ſibi ſubjecerunt, & à ſeculo X. uſque ad XIV. duodecim Ducum Series eidem jura dictavit.

Ducum horum omnium ultimus Otto II. in Franconia percuſſus abſque liberis cecidit. Proles unica ſuperſtes ex Andecenſium ſtemmate Jutha nomine, cùm nupſiſſet Alberto Tyrolenſium Co-

miti cuipiam, iſque hærede maſculo deſtitutus filiam ſuam Adelhaidem in conjugem conceſſiſſet Mainhardo II. Gœritienſi in Carniola Comiti; inde Tyroleos Comitibus ejuſdem ſtirpis fuit ſubjecta, & connubij vinculo inter Mainhardum & Agnetem Badenſem Carinthiæ hæredem contracto Provinciis aliis juncta. Horum ex ſtemmate proles ultima Margaretha cognomentô Maultaſchia, cùm & ipſa poſt Matrimonia minùs fortunata abſque liberis extincta fuiſſet, poſt jam defunctum filium Mainhardum; hinc Tyrolis denique translata fuit jure potiſſimùm hæreditatis ad Auſtriæ Archiduces, ſub quorum poteſtate uſque hodie ſecura quieſcit.

Tyrolim quamvis poſt Carolum M. & ſequentibus ſeculis Nobilium haud multi incoluerint, poſt Maximilianum tamen I. Jmperatorem Jlluſtrium numerus ingens accepit augmentum, bene multorum meritis & favore Cæſaris ritè rem ſecundantibus. Eorum è numero ſunt illi maximè, qui Tribunal Cæſareo-Auſtriacum, ùt vocant Regimen, conſtituunt, Oeniponti perpetuam figentes ſedem; unde non niſi Viennam in cauſis forenſibus permiſſa eſt Appellatio: eidem verò Tribunali ſubjacet Tribunal alterum Friburgum Briſgojæ ex Alſatia translatum.

Tyrolis tametſi à multis rerum Germanicarum minùs peritis parvi æſtimetur, permagni tamen æſtimari meretur ob res multas æſtimatione digniſſimas; multos ſiquidem theſauros abſcondit frugifero ſinu ſuo natura mater; unde ſedulos inquiſitores & foſſores non deſtituit multoties aurum foſſile, argentum, cuprum, ferrum, plumbum, argentum vivum ſeu Mercurius, ſal, vinum, fontes ſaluberrimi, quibus accedunt animalia varii generis ſylveſtria, & magno numero domeſtica per montes, ſylvas & prata multis locis amæniſſima; nec deſunt fructus arborum ſelectiſſimi. Ex nobiliſſimo hoc Comitatu ait *Bockius* colligi annis ſingulis tres florenorum millones; at idem aſſerit, minimam eorundem partem pendi Cæſari.

Tyrolenſium cives & aggreſtes duris laboribus ſunt admodum aſſueti, parabili victu & veſtitu contenti, paritérque probatis moribus inſtructi Romanæ conſtantiſſimè adhærent Eccleſiæ; quare contingit non niſi rariſſimè, ut ad ſectariorum aras tranſeant. Ca-

ſtra-

ſtra haud frequentes ſequuntur ; quodſi tamen tamen Auſtria impetatur ab hoſtibus, alacri animo Cæſari ſervitutem etiam ſerviunt, & ſua ſub ſigna convolant, præſertim intra patrios fines prompti & expediti milites. E Nobilium numero literis navant operam multi, quorum pars magna poſt abſolutas tum manſuetiores, tum ſeveriores Muſas, contemptis ſeculi deliciis Religioſa petit clauſtra. Viros ac juvenes æmulatur ſexus fœmineus ; hinc videas è Tyrolenſium gynecæo Religioſis clauſtrîs concludi adeò multas, ut etiam Auſtria, Suevia, Bavaria aliæque Provinciæ vicinæ numerent Moniales, ùt vocamus, natione Tyrolenſes plurimas.

§. V.

DE EPISCOPATU TRIDENTINO.

STatus Eccleſiaſtici Diœceſis ſuæ partem maximam per Comitatum Tyrolenſem obtinentes, ſunt Epiſcopus Tridentinus & Brixinenſis, de quibus pauca hæc accipe.

Inter antiquiſſimos per Germaniam univerſam Epiſcopatus jure numeratus Tridentinus anno 45. ùt ipſe non diffitetur *Hübnerus*, (*Pockius* annum 85. habet) initium ſuum jam accepiſſe perhibetur ; Jovinus enim ipſis Apoſtolis in Eccleſia primis non ignotus diſcipulus à D. Hermogarà Aquilejæ Patriarcha conſtitutus, primus Tridenti ſedit Epiſcopus, cujus ſucceſſores jam ultra centum numero, profectò varia rerum diſcrimina ſunt experti, ſua virtute & conſtantia maxima: proinde tam Epiſcopis tanta ex Serie non paucis factorum ſuorum famâ clariſſimis, quàm ipſi urbi Seculo XVI. prorſus inſigne decus addidit Concilium Oecumenicum XVIII. Tridenti fructu Eccleſiæ Romanæ maximo celebratum.

Tres Jmperatores Tridentinæ Eccleſiæ ſeſe probârunt ante alios munificentiſſimos, Theodoſius nimirum & Carolus uterque Magnus, quorum veſtigiis inſtitiſſe fertur Conradus II. ditiones novas priſtinis adjiciens. Tempore Friderici II. & Conradi IV. Jmperatorum, nec non durante Jmperij plurium quàm viginti annorum interregno Guelphi & Gibelini Germanis & Jtalis, quàm Latinis, notiora nomina fuêre plurimùm infeſta Tridentinæ Eccleſiæ more bar-

barorum rapto vivere aſſuetorum graſſati. Pacem denique ſi non perpetuam, ſaltem diuturnam attulit Tridento Archiducum Auſtriacorum clementia & manſuetudo celebratiſſima, qui cum Epiſcopis Tridentinis ea lege convenerunt circa annum 1365. & denuo 1511. ut Tridenti Epiſcopus inter Epiſcopos eóſque Jmperij Status Eccleſiaſticos numeratus ſedem ſuam occuparet & ſuffragium ferret in Comitiis publicis. 2. Ut Archiduces Auſtriæ tanquam Tyroleos Comites perſeverarent eſſe *Advocati*, ùt vocant, *Hæreditarii* Epiſcopatûs. 3. Ut Epiſcopus Comitiis in Tyroli Provincialibus ſaltem per Legatum non adeſſe gravaretur. 4. Ut Epiſcopus quà conſiliis, quà auxiliis ſuccurreret communibus Tyroleos neceſſitatibus. 5. Ut Domus Auſtriaca ſuppleret Jmperij onera, exceptis impenſis Cameralibus, aliàs ab Epiſcopo præſtanda: nihilominus proventus annui 40000. florenorum æquare, aut ſuperare creduntur. In Cathedrali Eccleſia Beneficiis fruuntur 18. Canonici.

§. VI.
DE EPISCOPATU BRIXINENSI.

EPiſcopatus Brixinenſis 15. circiter Germanicis milliaribus longus, & nunc 10. nunc 8. nunc 6. pro locorum diverſitate latus, à Septentrione, Occidente & parte Meridionali includitur à Comitatu Tyrolenſi; verſus Orientem verò & Meridiem ex parte attingit Ducatum Bavariæ & ditiones Venetas. Urbes & oppida in eodem contentæ jam ſuperiùs ferè ſunt enumeratæ, ex quibus aliísque bonis in annos quosvis Epiſcopo comparari ſolent 40000. flor. utì narrârunt viri fide digni.

Brixinenſis Epiſcopatus ſeculo IV. fundatus, primos inter Epiſcopos cœpit numerare DD. Caſſianum, Lucanum, Ingevinum & Conſtantium, omnes ſanctitate conſpicuos. Hi aliíque Antiſtites celeberrimi uſque ad annum Chriſti 1000. Epiſcopalem Sabionæ fixerunt ſedem. D. Albinus author fuiſſe perhibetur, cur Brixinum translata ſedes Epiſcopi jam ſeptem ſeculis ibidem duraverit. Nomen etiam clariſſimum præ aliis, ſuis factis laudatiſſimis impetrârunt D. Hartmannus & Poppo; hic enim Pontifex Romanus Seculo XI.

electus

electus, & Damaſus II. apellatus eſt 23. dierum duntaxat Supremus Præſul. Ille miraculis non minùs, quàm D. Caſſianus & Succeſſores proximi inclaruit. Seculis antiquioribus Aquilejenſis Patriarchæ Suffraganeum extitiſſe Brixinenſem Epiſcopum in Hiſtoriis legimus; poſteriori tempore Archiepiſcopi Salisburgenſis curæ creditum eſſe ſcimus. Eſt idem Jmperij Princeps inter Status Jmperij Eccleſiaſticos more Epiſcoporum aliorum in Comitiis publicis ſedem occupans & ſuffragium ferens. Inter ipſum & Archiduces Auſtriacos interceſsêre pacta juri publico quàm Hiſtoriæ notiora. Videantur *Series Epiſcoporum Horum.*

TABULA TOPOGRAPHICA. VI.

DE RELIQUIS CIRCULI AUSTRIACI PARTIBUS IN SUEVIA SITS.

EX Tyroli tranſitum paramus in vicinam Sueviam, in qua ad Circulum Auſtriacum computantur Marchionatus Burgavienſis, & Ditiones aliæ, de quibus modò ſit

§. VII.

DE MARCHIONATU BURGAVIENSI.

Marchionatus Burgavienſis inter Auguſtam Vindelicorum & Dilingam ſitus, longitudine ſua complectitur ferè 8. aut 9. milliaria Germanica, latitudine verò quatuor aut quinque, aut fortè plura non uno in loco. Urbes in hoc Marchionatu ſunt memorabiles Burgavium & Günzburgum.

Marchionatus Burgavienſis ſeculis poſt Carolum M. more Provinciarum aliarum ſuis obedivit Marchionibus; unde hunc in modum

dum *Fuggerus Lib. V. cap. 40. pag. 1053. ad annum 1492.* ſcribit: Regio hæc ſubjecta primùm fuit Bavaro, cujus Præfectus hìc erat Comes de Abbach & hæredes, quorum ultimus Bruno an. 1075. fatis conceſſit. Inde tranſlata eſt ad Comites de Bibereck, Schelckingen & Rockenſtein, in quorum ditione permanſit uſque ad tempora Marchionis Henrici, qui anno 1304. ad plures abiît. Hoc ex tempore Marchionatus Burgavienſis Auſtriæ ſubjectus Præfectis Regionaribus obtemperavit.

Seculo Chriſti XIII. circa an. 1206. extincto jam Marchionum Burgavienſium ultimo Philippus natione Suevus Jmperator Comiti Rockenſteinio in Feudum conceſſiſſe memoratur Marchionatum. Ex eorundem Comitum ſtemmate poſtremus Henricus an. 1282. Wettenhuſij in Monaſterio Canonicorum Regularium Jmperiali antiquiſſimo ac celeberrimo perhibetur ſepultus. Eo ex tempore Marchionatus hic Archiducibus Auſtriæ adjudicatus, temporibus variis vel in Feudum, vel in emphithevſin eſt datus nunc Bavariæ Ducibus, nunc Epiſcopo, aut Collegio Canonicorum Cathedralium Auguſtano. Anno tamen 1492. Maximilianus I. & dein Ferdinandus II. Jmperator Marchionatum hunc penitus redemptum nunquam dimiſit in poſteris, ſed nunc Præfectis ſuis, nunc Oenipontano eique Archiducali Regimini ſubjecit, reſervatâ Jmperatori, vel Archiduci ſententiâ in rebus majoribus ſupremâ ac ultimâ.

Arx Burgavienſis pro Friderico Pulchro Jmperatore pugnavit ſtrenuè; unde à Ludovico Bavaro Friderici æmulo potentiſſimo ſimul Jmperatore an. 1324. obſidione cincta, ſed non expugnata eſt, Burchardo Herlebachio unà cum duobus filiis & 300. Equitibus fortiſſimè tamdiu reſiſtentibus, donec Leopoldus & Albertus Auſtriæ Archiduces adduxerunt auxiliatrices & victrices copias. Eodem ſeculo nimirum an. 1371. Bavari denuo arcem Burgavienſem obſederunt eventu, quàm priùs, feliciori; poſt breve tamen temporis intervallum victores Bavari in arce victi, locum ceſſerunt Comitibus Teckenſi & Wirtembergico.

Cæterùm Marchionatus Burgavienſis tum vectigalibus, tum aliis tributis per annos ſingulos colligendis facilè æquare creditur

300000.

300000. aut 400000. fl. ita aſſeruit Vir illuſtriſſimus Ditionum Auſtriacarum per Sueviam ſitarum apprimè peritus.

§ VII.

DE DITIONIBUS MONTFORTENSI, BRIGANTINA, VELDKIRCHENSI, NELLENBURGICA, ET HOCHENBERGICA.

Comitatus Montfortenſis in Rheni valle, utì vocamus, ferè totus eſt ſitus, cujus pars minor hodie ſubjecta ſervit Comiti Monfortenſi; partem enim ejusdem Comitatus majorem Archiducibus Auſtriæ vendiderunt ipſimet Comites Montfortenſes; Rudolphus namq; an. 1375. hæreditatem ſuam aureorum 16000. Archiduci Leopoldo dedit, Veldkirchiô libertate donatô: partem Brigantinam alteram 1450. Sigiſmundo Archiduci vendidit Eliſabetha ejusdem partis domina; partem verò Brigantinam alteram an. 1525. Hugo Comes Ferdinando I. Archiduci: unde patet, Comitatum Montfortenſem olim latiſſimum, ſucceſſu temporis fuiſſe diviſum in varias lineas, atque adeò in Comitatum Veldkirchenſem, Brigantinum & Montfortenſem hodie dictos.

Numerantur gemino in hoc Comitatu urbes & oppida varia, inter quas eminent Veldkirchium & Brigantia urbes vetuſtiſſimæ.

Vicina his urbibus Conſtantia à Conſtantio Chloro circa annum Chriſti 300. adversùs Germanorum impetus eſt extructa, â Carolo autem V. libertate Jmperiali ob ſeditionem ſeculo XVI. excitatam privata, & ditionibus Auſtriacis adjecta.

In Auſtriaco Circulo numeratur etiam Dynaſtia Nellenburgica ad lacum Acronianum Occidentem verſus Principatui Fürſtenbergico adſita. Comitatus hic quondam Landgraviatus, & Domini ab initio Landgravij, tum Comites de Nellenburg & Thengen dicti ſunt. Floruerunt tempore Caroli M. An. autem 1592. cum Chriſtophoro Ladislao extincti ſunt. Inter illos maximè memorabilis fuit Otto, qui ab anno 1067. ad an. 1077. Archiepiſcopus Trevirenſis extitit, & ab aliis Ado Martyrologii auctor eſt dictus. Quo tempore Comites Nellenburgici ludis equeſtribus interfuerint, memorat *Buceli-*

ni in ſua Germania. Ad Auſtriam lege Feudali extincta Comitum ſtirpe, devolutum eſſe Comitatum hunc colligit *Imhof.*

Item Dynaſtia Hohenbergenſis ad Nikarum, in qua Rottenburgum celebre nomen habet, cui annumeremus Ehingam & huic vicinam Sueviæ particulam. De Comitibus Hohbergenſibus ferè ſimilia habet *Lexicon Lipſienſe*: Comites Hohbergenſes malè aliqui à Ducibus Zeringenſibus prognatos aſſerunt; quoniam originem potiùs trahunt à Comitibus ab Hurmingen, inter quos maximè memorabiles extitêre Albertus an. Chriſti 1238. cujus filiam Annam duxit Rudolphus I. Habſpurgicus; item Sigiſmundus, qui ultimus ſtirpis an. 1486. deceſſit, ditionem autem Rotenburgenſem jam an. 1371. Domus Auſtriaca coemit.

De vicina Sueviæ parte, ſeu Præfectura Suevica Auſtriæ pridem ſubjecta hunc in modum ſcribit *Imhof.* Auſtria Præfecturam Provincialem Sueviæ pro magna auri ſumma arrhaboni ſibi ab Jmperatore Wenceslao relictam, neque ampliùs redemptam obtinuit. Et quamvis ea deinde non ſemel tantùm in Truchſeſſiorum de Waldpurg manus titulo pignoratitio deveniſſet, eodem tamen jure ad Auſtriacos rediît.

TABULA TOPOGRAPHICA VII.

DE PROVINCIA BRISGOIÆ.

§. I.

DE PRIMIS BRISGOJÆ DUCIBUS.

BRiſgojæ ſupremos vel etiam ante Caroli M. ætatem fuiſſe Dominos illos ipſos Duces, quos dein ab arce Zeringa Duces Zeringenſes appellârunt, communis eſt Hiſtoricorum opinio, quæ ſimul aſſerit eandem eſſe originem Domus Habſpurgicæ

&

& Ducum Zeringenſium ea propemodum methodo, quam nunc oculis ſubjicimus.

I. Erckembaldus utriuſque nobiliſſimæ familiæ primus extitit genitor ipſe jam nobiliſſimus circa annum 660. Major Domûs Clodovæi Regis in Francia.

II. Lendiſius Erckembaldi filius ſucceſſit in officio patri, Theodorici III. Regis Major Domûs.

III. Athicus Adelricus Lendiſij natus, à Theodorico III. Rege Alſatiæ Dux conſtitutus.

IV. Etho ſeu Hetho Adelrici filius propagavit ſtirpem, Eberhardo fratre majori ſine maſcula prole mortuo. Eberhardus tamen hic inter vivos reliquit Warinam filiam, quæ fuit mater Guelphorum ſeu Welphorum Comitum de Altenburg.

V. Albericus Ethonis filius, Alſatiæ Dux & Comes Briſaci, pater quatuor filiorum, qui bona Habſpurgica, ita volente Hiltrude affine ſua eorundem bonorum Domina, titulo hæreditatis poſſederunt.

VI. Eberhardus I. Alberici primogenitus filius, Comes Habſpurgicus circa annum 900. floruit, aut citiùs.

VII. Eberhardus vel idem cum priori, vel certè II. primi filius Comes Habſpurgicus.

VIII. Hugo Eberhardi II. filius, pater trium filiorum & duarum familiarum nobiliſſimarum, ſcilicet Lotharingicæ, & Dachsburgicæ author, Habſpurgicæ verò promotor.

IX. Guntramus Hugonis filius tertio genitus, cognomento Dives, Comes Habſpurgicus an. 946. mortuus.

X. Gonzelinus (alij vocant Landelinum) Guntrami filius, genitor trium filiorum, ex quibus ſecundogenitus lineam Ducum Zeringenſium illuſtriſſimam inchoavit; Ratbodus verò natu major familiam Habſpurgicam continuavit, erigens uterque in Briſgoja caſtella noviſſima, poſteris tamen perparum nota.

XI. Bertholdus I. cognomine Barbatus ædificando abſolvit caſtellum Zeringenſe, Princeps de Romano Jmperio optimè meritus, cui ob hanc cauſam promiſit Henricus III. Jmperator fi-

liam ſuam & Sueviæ Ducatum, quem tamen Rudolphus, dictus Rheinfeldenſis Comes, creatus denique Henrici IV. loco Romanorum Jmperator, præripuit. Ut itaque ſatisfieret Bertholdo, Henricus III. eidem Ducatum Carinthiæ conceſſit. Mortuus Bertholdus an. 1077. vivis reliquit duos filios, Bertholdum nempe II. & Hermannum, quorum hic bona Hohbergenſia cœpit poſſidere, & unà lineam Badenſem à Zeringenſi & aliis diſtinguere.

XII. Bertholdus II. filius Bertholdi I. duxit Agnetem Rudolphi Rheinfeldenſis filiam, cujus parenti ſocero ſuo Jmperij ſceptrum adversùs Henricum IV. quà armis, quà conſiliis ſibi vendicanti fortiſſimè adſtitit, Sueviæ tamen Ducatum minimè impetravit, quòd Fridericus Antiquus de Hohenſtauffen, Henrici IV. Jmperatoris gener eundem Ducatum in Feudum prior acceperit circa annum 1100.

XIII. Bertholdus III. anno 1120. cœpit ædificare aut conſumare urbem Brisgojæ principem Friburgum; unde relicti ſunt nobis à majoribus ſuo tempori probati verſus:

Anno milleno, centeno, bis quoque deno
Freyburg fundatur, Bertholdus Dux dominatur.

Bertholdus Friburgo tam mœnibus, quàm legibus bene inſtructo, prope Mülhuſium in Alſatia cecidit in pugna, in Monaſterio celeberrimo D. Petri haud procul hinc diſſito ſepultus, ubi longè plurium Virorum ac Fœminarum Principum nobile ſepulchrum inveniet piè curioſus viator & ſpectator.

XIV. Conradus frater Bertholdi III. extruxit templum & turrim Friburgi Brisgojæ nobiliſſimam. Vixit Conradus hic Conradi III. Jmperatoris ætate, à quo Arelatenſis regni faſces pro Jmperatore tenere eſt juſſus, quos reſtituit Friderico Ænobarbo. Hujus Ducis auxilio caput D. Epiſcopi Lamberti Ultrajecto in ædem Friburgi principem translatum eſt. Moriens an. 1152. reliquit filios tres, Bertholdum IV. Succeſorem in Brisgoja, Rudolphum Leodienſem Epiſcopum, & Adelbertum Ducum Teckenſium in Wirtenbergia authorem.

XV.

XV. Bertholdus IV. tertii filius perfecit ampliùs Friburgum Briſgojæ; extruxit Friburgum alterum Helvetiæ; Bernatenſium urbi famoſiſſimæ fundum ac fundamentum dedit, quin & Villingæ conditorem fuiſſe perhibent. *Plura inveniet Lector in Hiſtoria Würtenbergica, Chronico Solodorano, & in annalibus diverſorum Monaſteriorum Ord. S Benedicti præſertim ad S. Blaſium, D. Petrum & in manuſcriptis Friburgi.*

XVI. Bertholdus V. filius Bertholdi IV. tantæ authoritatis ac potentiæ erat inter Jmperij Principes, ut eundem ex Electoribus complures Philippo Sueviæ Duci præhabitum, in Cæſarem eligere ſecum ſtatuerint, haudquaquam invito Pontifice. Verùm cùm probè notaret Bertholdus, fortè divitias ſuas multas, quàm ſe deſiderari ardentiùs, coronæ Cæſareæ ultro nuntium remiſit. Refert Guilimannus rerum Briſgoicarum ſcriptor, & Chronichon Solodoranum, Iddam Bertholdi V. conjugem II. à mariti ſui æmulis, præſertim Burgundis adeò ſeductam fuiſſe, ut filiis duobus privignis venenum mortis præſentiſſimæ cauſam porrexerit; Bertholdum verò tanti criminis certiorem factum mox conjugem gladio percuti, hujus abſciſſum caput & filiorum cadavera eodem tumulo Solodori condi juſſiſſe, atque hoc maximè modo Ducum Zeringenſium ſanguinem, neutiquam verò nomen extinctum fuiſſe. Authores alij affirmant, Bertholdo V. nullum filium, duas verò filias natas fuiſſe, quarum primam Agnetem nomine duxerit Egon Comes Fürſtenbergicus, & hoc defuncto viduam Eberhardus I. Comes Würtembergicus, qui proinde bona Zeringenſium Ducum in Suevia ferè omnia ſibi vendicaverit. Sororem alteram Annam nupſiſſe Udalrico Comiti Kyburgenſi, qui ditiones Zeringenſium in Helvetia ſitas ſuis junxerit, hoc verò Comite extincto jure hæreditatis ſibi vendicaverint Comites Habſpurgici. An. 1218. fatis conceſſit Bertholdus V. Friburgi in templo urbis principe ſepultus. Bernatenſium urbem à ſe extructam teſtamento ſuo legavit Jmperio, ut nobilitati Helveticæ ſibi perinfenſæ obicem poneret.

§. II.

DE COMITIBUS FÜRSTENBERGICIS BRISGOJÆ QUONDAM DOMINIS.

Ab anno reparatæ ſalutis 1218. ad annum 1366. Briſgoja Comitibus Fürſtenbergicis ſubdita perfrequenti & pergravi bello domeſtico vel cauſam præbuit, vel accepit. Fortè anſam iræ mutuæ jam dedit Egon Agnetis Zeringenſis maritus, qui ædificare cœpit arcem, ſeu propugnaculum in vicino Friburgenſibus monte poſitum, quod hodie inferiorem arcem dicimus. Fuit arx iſthæc durante bello domeſtico ferè perpetuum Comitum Fürſtenbergicorum receptaculum. Sub Egone altero, & hujus filio Conrado ignis Martius exarſit vehementiùs, adeò ut, cùm circa an. 1299. Friburgum obſidione cingeret Comes Conradus, & Conrado Comiti Conradus Epiſcopus Argentinenſis ſuorum ipſe militum Dux ſuccurreret, eruptione facta inter civium Friburgenſium cohortem laniorum quiſpiam percuſſo Epiſcopo in fugam hoſtes minores nullo propemodum labore compulerit. Nondum hic finis malorum; anno namque 1338. Fridericus Comes Fürſtenbergicus à civibus ex urbe Friburgo pulſus tamdiu contra ſubditos pugnavit, quamdiu vixit. Mitiora tandem experta eſt Clara Friderici filia conjux Comitis Tübingenſis, quæ toti Briſgojæ gratiſſima dominatum in urbem hanc noſtram & adjectam regionem per annos aliquot conſervavit. Verùm & huic denique lis orta eſt graviſſima cum Egone inter Friburgi dominos IV. patruo ſuo dominatum ſibi in Briſgojam vendicanti; anno igitur 1358. ita tranſigere placuit, ut Egon Friburgum receperit, ſed & bello noviſſimo materiam præbuerit; civitate priſtinam libertatem repetente, & Ducum Zeringenſium clementiam extollente. Inter mutua odia eò deventum eſſe legimus, ut cum aliquando in arcem ſuam ſe recepiſſet Egon, continuò cives machinas ſuas triplici in loco diruendæ arci applicaverint. Denique an. 1366. datâ Egoni Comiti auri ſummâ Friburgum Auſtriacis cœpit obedire Archiducibus. Vid. *Chronicon parvum Friburgenſe & Hiſtoriam Fürſtenbergicam.*

§. III.

§. III.

DE ARCHIDUCIBUS BRISGOJÆ DOMINIS.

IN Auſtriaca Hiſtoria legere eſt, Archiducem Albertum cognomento Contractum inter vivos reliquiſſe quatuor filios, Rudolphum nempe IV. Albertum IV. Fridericum III. & Leopoldum Probum, inter quos tanta fuit concordia fratrum, ut per annos quatuor communi jure Provincias poſſederint, tum verò juſtiſſimas ob cauſas ita diviſerint, ut Leopoldo Probo Suevia, Briſgoja & Suntgoja vel ſorte vel pacto obvenerint. Placuit ea bonorum diviſio, & magìs Leopoldus Briſgòjæ ſupremus Dominus Friburgenſium civitati adeò, ut conſilio inito unanimis omnium fuerit mens, ſe ultro dedere & ſubmittere ſuavis Archiducis Leopoldi jugo, & priſtinæ nuntium remittere libertati. Eodem tempore Helvetij cœptam ſeditionem identidem magìs promovebant introducendæ Reipublicæ avidiſſimi, quos dum ſubigere armis tentavit Leopoldus, prope Sempacum unà cum 676. nobilibus victus cecidit an. 1386. poſtquam Leopoldus Glorioſus Friderici Pulchri filius, & Leopoldus Craſſus minùs glorioſè jam contra ſeditioſos dimicârunt. Leopoldo Probo ſucceſſit filius Fridericus, qui dum partes Joannis XXIII. Pontificis tueri conatur, à Concilio Conſtantienſi anathemate percutitur, & à Cæſare Sigiſmundo proſcribitur, Provinciis ſuis omnibus exutus. Schaffhuſium primò, dein verò Friburgum Conſtantiâ affugit Joannes Pontifex; denique ſanioribus perſuaſus conſiliis dum Concilij ſententiæ acquievit, Eccleſiæ, ſibi & Friderico plurimùm profuit; Fridericus enim in Eccleſiæ gremium receptus, ſuisque Provinciis, ſi ditiones Helveticas excipimus, reſtitutus, & nomen à vacua crumena ſibi inditum, & cunctas ſuas maculas virtutibus multis extinxit. Inter virtutes placuêre plurimis non nimiùm profuſa liberalitas, & moderata bonorum tenacitas, qua tantum effecit Fridericus, ut integrum aureorum millionem vivis mortuus reliquerit, tametſi domus cujusdam tegumen Oeniponti omnibus conſpicuum auro ſolido non minùs ornârit, quàm firmârit, profectò mi-

minimè ampliùs Fridericus à vacua crumena dicendus, utpote cujus tota domus facta eſt crumena aurea. Fridericum ſecutus eſt Albertus Prodigus ejusdem Friderici ex fratre Erneſto nepos, Sigiſmundi Archiducis curator. Prodigi nomen unde ſibi adſciverit, non liquet, liberalem jure meliori nos eundem nominabimus, cùm in gratiam noſtræ potiſſimùm Provinciæ Academiam hanc noſtram fundaverit an. 1452. à Pio II. Pontifice primùm anno 1463. confirmatam. Anſam fundationi huic dediſſe fertur Mechtildis Würtembergica Alberti conjux literatorum amantiſſima. Albertum an. 1463. vel veneno extinctum, vel morbo violento necatum excepit Sigiſmundus Friderici Archiducis filius Briſgojæ, Sylvæ Hercyniæ, partis Alſaticæ, Urbium Sylveſtrium & aliarum Provinciarum Dominus anno 1495. ſine liberis mortuus; unde omnium ſuarum Provinciarum hæredem ſcripſit Maximilianum I. Jmperatorem Friderici Jmperatoris filium. Maximilianus itaque Cæſarem ſimul & plurimarum Provinciarum Archiducem fuiſſe authorem etiam novi illius in Briſgoja Ordinis, quo in tres, ùt vocamus, Status ſunt diſtributi tum Præſules Eccleſiaſtici, tum Nobiles in Briſgoja univerſi, tum etiam Urbes, quiſcunque pronuntiaverit, ritè ſententiam aut opinionem ſuam dixit. Quis enim Archiducum ante Maximilianum I. introduxit novam hanc, aut potiùs modò antiquam Briſgojæ dividendæ, aut regendæ methodum? profectò nemini, patet, latet omnes; non loquuntur authores, non extant monumenta aut teſtimonia. Id verò teſtatur *Fuggerus* in Speculo Auſtriaco fol. 1106. Maximilianum I. an. 1497. Friburgi Briſgojæ præſentem tum multas res Jmperij, tum Auſtriacarum Provinciarum, præſertim verò Anterioris Auſtriæ proprias ritè diſpoſuiſſe. Compertum eſt quoque ex manuſcriptis Briſgojæ domeſticis, nonnullos ex iis Præſulibus, quos hodie numerat membra electa Status Briſgojæ Eccleſiaſticus, inter Liberos Jmperij Antiſtites antea numeratos, ſponte ſua Maximiliani I. & Succeſſorum tempore Jmperiali juri ſuo renuntiâſſe, ut deinceps Auſtriæ peculari modo liceret obedire, quoniam ipſis nova hæc Statuum diviſio longè magìs arridebat, quàm libera Jmperij facultas & privilegia. Conſtat item abundè à Maximiliano I.

decem

Decem in Jmperio Germanico Circulos eſſe erectos & ſtabilitos; novam Jmperij Matriculam, utì appellant, conſcriptam & ratam omnibus membris habitam; Regimina, ùt vocamus, nova & tribunalia per hæreditarias Auſtriæ Provincias eſſe conſtituta; cùm ita ſuaderent mutata & turbata tempora, ſimul & aucta plurimùm Auſtriacorum jura & bona. Ob has ſimiléſque cauſas eam & nobis abire juvat in ſententiam, quæ Maximilianum I. ſtatuit authorem Inclytorum in Briſgoja Statuum, quos Auſtriaci partim Jmperatores, partim Archiduces aliàs jam laudatiſſimi, & cunctis ferè notiſſimi in perpetua pace conſervâſſent, niſi vicini Galli, & viciniores Comites Rhenani, ac remotiſſimi Sueci, elapſis Seculis pacem turbâſſent, aris noſtris & focis hoſpites moleſtiſſimi, & hoſtes graviſſimi.

In Statu autem Eccleſiaſtico præſidet perpetuò Celeberrimi & Antiquiſſimi Monaſterij in Sylva Hercynia ad S. Blaſium Ord. S. Benedicti Præſul, cui à Cæſare, ſeu Auſtriæ Archiduce conceſſa atque confirmata ſunt jura alia complura huic Statui propria. Reverendiſſimum Præſidem ſuum *Blaſium hujus nominis III.* veneratur hodie Status Eccleſiaſticus, imò & Status reliqui per Provinciam Briſgojcam univerſi.

In ſtatu Nobilium Equitum Præſides hactenus fuerunt Viri ſtemmate Perilluſtres, dotibus & virtutibus Illuſtriſſimi, nimirum partim Comites, partim Barones de Baaden, de Falckenſtein, de Sickingen, de Schönau, iterùm de Sickingin, & hodie Illuſtriſſimus DD. Hanibal Maximilianus Comes de Schauenburg &c.

In Statu urbium ac regionum Præſidis locum tenet perpetuò urbs per Briſgoiam princeps Friburgum.

Ex Alſatia in Briſgoiam, Enſishemio nimirum Briſgoiæ Friburgum translatum eſt priori Seculo, poſtquam Gallorum Rex Ludovicus XIV. Galliæ Provinciis junxit univerſam Alſatiam, Regimen Archiducale Anterioris Auſtriæ, in quo Archiducis loco Præſides Supremi ſederunt hactenus Illuſtriſſimi DD. Barones de Spörreither, de Garnier, de Weſſenberg, de Kagenegg, de Roſt, & hodie Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus DD. Ferdinandus Hartmannus Baro à Sickingen &c &c.

TABULA TOPOGRAPHICA I.

CIRCULUS II. RHENANUS INFERIOR SEU ELECTORALIS DICTUS.

CIrculus Electoralis cùm immixtas ſibi contineat ditiones non paucas, pertinentes ad diverſos Jmperij Circulos; hanc ob cauſam nec ejus latitudinem nec longitudinem commodè licet definire; hoc ſolùm juvat dicere, ab eodem Electorali Circulo longitudine, aut ſi mavis dicere latitudine ſuperari longè Circulos omnes reliquos, ductâ lineâ inter Occidentem & Septentrionem ad angulum Orientis & Auſtri medium. Rhenus Germaniæ princeps, aut à principe primus fluvius Circulum hunc penetrat medium; commiſcentur verò eidem fluvio ex parte Orientali Mænus Moguntiæ, ex parte Occidentali verò Moſella Confluentiæ. Dividamus jam more Catholicis uſitato Status Eccleſiaſticos & Seculares hujus & aliorum Circulorum ita, ut hi ſecundo, illi primo veniant loco.

§. I.

STatus Eccleſiaſticus omnium primus in Romano Jmperio poſt Romanum Pontificem eſt Archiepiſcopus & Elector Moguntinus, cujus urbes ſunt: Moguntia Sed. Archiepiſcopi. Binga, aliis Bingium. Elfeldia. Gereshemium. Lohnſteinium ad Rhenum. Aſchaffenburgum. Hœchſta. Klingenberga. Miltenburgum. Procelda. Selingenſtadium. Steinhemium. Benshemium. Diepurgum. Heppenhemium. Morlebachium ad Mænum. Biſchoffshemium ad Tubarim. Erfordia ad Geram in Thuringia. Hirſchornium, Mosbachium ad Nikarum. Terfurtum ad Viſurgim. Heiligenſtadium, Duderſtadium ad Wipperam in Eisfeldia. Amberbacum. Bucha, in Ottonia Sylva. Frizlaria, Naumburgum in Haſſia.

Longè

Longè plures tum urbes, tum oppida cum bonis aliis in variis Provinciis ſuas eſſe jure aſſerit conſtanter Archiepiſcopus Moguntinus; verùm eadem variis bellis & caſibus legitimo Domino ſuo erepta poſſident poſſeſſores Heterodoxi.

Quænam ſit prima origo urbis Moguntiæ, dum per antiquiſſima inquiritur ſecula, multis aperitur via fabulis. Fide digniſſimum, eſt, Moguniam à Druſo Germanico Octaviani Auguſti privigno fuiſſe conditam haud multis ante Nativitatem Chriſti annis.

§ II.

DE ORIGINE EPISCOPATUS, ARCHIEPISCOPATUS ET ELECTORATUS MOGUNTIÆ.

EPiſcopatui Moguntiæ initium fecit D. Creſcens D. Pauli diſcipulus, à Divo Petro more diſcipulorum aliorum Româ dimiſſus ad docendum gentes Evangelium. Secuti ſunt D. Creſcentem in Epiſcopatu Moguntiæ Epiſcopi 39. uſque ad annum 745.

Hoc ipſo Seculo S. Bonifacius nobiliſſimus Anglus Richardi Reguli affinis, Venerabilis Bedæ diſcipulus, ex Anglia pervenit in Germaniam, ex qua, collecto animarum fructu eximio Romam contendit D. Gregorium II. Rom. Pont. & itinere altero D. Gregorium III. honoraturus. Placuêre utrique Romano Præſuli Sanctiſſimo labores Bonifacii adeô, ut hunc Germaniæ Archiepiſcopum conſtituerint, facta eidem ampliſſima rerum agendarum poteſtate. Redux igitur ad Germanos Bonifacius temporis ſucceſſu ſeptem Epiſcopatus, in Bavaria &c, nimirum Salisburgenſem, Friſingenſem, Ratisbonenſem & Paſſavienſem iniquiſſimorum temporum injuriâ haud parùm deſtructos reſtauravit; in Franconia verò & Thuringia tres erexit, ſcilicet Herbipolenſem, Euſtadianum & Erfurtenſem.

Eadem ferè ætate Gervilio Archiepiſcopus Wormatiæ ſimul & Epiſcopus Moguntiæ nobilem Saxonem vel caſu, vel turpiùs odiô, neci dederat, ſimùlque continuandis venationibus potiùs, quàm curandis animabus vires intendebat; unde latâ Romæ ſententiâ relinquere Archiepiſcopi Dignitatem, & Monaſterium petere juſſus D. Bonifacio locum ceſſit. Fuit hæc eadem occaſio, qua Archiepiſco-

piſcopi poteſtas Wormatiâ Moguntiam translata fuit, ita rogante Pipino Francorum Rege, & concedente D. Zacharia Romano Pontifice. D. itaque Bonifacius non Wormatiæ, ſed Moguntiæ Archiepiſopus, cùm per annos ſeptem laudatiſſima methodo ſubditas ſibi Diœceſes gubernâſſet, identidem majori accenſus zelo partim à Romano Pontifice Zacharia, partim à Pipino Rege impetravit, ut liber dimiſſus, multisque ſociis ſtipatus ſecundo Rheno ad Friſones deſcenderet, Fidei Romanæ lumine ampliùs illuſtrandos. Verùm ibidem unà cum ſociis à latronum cohorte occiſus an. 755. beatam vitam morte beatiori nobilitavit. Corpus D. Archiepiſcopi primò Ultrajectum, inde verò Moguntiam, & demum Fuldam translatum, nunquam non inſignibus inclaruit miraculis.

Circa annum 998. dignitatibus acceſſit prioribus in Romano Jmperio novo dignitas admodum excelſa, nimirùm Electoralis, qua exornatus fuit Willegiſius, ita rem diſponente Gregorio V. Pontifice & Ottone III. Jmperatore, qui omni hærede deſtitutus maſculo, Romano Jmperio per Electores conſulere, & quibuſvis malis in electione Cæſaris evenire ſolitis aditum præcludere ſtuduit. Creatus jam tum jmperij Cancellarius Archiepiſcopus & Elector Moguntinus, poteſtatem ſuam ad noſtra uſque tempora perpetuam in conventibus Jmperij publicis exercuit: poteſtas verò & officium Electoris præter alia ferè ſequentia complectitur capita.

§. III.

DE PECULIARIBUS ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS MOGUNTINI DIGNITATE, POTESTATE &c.

I. Præterquam quòd ſit Archi-Cancellarius per Germaniam, eſt Decanus in congregatorum Electorum Collegio, & aliis Conventibus Jmperij publicis.

II. Sub ejusdem cura & cuſtodia ſunt Jmperij Archivum, Matricula & documenta publica.

III. Judicium Jmperiale Aulicum dicto ſacramento ſibi obligat, & ſe eidem.

IV. Mor-

IV. Mortuo Jmperatore intra unius menſis ſpatium à die factæ ſibi de Cæſaris obitu notitiæ literas mittit ad Electores Jmp. ſingulos.

V. Conſtituto tempore per ſuos Legatos Eg. Francofortum deducit Electores univerſos.

VI. Per Cancellarium ſuum aliquot diebus ante electionem Cæſaris in præſentia Legatorum Electoralium juramentum, ùt vocant, Fidelitatis poſtulat emitti à Magiſtratu & civitate illa, in qua eligendus eſt Jmperator.

VII. Antequam eligitur Jmperator, hortatur Electores omnes ad edendum jusjurandum prævium, ita tamen, ut ipſe omnium primus ſe juramentô obſtringat.

VIII. Præſcripto ordine ſuffragia ab Electoribus data colligit, & ſuum addit ultimum.

IX. Poſt collecta ſingulorum Electorum ſuffragia ſuos ipſe, item tres ex Conſiliariis cujuslibet Electoris, tanquam teſtes legitimos convocat, & publica inſtrumenta ad Jmperatoriæ electionis res pertinentia formari jubet.

X. Electo Jmperatori omnium Electorum primus Jmperij & ſuo nomine gratulatur.

XI. Capitulationes, ùt vocamus, ab Electoribus ſingulis lectas tradit Cæſari.

XII. Peractam Jmperatoris electionem à ſuo Cancellario deſcriptam per Canonicum Moguntinæ Eccleſiæ promulgat.

XIII. Die Coronationis Jmperatoriæ in ſacriſtia templi coronam & reliqua Romani Jmperij inſignia ab Aquiſgrani & Norimbergæ Legatis tradita accipit.

XIV. Coronationem & inunctionem Jmperatoris alternis vicibus cum Electore Colonienſi peragit extra territorium ſuum.

XV. In Proceſſionibus publicis dexteram Jmperatoris tenet.

XVI. In Circulo Electorali unà cum Electore Palatino Status dirigit. Vide *multa alia in Michaële Münchſmayr & alijs Juriſperitis public.*

Ex feudis, vineis, vectigalibus, tributis, decimis aliiſque univerſim rebus jure ſolvendis Elector Moguntinus duos circiter florenorum milliones aliquoties percepiſſe creditur, fide nimirum humana tali, qualis ſæpe fallit.

Cæterùm Archiepiſcopi Moguntini ſunt Suffraganei 1. Epiſcopus Herbipolenſis. 2. Wormatienſis. 3. Euſtadianus. 4. Spirenſis. 5. Argentoratenſis. 6. Conſtantienſis. 7. Auguſtanus. 8. Hildeshemienſis. 9. Paderbornenſis. 10. Curienſis. Quondam etiam Halberſtadienſis, nec non Verdenſis ab Heterodoxis ſuo Archiepiſcopo priori Seculo erepti.

Quin & ante Caroli IV. ætatem Epiſcopi Pragenſis & Olmuzenſis inter Suffraganeos Moguntinos numerati ſunt, quos Romani Pontifices petente Carolo ſeparârunt: eam ob cauſam ab Jmperatore Höchſta cum jure vectigalium Archiepiſcopo dicitur eſſe conceſſa.

Canonici in Cathedrali Moguntiæ Eccleſia ſunt numerô 24. quorum nobilis proſapia minimùm per 16. legitimas generationes demonſtranda eſt.

A Seculo Wilegiſij Archiepiſcopi Moguntiæ & ſimul Electoris primi numerati ſunt Archiepiſcopi 52. quorum plerique virtutibus eximiis, nobilitate excelſa, doctrinâ & experientiâ ſingulari Eccleſiam & Jmperium Romanum illuſtrârunt. Vid. *Serarium, Tritem. Pockium, & varias tum Archiepiſcoporum tum Epiſcoporum Series.*

TABULA TOPOGRAPHICA II.

DE ELECTORATU TREVIRENSI.

§. I.

IN Circulo Electorali Status Eccleſiaſticus ordine ſecundus eſt Archiepiſcopus & Elector Trievrenſis, cujus ſunt urbes

Treviri ad Moſellam, - - Trier.

Con-

Confluentia &	inter Rhenum & Moſelam,	Coblentz.
Badobriga,		Boppardt.
Ehrenbreitſteinium,	cis Rhenum,	Ehrenbreitſtein.
Mons Tabor,		Montabour.
Veſalia ſuperior,		Oberweſel.
Vitelliacum verſus Eifaliam,	-	Wittlich.
Caſtellum Tabernarum,	- -	Berncaſtell.
Cochemium,	- - -	Cochem.
Monaſterium Meyenfeldiæ,	-	Meyenfeld-Münſter.
Sarburgum,	- - -	Sarburg.
Freidenberga,	- - -	Freidenberg.
Cæſaris Eſca,	- - -	Kayſerseſch.
Kylburgum,	- - -	Kylburg.
Limburgum,	- - -	Limburg.
Mons regius,	- - -	Montroyal.
Prumia,	- - - -	Prum.
Welmenacum ad Rhenum,	-	Wellmenach.

Si quibuſvis veterum monumentis ſit fides habenda, dicendum eſt, Treviros urbem jam duobus annorum ante Chriſtum natum millibus conditam eſſe à Trebeta Nini filiò Semiramidis reginæ privigno, qui ut novercæ inſidias effugeret, fugitivus in Germaniam uſque perveniſſe, & Treviros condidiſſe fertur. Hæc ſi ſint inter fabulas numeranda, inter Hiſtorias tamen numerare oportet Trevirorum haud dubiam antiquitatem, quæ tanta eſt, ut univerſas Germaniæ urbes temporum ſpatiò ſuperet: unde Latinis antiquiſſimis jam inſtar adagij mos erat dicere:

Ante Romam Treviris ſtetit annis mille ducentis:
Item: *In Celtis nihil eſt Solodoro antiquius, unis*
Exceptis Treviris, quorum ego dicta ſoror.

Treviros annis 55. ante Incarnati Dei natales Julius Cæſar ſub jugum miſit, quo ex tempore per annos quadringentos Romanis tributum ſolvit urbs tantæ amplitudinis ac majeſtatis, ut Romæ æmulam dixerint. Dein verò reparatæ Salutis anno 406. à Vandalis mag-

magnam ſui partem vaſtata; an. 413. à Francis eſt occupata: unde annis ſequentibus hortante Stilicone Honorij Jmperatoris ſupremo militiæ præfecto Romani Jmperij tribunal & Curia Treviris Arelatum in Galliæ Provinciam eſt translatum.

An. 451. cum copioſiſſimo exercitu ex Orientis partibus in Germaniam advenit Hunnorum Rex Attila, à quo Treviri, veluti urbes pleræque aliæ, ingentem perpeſſæ ſunt ſtragem & ruinam; donec tandem in campis Catalaunicis Campaniæ ad internecionem ferè deletus ſuorum 180000. deſideravit, triumphantibus ſimul Jmperatore Valentiniano III. & tribus Regibus de eodem Rege.

Tandem an. 455. ob Jmperatorum in Occidente æmulationes & bella domeſtica Treviri ad Francos tranſiêrunt, ſub horum ſuaviori jugo ſeculis pluribus pace fruituri.

Treviri igitur ſub Francorum Regibus pars Regni Auſtraſiæ, dein verò Seculo IX. ſub Lothario I. Jmperatore pars Regni Lotharingici facta, tum demum inter Provincias Germanas cenſeri cœpit, cùm Lotharingia poſt difficillima bella & lites ſub Jmperatoribus natione Saxonibus Seculo X. circa annum 977. cum Germaniæ Provinciis eſt conjuncta. Hoc maximè modo Germaniæ junctam Trevirenſium urbem Fridericus II. an. 1212. inter liberas Jmperij urbes numeravit, vel eam etiam ob cauſam, quòd cives relictis ſui Archiepiſcopi partibus ſequerentur partes Cæſaris. Tandem verò an. 1580. Rudolphus II. cognita cauſâ Jacobo III. Electori civitatem Trevirenſem penitus ſubjectam dixit ſupremus judex.

§. II.

DE ORIGINE TREVIRENSIS EPISCOPATUS, ARCHIEPISCOPATUS ET ELECTORATUS.

D. Eucharius inter 72. Chriſti diſcipulos numeratus, poſt annos Dominicæ Paſſionis 17. à D. Pontifice Petro unà cum Diacono ſuo S. Valerio, & Subdiacono S. Materno miſſus in Alſatiam venit, ubi in pago Argentinâ haud admodum diſſito Ell nomine, Maternus morti repentè ſuccubuit. Sepulto tertio bini ſocij repetiêre Romam; verùm à ſuo Magiſtro D. Petro ocyùs ſcipione ad-

addito ad ſepulchrum in Alſatiam remiſſi, dum ſandapilam eodem ſcipione tetigêrunt, continuò vivis reſtitutus eſt abhinc 40. dies mortuus Maternus. Inde Moſellam verſus iter aggreſſi Treviros pervenerunt, futuri ſucceſſu temporis ejusdem urbis Epiſcopi omnes. Rebus ſucceſſum feliciſſimum dedit miraculum alterum; Divus enim Eucharius vix Treviros attigit, mox ab Albana vidua hoſpitiô exceptus, ejusdem filio tunc vivis erepto vitam reſtituit, & futuris Epiſcopis ſedem ſtabilem fixit Epiſcoporum Treviris omnium primus. Inter clariſſima ſigna mortuo Euchario ſucceſſit D. Valerius; huic verò D. Maternus, tres Viri Trevirenſis Eccleſiæ Petræ firmiſſimæ. Hos ſecuti ſunt 23. alij Epiſcopi, Martyres eorundem multi, quorum duo ultimi, DD. Maximinus nimirum & Valentinus Conſtantinum M. in urbe ſua hoſpitem ſunt venerati. Quin Magni filii Mater Magna D. Helena Trevirorum amans maximè, S. Agritium Antiochiâ Romam, & inde Treviros deductum creari curavit Archiepiſcopum ejus loci primum, datis à D. Sylveſtro Pont. ampliſſimæ poteſtatis teſtibus literis. Verùm non deſunt Hiſtorici, qui relationi huic noſtræ contradicunt ex parte; ajunt enim, D. Eucharium jam à D. Petro creatum Trevirorum Archi-Præſulem, D. Agritium verò à D. Sylveſtro conſtitutum fuiſſe Primatem Eccleſiæ univerſæ ultra Jtaliæ montes ſitæ per Germaniam & Galliam, quæ dignitas ſtabilita Trevirenſibus permanſit, donec Eccleſia inter Germanos & Gallos longè latéque ſumptô incrementô ejusdem dignitatis mutationem inſtituendam cenſuit, Rege Clodovæo pro Rhemenſibus in Gallia, & Pipino pro Moguntinis in Germania Legatos ad Pontificem mittentibus, & Archiepiſcopos novos impetrantibus. Ex hactenus dictis multa inveniuntur in *Baronio tom. I. II. &c.*

Tandem ad finem Seculi X. adjecta eſt poteſtas ac dignitas Electoralis Archiepiſcopo Ludolpho à Gregorio V. Pont. & Ottone III. Cæſare ijsdem ex cauſis, quas ſuperiùs de Electore Moguntino attulimus.

§. III.

DE PECULIARIBUS ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS TREVIRENSIS DIGNITATE, POTESTATE ET OFFICIIS.

I. Archiepiſcopus & Elector Trevirenſis eſt Archi-Cancellarius in regno Arelatenſi, quod olim comprehendit Delphinatum, Burgundiam, Lotharingiam, Sabaudiam & magnam Helvetiæ partem.

II. Eſt Archi-Capellanus Jmperatricis.

III. In electionibus Jmperij publicis primum fert ſuffragium.

IV. In iisdem electionibus quoad ſedem alternis gaudet vicibus cum Electore Colonienſi.

V. In Proceſſionibus, ùt vocamus, publicis ordine primus inter Electores ante Cæſarem procedit.

VI. In Jmperij Comitiis ſedem occupat Cæſari directè oppoſitam.

VII. Dum coronatur Jmperator, locum occupat ad gradus altaris.

VIII. In Comitiis Jmperii abſente Moguntino dirigit Electorum Collegium, quam poteſtatem ſibi vendicare nititur Elector Saxoniæ.

IX. Carolus IV. Seculi XIV. Jmperator Cunoni Archiepiſcopo de ſtemmate Comitum Falckenſteiniorum conceſſit privilegium prorſus inſigne, quo nimirum irrita declaravit privilegia omnia, quibus unquam Trevirenſium Epiſcopis ſuit derogatum. *His longè plura vide in jure publico.*

Suffraganei Trevirenſis Archiepiſcopi olim plures, hodie tres duntaxat numerantur, nimirum Metenſis, Tullenſis & Verdunenſis. Canonici in principe Trevirenſium æde cenſentur 16. ùt vocant, Capitulares, quibus acceſſerunt 24. alij dicti Domicelli, aut Domicellarij, omnes ex vetuſta nobilitate ſelecti.

Trevirenſium Provincia abundat vinô pretioſô, & piſcibus; habet ferri, plumbi, quin & argenti fodinas; item thermas plurimis ſalutares. Ex his omnibus, ſicut & tributis variis, nec non vectigalibus ad Rheni & Moſellæ ripas exigi ſolitis colligit Elector Trevirenſis minimùm aliquot centena florenorum millia; ſi tamen

Ra-

Rationum libri Hiſtoricis & Cenſoribus publicis minimè inſpecti non contradicant, cujus dicti mei Benevolus Lector & hic; & in paginis aliis nunquam obliviſcatur. Vid. *Maſenium*, *Browerum*, *Pockium &c.*

TABULA TOPOGRAPHICA III.

DE ELECTORATU COLONIENSI.

§. I.

IN Circulo Electorali Status Eccleſiaſticus ordine dignitatis tertius eſt Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, cujus poteſtati ſaltem ex parte ſubſunt urbes pleræque non procul Rheni littoribus extructæ, ſcilicet

Colonia Agrippina urbs Jmperij, -	Cölln.
Bonna Sedes Electoralis, - -	Bonn.
Andernacum, - - -	Andernach.
Cæſaris inſula, aliis Verda, - -	Kayſers-Werth.
Lincium & Linum, - - -	Lintz und Lin.
Noveſium, - - - -	Neuß.
Ordinga, - - - -	Ordingen.
Rhenoberga, - - - -	Rheinberg.

Inter ditiones Electoris Colonienſis numerantur partes magnæ Weſtphaliæ & Angriæ Seculo XII. à Friderico I. Jmperatore poſt devictum Henricum cognomentô Leonem Saxoniæ Ducem Electoratui Colonienſi adjectæ. Item Comitatus Arensbergenſis, Hilicrod, Laols cum minoribus urbibus & oppidis non paucis.

Terram illam, ſupra quam erecta nunc floret Colonia, incoluêre quondam Ubij, ab Octaviano Auguſto illuc ex Inferioris

 Ger-

Germaniæ plagis traducti. Coloniam deîn dixerunt Romani circa annum Chriſti 50. quòd eum in locum miſſi venerint, ut novam Coloniam erigerent, quam altero vocârunt nomine Agrippinam, eò quòd vel Agrippina Claudij Jmperatoris conjux, vel veriùs quòd nomen huîc urbi ſuum indiderit Agrippa Cæſaris Auguſti ſocer Ubiorum victor. Vid. *Baronium tom. I.*

Circa annum 355. Franci Germanorum natio validiſſima Coloniam hanc Romanis eripuerunt, ea tamen partîm ſecundâ, partîm adversâ fortunâ, ut Childericus I. Francorum Rex circa an. 462. Romanos & Ubios primùm expugnârit penitus. A Normannis deîn Seculo IX. expugnata, & ferè tota Vulcano conſecrata. Seculo autem X. ab Ottone M. Jmperatore è ſuis cîneribus reſuſcitata, amplificata, & privilegiîs multis exornata, imò in favorem Brunonis Archipræſulis Auguſti fratris urbs Jmperij libera præ omnibus fermè aliis eſt dicta. Cum tempore tantum accepit încrementum, ut înter nobiliſſimas totius Europæ urbes celebraretur, quin poſt initum fœdus, ùt vocârunt, Hanſeaticum, quo îpſa urbium harum princeps ligari voluit, à Scrîptoribus variîs Germaniæ Roma eſt appellata: & quid nî vocetur Roma altera? ſua enim magnitudîne & majeſtate Romam æmulata pro aris Romanîs certavit propemodum ipſa Roma, numerans & îpſa multa Chriſti Athletarum millia, quorum glorioſo ſanguine Colonienſium Eccleſia eſt rîgata, & uni Deo conſecrata. Sanctorum reliquias tanto etîam hodie ſervat numero, ut quamvis Romæ comparari hac in parte poſſit neutiquam, ſupra Orthodoxas tamen alias plerasque urbes plurimùm emineat. Fata etiam non minùs aſpera, quàm Urbs urbium Domina ſuſtînuît ſeculis ferè ſingulis, nunc à domeſticis, nunc ab externis hoſtibus validè oppugnata, & crebrò expugnata.

§ II.

DE ORIGINE EPISCOPATUS, ARCHIEPISCOPATUS ET ELECTORATUS COLONIENSIS.

D. Maternus juxta communem Hiſtorîcorum ſententîam fuit viduæ illius filius ipſiſſimus, quem anno ætatis ſuæ 19. fatîs ex-

extinctum Servator noſter annos natus duos ſupra trigeſimum vitâ inter mortales altera donavit. Elapſis tribus luſtris & annis tribus à D. Petro unà cum ſociis in Germaniam dimiſſus, dum mortem obiît alteram, poſt dies 40. vitam recepit tertiò, vitâ ter beatâ digniſſimus. Vid. *Hiſtor. Trevirenſ.*

Annis dehinc 38. Tungrorum & Ubiorum egit Apoſtolum: mortuis demum DD. Euchario & Valerio Trevirenſis ſimul & Colonienſis Epiſcopus creatus per annos omnino 40. greges ovium geminos paſtor bonus cuſtodivit. Tertiò demum vivis ereptus à nativitate ſua numerans annos centum & quindecim. Diem obitûs fuiſſe Dominicam aſſerunt, horam ante meridianam, qua nempe ad aram faciens Epiſcopus dixerit Evangelium de ſemet mortuo filio & viduæ matre ſua in urbe Naim.

D. Materni Sedem Colonienſem occupârunt per ſecula Chriſtiana uſque ad annum 750. Epiſcopi 24. Eadem ætate D. Bonifacius à D. Zacharia Pontifice in Germaniam miſſus advenit Legatus, & mox celebratis Conciliis Provincialibus per diverſas Provincias pluribus, Eccleſiaſticum Statum & ampliavit, & reſtauravit, præficiens Pontificis nomine Epiſcopis Archiepiſcopos & Parochis Epiſcopos. Inter priores Agilolphus II. Colonienſium creatus Archi-Præſul Succeſſores ſibi pares ad annum uſque 999. numeravit quindecim: horum è numero erat Bruno Henrici Jmperatoris cognomentô Aucupis filius, Ottonis M. frater germanus, qui pedô & gladiô conſtanter propugnavit Eccleſiam ſimul Romanam & ſuam huic ſubditam; quin univerſo Romano plurimùm profuit Jmperio: fratre enim Auguſto nunc contra Jtalos, nunc Hunnos, nunc hoſtes alios extra Germaniæ limites bella gerente, Bruno Jmperatoris munus ſupplevit inſigni ſuo merito & prœmio; Otto enim præter libertatem Jmperij Coloniæ aſſertam Archiepiſcopatui inter Rhenum & Scaldim ingens dedit augmentum, quod tamen hoſtes Eccleſiæ plurimi ſuis poſſeſſoribus ademerunt. Vergente ad finem ſeculo X. D. Heribertus inſignibus clarus miraculis Ottoni III. & D. Henrico Jmperatoribus Præſul acceptiſſimus, fuit Jmperij Elector creatus. Hunc pari dignitate conſpicui ad hanc noſtram ætatem uſque inſe-

inſecuti ſunt Electores 46. quorum quatuor poſtremi ex Electorali Domo Bavarica electi ultra Seculi ſpatium Colonienſem Diœceſin & alias ſibi ſubditas Eccleſias illuſtrârunt agendo & patiendo fortiſſimi, conſtantiſſimi. Ita Hiſtorici etiam Heterodoxi teſte *Hübnero &c.*

§. III.

DE PECULIARIBUS ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS COLONIENSIS DIGNITATE, POTESTATE ET OFFICIIS.

I. Archiepiſcopus Colonienſis eſt Archi-Cancellarius per Italiam & Regnum Longobardicum.

II. In Electione Cæſaris fert ſuffragium ſecundo loco.

III. In territorio Colonienſi ſi coronetur Jmperator, huic coronam imponit Jmperatoriam.

IV. Extra ditiones ſuas, alternas concedit vices Archiepiſcopo Moguntino.

V. In Proceſſionibus publicis tenet ſiniſtram Cæſaris;

VI. In ſua verò Provincia, & extra Germaniam à dextris eſt Cæſari. *Plura vide in Juriſperit publ.*

Archiepiſcopi Colonienſis ſunt Suffragânei Leodienſis, Monaſterienſis & Oſnabrugenſis Epiſcopi. In Eccleſia Cathedrali ſunt Canonici univerſim 50. ex Illuſtriſſima, aut Perilluſtri Familia nati omnes. In tres claſſes iidem diſtributi numerant 25. Capitulares, (uti appellant) 8. Presbyteros; reliquos verò 17. Domicellos. Atque adeò Collegium Canonicorum Colonienſium inter Germaniæ univerſæ Collegia Nobilium numero, nobilitate, antiquitate & rerum quarumvis præſtantia ſi non ſit princeps, erit tamen facilè à principe primum aut ſecundum.

Proventus annui ex ditionibus univerſis Colonienſi Archiepiſcopo ſolvendi, minimùm uni aureorum millioni pares eſſe dicuntur à non paucis; fortè plures minorem longè ſumam aſſerunt; adeò incertæ ſunt Scriptoribus divitiæ Principum, ut potiùs divinare, quàm certi quicquam aſſerere liceat, utì jam dictum.

Tri-

Tribus his Eccleſiaſticis Statibus Status & ipſi acceſſerunt in Circulo Electorali Præpoſitus Selzenſis, & Equites Teutonici Confluentiæ ſedem habentes. Vid. *Münchſmayr*, *Pockium &c.*

TABULA TOPOGRAPHICA IV.

DE ELECTORATU PALATINO.

§. I.

CIrculi Electoralis Status inter Seculares omnium primus eſt Elector Palatinus, cujus in Palatinatu inferiori ad Nikarum & Rhenum ſunt Præfecturæ, & in Præfecturis urbes ſequentes.

I. Præfectura Heidelbergenſis, in qua ſunt Heidelberga ad Nikarum; Manhemium ad Rhenum.

II. Præfectura Mosbacenſis, in qua Mosbacum ad Nikarum.

III. Præfectura Brettenſis, in qua Brettena, Sintzhemium & Eppinga urbeculæ.

IV. Præfectura Boxbergenſis in Franconia.

V. Præfectura Utzbergenſis in Haſſia Darmſtadiana.

VI. Præfectura Neoſtadienſis, in qua Neoſtadium & Fracnkenthalium.

VII. Præfectura Germershemienſis.

VIII. Præfectura Lutrenſis, in qua Lutra Cæſarea.

IX. Præfectura Alzejana, in qua Alzeja.

X. Præfectura Oppenhemienſis, in qua Oppenhemium & Ingelhemium.

XI. Præfectura Crucenacenſis, in qua Crucenacum.

XII. Præ-

XII. Præfectura Strombergenſis.
XIII. Præfectura Bacharacenſis.
XIV. Præfectura Simmerenſis.
XV. Præfectura Kirchbergenſis.

§. II.

ELector Palatinus inter Principatus ſuos numerat cis Rhenum Ducatum Bergenſem, & trans Rhenum Ducatum Juliacenſem; atque adeò in ſex diverſis Jmperij Circulis ſuas ditiones diſperſas habet; in Circulo ſcilicet Bavarico, Rhenano ſuperiore & inferiore, Weſtphalico, Franconico & Suevico; futurus in bonis fortunæ longè felicior, ſi vires haberet conjunctas, utpote, quæ ſi in unam colligerentur ſummam, facilè ſuperarent ſingulorum Electorum in Romano Jmperio proventuum copiam.

Vocabulum *Palatinus* jam vetuſtiſſimis Romanis notum, à Palatiis Regum ſuam duxiſſe fertur originem; Palatini enim vocati ſunt miniſtri in palatiis ſeu in aulis Jmperatorum aut Regum Principes. Conſtitit ſua vis voci huic etiam in aulis Jmperatorum in Occidentis Jmperio poſt interregnum maximum; Carolus enim M. dum conſtituit in Jmperij finibus Marchiones, in caſtellis Burggravios, in Provinciis ſubditis Landgravios, uti hodie etiam vocamus, in Jmperatoris aula vel conſtitutum conſervavit, vel primò conſtituit Comitem Palatinum perpetuum ferè Cæſaris Achatem.

Seculo IX. X. & XI. Palatinorum Comitum munus variis genere & natione Viris Principibus commiſſum fuit, nunc ſcilicet Francis, nunc Bojis, nunc Suevis à diverſo Cæſare electis. Tandem Seculo XIII. Ottonis M. Wittelſpachij filius Ludovicus I. poſt hunc verò Otto Illuſtris nepos, & pronepos Ludovicus Severus Palatini munus ac dignitatem familiæ ſuæ fecêre hæreditariam, eo inter proſpera & adverſa rerum eventu, ut morte avulſis Ducibus Palatinis multis tanquam frondibus quondam virentibus, etiamnum maximè floreat Philippus Carolus Dux & Elector Palatinus, maximopere ſtudens juncto ſanguine ſibi Sulzbacenſi Duci genero ſuo Joſepho, in cujus favorem & amorem transferre ſtatuit omnes ſpes & res.

Stem-

Stemma Ducum Palatinorum & Bojorum in Ludovico Severo ſimul Electore & Bavarorum Duce adhuc unum idémque, in hujus filiis duobus Rudolpho Balbo & Ludovico cœpit Seculo XIII. ita dividi in duos ramos, ut jam per quatuor Secula permanſerit unius ſtemmatis uterque ramus, imò excreverit in frondes plures nobiliſſimas, prout videre eſt in Genealogia utriuſque. Miſſis hoc loco Bavariæ Ducibus Palatinos paucis percurrimus.

Rupertus Dux Palatinus ſimul Jmperator Seculi XIV. laudatiſſimus, emptionis beneficio junxit utrique Palatinatui Comitatum Simmerenſem & Kirchbergenſem; connubij verò vinculo Comitatum Spanhemienſem. Idem Jmperator cùm numeraret quatuor filios hæredes legitimos, eo pacto inter eosdem diviſit hæreditatem, ut Ludovicus Barbatus filius primo genitus Inferiorem Palatinatum cum jure Electoratûs ſuum diceret patrimonium. Filio ſecundo Joanni obtigit Palatinatus Superior. Stephano filio tertio datus eſt Ducatus Bipontinus & Comitatus Simerenſis. Otto filius IV. accepit Præfecturam Mosbacenſem. Ex his Joannes genuit filium Chriſtophorum Danorum denique Regem, qui ſine liberis defunctus reddidit Palatinatum Superiorem Ducibus Palatinis. Otto ſuſcepit filios tres, quorum primus Otto ſine hærede mortuus; alter Rupertus Ratisbonæ, Albertus verò Argentorati Epiſcopus Comitatum Moſbacenſem reliquerunt. Interea Ludovicus ramum Palatinum, Stephanus Simmerenſem propagavit. Ludovicus hic cognomentô Cœcus in filiis & nepotibus uſque ad annum 1559. floruit, mortuus denique in Ottone Henrico, qui ſine liberis extinctus ceſſit jura & bona ſua Ducibus cognatis Bipontinis ſimul & Simmerenſibus. Ex Electoribus Palatinis fuit Fridericus Victorioſus tutor & curator nepotis ſui Philippi, is cùm cælibatum cuſtodire perpetuò ſecum ſtatuiſſet dicto etiam ſacramento, quo fratris Ludovici filio & nepotibus rem ſuam omnem cedere receperat; nihilominus cùm ætate admodum gravi uxorem duceret, hoc ex matrimonio ſuſcepti filij Comites dicti, Comitatum Lœvvenſteinianum ſuum dixêre.

Interea temporis Stephanus Ducum Bipontinorum & Comitum Simmerenſium author ductâ in thalamum Comitis Veldentiani

filia Comitatus geminos, nimirum Veldentianum & Spanhemianum ſuis adjecit ditionibus. Is ipſe ex eadem conjuge præter filios inſulis clariſſimos ſuſcepit Fridericum & Ludovicum, quorum hic Ducatum Bipontinum, ille verò Præfecturam Simmerenſem & Comitatum Spanhemienſem à parente datum accepit, factus uterque novi germinis author.

Ex Comitibus Simerenſibus Fridericus III. an. 1559. Elector promulgatus ad an. uſque 1685. in filio & nepotibus Electoratum continuavit, quo nimirum anno Carolus Ludovicus ex Ducum Simmerenſium linea ultimus ſine prole deceſſit; ejusdem verò ſoror Charlotta Eliſabetha Philippo Aurelianenſi deſponſata, anſam vel invita dedit bellis graviſſimis, quibus à Gallorum exercitu Palatinatus pene totus eſt flammîs conſumptus priori Seculo.

Hoc temporis intervallo Ludovicus Dux Bipontinus crevit ditionibus & hæredibus multis; ejusdem enim ex filio Alexandro nepotes duo Ludovicus & Rupertus Palatinam arborem nova auxerunt fronde, Bipontina una, Veldentiana dictâ altera, ulteriùs excreſcente utraque; Wolfgangus enim Ludovici filius quinque filiorum genitor in totidem partes ſua diſtribuit bona; unde enati ſunt denuo rami florentiſſimi, ſcilicet in Philippo Neoburgicus; in Joanne Seniore Bipontinus; in Ottone Henrico Auguſtum Neoburgicum nepotem ſibi adoptante Sulzbacenſis; in Friderico Vohenſtrauſanus; in Carolo Birkenfeldenſis. Ramus Bipontinus auctus ampliùs, ſed & diviſus eſt in Bipontinum, Landſpergenſem, & Kleburgenſem, quorum prior priori ſeculo ſecundùm ſexum maſculinum extinctus eſt in Friderico an. 1661. alter verò in Wilhelmo Ludovico an. 1675. mortuus. Tertius demum in Carolo Suecorum Rege primùm hoc ſeculo, ſcilicet anno 1712. tormenti aut ſclopeti glande interempto continuatus, manet in ſororibus & nepote Holſteiniano. Vohenſtrauſanus exaruit in Friderico 1597. Birkenfeldenſis primùm in Biſchvvelerianum, deinde in Gelnhuſianum ſubdiviſus etiamnum viret. Neoburgicus & Sulzbacenſis potiſſimarum rerum & jurium meritò ſibi vendicant poteſtatem, quibus jure accedet Comitatus Veldentianus, utpote nativitate in avorum, atavorum &c. ſerie prioribus.

Hæc

Hæc pauca de Genealogia Ducum Palatinorum. Adhuc plures ramos & lineas Lector inveniet in libris Genealogicis; nunc de dignitate & poteſtate eorundem.

§. III.

DE PECULIARI DIGNITATE, POTESTATE ET OFFICIIS &c. ELECTORIS PALATINI.

Duces ſimul & Electores Palatini poſt Bohemiæ Regem dignitate ac poteſtate primi fuerunt ultra ſex ſecula; ab anno nimirum 1000. uſque ad annum 1620. quo Fridericus V. coronæ regiæ avidiſſimus, dum ſceptrum Bohemorum rapuit, & gladium objecit Ferdinando II. Cæſari, ſupra Album in Bohemia montem devictus, ac in Angliam fugatus, honores novos & priſtinos cum patria & vita denique amiſit. Maximilianus I. Bojorum Dux antiqua ſanguinis cognatione conjunctus Friderico, dum inter victores principes eminuit, Archidapifer Jmperij an. 1623. promulgatus dixit, aut de eodem dixêre alij, avulſo uno Duce Palatino non deficit alter.

Maximis Maximiliani meritis hac in pugna etiam plurimùm auctis acceſsêre argumenta, quibus eam Electoratûs dignitatem ſibi tandem deberi haud injuriâ contendebant Duces Bavari: probè enim meminêre, Ludovicum cognomentô Bavarum Romanorum Jmperatorem, cùm an. 1329. Papiæ in Jtalia ageret, reſtituiſſe nepotibus ex fratre Rudolpho natis ditiones in Palatinatu ſitas ea lege, ut hi & Duces Bavari alternis deinceps vicibus ſibi ſuccederent in Jmperio Electores. Ita paſſim Hiſtorici & Jurisperiti non pauci.

Verùm, ùt fieri aſſolet, Hiſtorici & Jurium Scrutatores alij, qui Bavaris minùs, quàm Palatinis fuerunt patrocinati, argumentis oppoſuêre aſſerentes, Carolum IV. Jmperatorem eam dixiſſe ſententiam, qua neglectis Bavariæ Ducibus Electoratûs jura Palatinis ſolis conceſſerit. Dum partium harum ſtudia in campis & curiis per annos complures fervebant, an. 1648. inita pace Weſtphalica Ludovicus Philippus Friderici devicti ac proſcripti frater ab Jmperatore & Jmperij

Statibus admiſſus eſt Elector, ut relictis ſuo in loco & honoris gradu Ducibus Bavaris ipſe & hæredes octavam inter Electores occuparent ſedem, obliterata penitus quavis veteri offensâ & injuriâ. Eo ex tempore Duces Palatini ex Linea Simmerenſi, & hac emortua, ex Familia Bipontino- Neoburgica ſunt conſtituti ac cofirmati

I. Architheſaurarij, ſub quorum proinde cura ac cuſtodia ſit ſuo tempore Jmperij theſaurus.

II. In Electione Jmperatoris ſuffragium ſuum fert loco ſeptimo.

III. In Proceſſionibus publicis ſiniſtram tenet Cæſaris, incedens ante Electorem Colonienſem.

IV. In cauſis civilibus ipſius Cæſaris judicem aut arbitrum egit quondam, & fors etiam hodie non eſt adempta poteſtas hæc, quæ jam à Carolo M. data Ducibus Palatinis, & ab alijs Jmperatoribus ſponte fertur eſſe confirmata; adeò Jmperatores æquiſſimi, ut in rebus cunctis ritè agerent, ſuos ſibi conſtituêre rerum arbitros.

V. Electori Palatino competebat quondam *jus ahenorum* (Keſſel- recht) per Alſatiam, & hodie competit per Franconiam.

VI. Eidem debetur jus Wildfangiatûs (ùt vocant) quod non ad proprias duntaxat Provincias, ſed etiam ad aliorum Principum ſeſe extendit, & hodie pleno jure ſe extenderet, niſi an. 1665. & 1666. ab Jmperij Electoribus, nimirum Moguntino, Colonienſi, Trevirenſi, Lotharingico Duce & Comite Falckenſteinio fuiſſet nimis reſtrictum, cauſæ arbitris Regibus Galliæ & Sueciæ. *Uberiora lege in Hiſtoria Palatinatûs & Jure publico Mich Ninchſmayr.*

VII. In Circulo Electorali unà cum Electore Moguntino dirigit Status reliquos.

§. IV.

DE DOTIBUS ALIIS ELECTORUM PALATINORUM.

DUces Palatini armîs ſtrenuiſſimi ſeculis ferè ſingulis clariſſimum ſibi nomen à pugnis & victoriis vendicârunt, cujus rei teſtes afferunt Hiſtorici inſignia Heroum exempla, qualia poſteri-

tati

tati legenda reliquerunt Seculo XIII. Ludovicus Severus Rudolphi Habſpurgici ferè ſolus in Jmperatorem denique Elector, aſſertor & propugnator perpetuus; Rudolphus Ludovici Severi filius, Friderici Pulchri Jmperatoris amicus & defenſor conſtantiſſimus; Rupertus III. cognomentô Juſtinianus, Jmperator literîs, religione & armîs Seculo XIV. celebratiſſimus; Ludovicus Barbatus. Ruperti Cæſaris filius Concilij Conſtantienſis promotor zeloſiſſimus, quorum ultimus cùm obſervâſſet, inter Jmperij Electores ſuo tempore nullum exiſtere, qui probè calleret linguam Latinorum, hanc ob cauſam ipſe matura admodum ætate animum ad eam perdiſcendam applicavit tantâ diligentiâ & frequenti adeò librorum lectione, ut oculorum uſum ferè omnem amiſerit, *Cæcus* propterea cognominatus.

His adjunge Fridericum Victorioſum, cujus inter multas de hoſtibus reportatas victorias ea mentionem meretur, quam de hoſtibus ſimul pluribus reportavit. Inter captivos numerati ſunt Dux Ulricus Würtenbergicus, Georgius Epiſcopus Metenſis, Carolus Marchio Badenſis cum fratre & 350. Germanis nobilibus. Sileo multa alia Heroum Palatinorum nomina & facta, quibus Jmperatores natione Auſtriacos propugnârunt fortiſſimè, tanto felices tempore, quanto procul non receſſerunt à Romanorum Pontifice & Jmperatore. Contrarium experti ſunt Fridericus III. hujus filius Ludovicus; nepos Fridericus IV. & pronepos Fridericus V. ex Linea Simmerenſi Electores Palatini omnes, qui à variis Heterodoxis Doctoribus decepti, nunc Calvini, nunc Lutheri placitis dum aures præbuerunt, inter ſcyllam & carybdim medij in abyſſum ſe ſuóſque ſubditos præcipitârunt communi plurimorum damno irreparabili.

Errorem Ducum Simmerenſium ſtrenuè emendârunt Duces Bipontini Neoburgici; circa eandem namque ætatem, qua Fridericus Elector Pontificem & Cæſarem oppugnabat in Bohemia, Wolfgangus Wilhelmus ejuratô Lutherô Pontifici Romano Paulo V. ſacramentum dixit, & Ferdinando II. Cæſari obedientiam ſpopondit, utrique hactenus per filium & nepotes ſanctiſſimè ſervatam. Exemplum hoc Catholicum æmulati ſunt laudatiſſimè cognati ſanguinis Duces Sulzbacenſes; Chriſtianus Auguſtus enim an. 1655. ad

Aras Romanas rediens floret hodie in nepotibus, Ducibus profectò ex aſſe Catholicis.

Ducum ſuorum Orthodoxis veſtigiis inſtiterunt ardentiſſimè ſubditi per utrumque Palatinatum ferè ſinguli & univerſi, unà cum aliis ad ovile Chriſti partim in eodem confirmatis: unde Sereniſſimæ Bipontinorum Principum Familiæ debet Romana Eccleſiâ converſionem hominum ſanè plurimorum. Lege *Hiſtorias varias de Domo Palatina editas*, utì etiam *Bavaricas, ſeu utrique Domui communes.*

§. V.

DE RELIQUIS SECULARIBUS STATIBUS CIRCULI RHENANI INFERIORIS.

IN Circulo hoc inter Status Seculares altero venit loco Princeps Arembergicus, cujus urbs Aremberga cum Principatu in Eiffalia eſt inter Ducatum Juliacenſem, item inter Archiepiſcopatus Trevirenſem, & Colonienſem ſita Provincia. Principis Arembergici Majores tum Jmperatori, tum Regi Hiſpaniæ inſignia præſtitêre ſervitia; unde à Maximiliano I. in numerum Virorum in Jmperio Principum cooptati, temporis ſucceſſu à Regibus Hiſpaniæ Gubernataores Friſiæ & Superioris Iſalæ, nec non Grandes, ùt vocant, Hiſpaniæ, & Aurei Velleris Equites ſunt creati. Cum nominibus perhonorificis crevêre ditiones tum in Belgio Hiſpanico, tum aliis in Provinciis Principatui Armbergico adjectæ. Principum omnium modò ultimus eſt Leopoldus an 1690. natus.

Cæterùm ſtemma Arembergicum, aut potiùs Lignæum excrevit hoc tempore in quatuor ramos; omnium primum vocârunt Ligne; alterum Aremberg & Arſchott; tertium Chymay, & quartum Barbanſon, quibus omnibus Principis nomen & dignitas ab Jmperatore eſt conceſſa.

Status Seculares reliqui ſuntComites Salmenſis ſeu Reifferſcheidenſis, Slaidanus ſeu Manderſcheidenſis & Virneburgicus, quorum ditiones præcipuæ ſunt in Eiffalia. His accedunt teſte *Minchſmayr* Comites Naſſo-Beilſteinius & Iſenburgicus inferior, Rheinekenſis &c.

Comi-

Comites de Salm & Reifferſcheid procul dubio ſunt originis perantiquæ, cùm non deſint Scriptores, qui Caroli M. ætate jam Comitum titulo exornatos fuiſſe perhibent.

Comites Manderſcheidenſes ab ipſis AuſtraſiæRegibus originem duxiſſe creduntur. Eorundem Comitum meminêre etiam Authores, qui haſtiludia an. 934. Magdeburgi celebrata deſcripſerunt.

Comites Virneburgici in hæredibus maſculinis morte extincti ceſſere Comitatum ſuum Comitibus Lœvvenſteinanis affinitatis vinculo junctis, de quibus vide Circulum Franconicum.

Comitum Beilſteinianorum bona primùm Eccleſiæ Trevirenſi poſt fata eorundem conceſſa, ab hac verò Comitibus de Meternich vel emptionis, vel alterius contractus beneficiô ſunt relicta. Prope Moſellam non procul Kochemio ſunt ſita.

Comites Iſenburgici ſeculo Chriſti XIII. dicuntur fuiſſe orti authore maximo Henrico, quem an. 1290. defunctum novimus. In Franconia potiſſimas eorundem ditiones videre eſt.

Rheineck veriùs arcem aut caſtellum in Francia Orientali ſitum, quàm Comitum genus hoc nomine diſtinctum Lectori indicat.

TABULA TOPOGRAPHICA I.

CIRCULUS III. BAVARICUS

DE ARCHIEPISCOPATU SALISBURGENSI.

§. I.

Archiepiſcopatus Salisburgenſis inter Bavariam, aut veriùs in ipſa Bavaria ſitus, inter Styriam, Auſtriam, Carinthiam & Tyrolim continetur, ſuáque longitudine numerat circiter 25. latitudine verò 12. milliaria Germanica. Principem locum in Archiepiſcopatu obtinuit

Salisbur-

Salisburgum Sedes Archiepiſcopi celeberrima, cui accedunt	Salʒburg.
Müldorffium, - - -	Müldorff.
Tiettmanginga, - - -	Tiettmangingen.
Lauffa, - - - - -	Lauffen.
Chimſee, - - - -	Idem.

Sunt partim oppida, partim pagi plurimi, qui tributa ſuo Præſuli ſolvunt & proventus pariunt uberrimos: quibus acceſſerunt bona in Auſtria, Styria & Carinthia maximo pretio æſtimata.

Salisburgenſium Regio quamvis pleriſque in locis montibus ſit ſubjecta, abundat tamen rebus plurimis; nec enim montes hi ſuis carent muneribus, utpote auri, argenti, cupri, ferri & ſalis materiem copioſam ferentes, ſimúlque effundentes aquas ſanandis ægris corporibus peridoneas. Unde Salisburgenſium Archipræſul proventuum æſtimatione Electoribus quibusdam eſt par aut ſuperior; quod indicare videtur ipſa Jmperij matricula. *Pockius* duos florenorum milliones in annos ſingulos adſcribit Salisburgenſi Archiepiſcopo.

§. II.

DE ARCHIEPISCOPATUS SALISBURGENSIS ORIGINE ET PROGRESSU.

ARchiepiſcopatus Salisburgenſis, ſi rem ipſam potiùs, quàm nomen ſpectemus, eſt ſanè antiquiſſimus: qui enim hodie à Salisburgo nomen accepit, is ipſe Archiepiſcopatus Laureaci ſeculo Chriſti primo jam floruit ſub Archiepiſcoporum omnium principe D. Laurentio, à quo maxima ejusdem urbis ædes ſuum hauſiſſe nomen accepimus. Secuti ſunt D. Laurentium in ſede ſacra præter Archiepiſcopos alios DD. Quirinus & Maximilianus, hic pro Fide Romana capite plexus, ille aquis immerſus. Hunc ipſum D. Quirinum fuiſſe filium Philippi Arabis Romanorum Jmperatoris, in Hiſtoricis variis legimus; unde & filio & genitori obſtrictiſſimam ſeſe confeſſa eſt conſtanter Laureacenſis Diœceſis ampliſſima: Philippus enim Eccleſiam hanc ditionibus multis locupletavit; D. Quirinus

verò dogmate Catholico ampliùs illuſtravit. Seculo IV. & V. Laureacenſes Archiepiſcopi partim ab Arianis, partim à barbaris, Attila ſupremo Duce triſtiſſimum in modum vexati, eas in anguſtias ſunt redacti, ut dum denique Theodo II. Dux Bavarus ſeculo VI. de Romanis copiis victor triumphavit, Paſſavium translati fuerint, & nomen veriùs Laureacenſe, quàm rem ipſam conſervârint, Laureaco bis ferè toto ruinis abſorpto: quin & Laureacenſium nomen propemodum extinctum eo Seculo fuiſſe memorant, ut Archiepiſcopi Paſſavienſes nominarentur magìs, geminâ tum Diœceſi in unam conjunctâ. Interea ſeculo VI. conſentiente Romano Pontifice & Theodone Bavarorum Duce D. Rupertus Epiſcopatum Salisburgi erexit, & annis 41. Epiſcoporum ibidem primus Doctrinâ Romanâ ampliùs inſtruxit, in duobus præſertim ſucceſſoribus etiam feliciſſimus, nimirum in DD. Vitale & Virgilio, quorum uterque Salisburgenſem Eccleſiam virtutum ſelectiſſimarum radiis illuſtravit & confirmavit. Tandem ad ſeculi VIII. finem Arno Epiſcopus Salisburgenſis ita rem ſuam univerſam D. Pontifici Leoni & Carolo M. Cæſari argumentis probavit, ut uterq; Arnónis clementiſſimè annuerit deſideriis, Pontifice Archiepiſcopi dignitatem, Cæſare verò ditionum augmentum concedente; unde lis ferè perpetua inter Archiepiſcopos Salisburgenſes & Epiſcopos Paſſavienſes orta, vix noſtris his ſeculis eſt finita; cum & hi, & illi Archiepiſcopi dignitatem ſibi à Pontificibus conceſſam aſſererent, argumentis variis Româ etiam allatis: quare uſque ad Seculum Chriſti XI. aut XII. Laureacenſium, ſeu veriùs Paſſavienſium Archiepiſcoporum nomen in Annalibus Patavinis eſt invenire.

Epiſcopatus itaque Salisburgenſis, ſi à Laureacenſi omnino ſeparatum conſideremus, ſeculis ferè duodecim; Archiepiſcopatus verò ſeculis novem & ampliùs floruit maximopere; hanc ob cauſam non immeritò totiùs Germanæ Eccleſiæ columna firmiſſima dicendus. In eodem æquis rerum æſtimatoribus admodum placuit Archiepiſcoporum erga Romanum Pontificem conſtantiſſima ſimul & promptiſſima obedientia, ad nutum Supremi Præſulis etiam intentiſſima, tametſi ob hoc mala plurima & maxima à Pontificum Romanorum

hoſtibus per varia ſecula Archiepiſcopis fuerint irrogata. Seculo præſertim XI. & XII. ſub Jmperatoribus Henrico IV. & V. item Friderico I. & II. conſtantiam ſuam adverſitatibus maximis tentatam ac probatam exhibuerunt Romanis Pontificibus Gregorio VII. Alexandro II. Paſchali II. & Alexandro III. Gebhardus, S. Thiemo, ab aliis Dietmarus dictus, Conradus I. Eberhardus I. Conradus II. Marchio Auſtriæ Ottonis Friſingenſis frater, & Conradus III. profectò Præſules inter ignes & arma, in exiliis & carceribus inviċtiſſimi. Seculis etiam noſtris ultimis Curia Romana crebrò teſtata eſt, quanti faciat, & ab aliis fieri cupiat Salisburgenſes Archipræſules, dum eorundem pluribus Romanam Purpuram miſit, & varia ſummi momenti negotia diſcutienda credidit; Cardinalitia ſiquidem dignitate conſpicui fuerunt Matthæus cognomentô Langius, Guidobaldus & Maximilianus priorum ſeculorum Archiepiſcopi laudatiſſimi. Summis etiam laudibus laudari ſunt meriti Georgius & Wolffgangus Ludovicus, qui Lutheranis & Calvinianis quibusvis focis & aris ſeverè interdixerunt, omnis in Religione novitatis hoſtes æquiſſimi. Singulare prorſus encomium promeriti ſunt quoque Archiepiſcopi Paris & Joannes Erneſtus, hic è ſtemmmate Comitum de Thun, ille Comitum de Ladron oriundus: ambo enim ſingulari ſua prudentia in perpetua ferme pace conſervârunt Eccleſiam & ditiones ſuas, dum vicinæ Provinciæ circumquaque armis ſtrepebant. Laudes Paridis hujus nunquam tacebunt etiam ſcientiæ & artes liberales, quas ut ampliùs promoveret, anno 1623. Gymnaſium Salisburgenſe in Academiam convertit ab Urbano VIII. Pontifice & Ferdinando II. Jmperatore probatam, & multis privilegiis confirmatam. De vivo Archi-Præſule aliud modò non oportet ſcribere, quàm quòd ejuſdem copioſiſſimas laudes plurimæ loquantur linguæ.

§. III.

DE DIGNITATE AC POTESTATE ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS.

Archiepiſcopus Salisburgenſis tam in Romana Eccleſia, quàm in Romano Jmperio perexcelſum dignitatis ſimúlque poteſtatis adeptus eſt gradum;

I. Nam-

I. Namque eſt Legatus Pontificius Natus, uti vocant Canoniſtæ, jam Seculo XI. ab Alexandro II. Pontifice conſtitutus, dum Sedem Archiepiſcopalem laudatiſſimè occupavit Archiepiſcopus Bertholdus è Comitum Helffenſteiniorum ſtemmate antiquiſſimo oriundus.

II. Paſſim à multis vocatur *Primas Germaniæ*; quanta aut qualis proin ex hiſce titulis promanet dignitas aut poteſtas, norûnt perbene SS. Canonum periti.

III. Suffraganeos Epiſcopos numerat ſequentes, nimirum Epiſcopum Friſingenſem, Brixinenſem, Tridentinum, (quondam Viennenſem) Chiemſeenſem, Gurcenſem, Sekkovienſem & Lavantinum.

IV. In Romano Jmperio, ſiquando celebrentur Comitia, poſt Electores inter Principes Eccleſiaſticos primum obtinet locum.

V. Cum Archiduce Auſtriaco conſtituta ſibi in Jmperio negotia diſponit ac dirigit, ſimúlque quoad locum primum alternis gaudet vicibus.

VI. In aula Viennenſi menſæ aſſidet Jmperatoriæ, præſentibus Jmperatore & Jmperatrice.

VII. In Circulo Bavarico unà cum Electore Bavaro Status reliquos convocat & dirigit &c. *Vid. Münchsmayr. Europ. Herold. Jus-publ. uterque Pater Mezger &c.*

Archiepiſcopo ſuo in Cathedrali Eccleſia Salisburgenſi aſſiſtunt Canonici 24. ex perilluſtri Sanguine univerſi.

TABULA TOPOGRAPHICA II.

DE EPISCOPATU FRISINGENSI.

§. I.

STatus in Circulo Bavarico Archipræſuli Salisburgenſi in Ordine Eccleſiaſtico proximus eſt Epiſcopus Friſingenſis: unde de ejuſdem Epiſcopatu pauca referimus.

 Epiſco-

Epiſcopatus Friſingenſis inter Monachium & Landishutum ad Iſeram in Superiori Bavaria ſitus in varios angulos inflectitur; unde nec longitudinem ejusdem, nec latitudinem commodè metiri licet: id tamen fortè haud inconvenienter aſſerere fas eſt, quòd nimirum ſex milliaribus non ſit longior, ubi eſt longiſſimus, nec quatuor milliaribus Germanicis latior, ubi eſt latiſſimus. Cæterùm in Epiſcopatu Friſingenſi una invenitur urbs Friſinga. Freyßingen. olim Fruxinum dictum, & à Romanis jam conditum. Ditiones in Bavaria Epiſcopo Friſingenſi ſubjectæ ſunt variæ ex diverſis oppidis & pagis junctæ Eg.

Comitatus Iſmannigenſis, - -	Iſmannig.
Comitatus Werdenfelſenſis, -	Werdenfels.
Dominatus Brukranienſis &c. -	Bruckrain.
In Auſtria Hollenburgum, - -	Hollenburg.
Elzendorffium, - - -	Eltzendorff.
Ulmerfelda, - - -	Ulmerfeld.
In Styria Rotenfelſa, - - .	Rottenfels.
Obervvila, - - -	Oberweil.
Waidhofium Bavaricum, -	Bayriſchwáidhofen.
In Carniola Lackium, - -	Lack.
In Tyroli Hiriga, - - -	Hirig.
Inſinga, - - -	Inßing.

Non deſunt authores, qui affirmant, dominatus quondam nobiles in Iſtria, Dalmatia & Sclavonia huic Epiſcopo ſolviſſe tributa, quæ hoc tempore vendicant ſibi partim Veneti, partim Mahumetani, aut hoſtes alij vi & armis potiores. Annuos proventus Epiſcopo ſolvendos centum circiter florenorum millibus pares eſſe dicunt illi, qui vel verum affirmare, vel divinare didicerunt. *Pockius* dicit, Epiſcopatum Friſingenſem numerandum eſſe inter mediocres.

§. V.

§. II.

DE ORIGINE ET PROGRESSU EPISCOPATUS FRISINGENSIS.

SEculo Chriſti VIII. D. Corbinianus natione Gallus à D. Gregorio II. Pontifice in Germaniam miſſus Apoſtolus à Theodone VII. & hujus filio Grimoaldo Bojorum Ducibus tanta humanitate fuit exceptus, ut Friſingenſem denique urbem ſimul & ædem principem eidem excolendam conceſſerint; unde initium eſt datum novæ huic in Bavaria Diœceſi.

Fundamento firmamentum addidit D. Bonifacius Germanorum Apoſtolus & variorum Epiſcopatuum partim author, partim adjutor, auxiliis & privilegiis Romæ datis potentiſſimus. Ditionibus novis auxit Seculo X. Epiſcopatum ſuum Anno Halæ in Tyroli natus, qui Eccleſiam ſuam omnium ſuorum bonorum hæredem ſcripſit. Seculo X. Wolframus & Lambertus ditiones priſtinas Dracolphi negligentiâ amiſſas recuperârunt, & adversùs Hunnos propugnârunt etiam miraculis adjuti.

Horum veſtigia preſſit, aut potiùs ſuperavit Engelbertus natus Mosburgi Comes, Jmperatoribus Henrico Sancto & Conrado II. acceptiſſimus, qui datas à patre ditiones Epiſcopatui adjecit, & ſuo fortè exemplo D. Jmperatricem Cunegundem permovit, ut bona bonis auxerit permultis. Seculo XII. eximiis ſuis virtutibus & literis mirè exornavit Eccleſiam hanc natus Auſtriæ Marchio Otto cognomentô Friſingenſis, author ſanè nobiliſſimus multorum librorum, & plurimarum virtutum, quas per annos 20. in Bavaria plantavit, tanto tempore Friſingæ Epiſcopus laudatiſſimus. Taceo Epiſcopos maximi nominis non paucos, quorum aliqui Purpurâ Romanâ inſignes, alij ex Electorali Familia Bavarica & Palatina nati, majores ſuis nobiliſſimis natalibus virtutes præſentibus exhibuerunt, & poſteris reliquerunt, ab Hiſtoricis variis maximè laudati.

In Eccleſia Cathedrali numerantur Canonici 24. Vid. *Proprium Diœceſ. Seriem Epiſcoporum, Pockium & authores varios Hiſtor. Bojariæ.*

TABULA TOPOGRAPHICA III.
DE EPISCOPATU RATISBONENSI.

§. I.

INter Status Circuli Bavarici Eccleſiaſticos ordine tertius eſt Epiſcopus Ratisbonenſis, cujus ditiones ſunt per Superiorem Palatinatum, Auſtriam, & Bavariam diſperſæ, nec admodum multæ, quamvis olim non paucæ fuerint numeratæ Eg.

Hohenburgum, - - -	Hohenburg.
Luppurgum, - - -	Luppurg.
Wertha, - - - -	Werth.
Pechlaria, - - - -	Pechlaren.
Velda, - - - -	Velden.
Eberſpera, - - -	Eberſper.
Teyſbachium, - - -	Teyſpach.
Frondenhuſium, - - -	Frondenhauſen.
Ergoltsbachium, - - -	Ergoltsbach.
Eſſenbachium, - - -	Eſſenbach.
Pilſtingum, - - - -	Pilſting.
Autingum, - - - -	Auting.

Reditus annui Epiſcopo ſolvendi ſolent à nonnullis redituum publicorum obſervatoribus comparari 30000. fl. plus affirmare videtur *Pockius*, qui reditus Epiſcopi Ratisbonenſis variorum Epiſcoporum reditibus præhabendos eſſe exiſtimat.

§. II.

DE ORIGINE ET PROGRESSU EPISCOPATUS RATISBONENSIS.

ETiam Heterodoxi Hiſtorici paſſim fatentur, Ratisbonæ proximis Chriſto patienti ſeculis ſediſſe Epiſcopos, tametſi variè ſua

ſua ſede diſturbatos, & annorum ſerie haud continuos. Nec hoc captu difficile; conſtat enim abundantiſſimè, quantis diverſorum hoſtium tempeſtatibus Ratisbona ipſa, & huic vicinæ Provinciæ ſint concuſſæ; unde vix ulli mortalium ibidem longo tempore quieta eſt conceſſa ſedes. D. Marcum D. Pauli diſcipulum, aut veriùs DD. Joſephum & Cyrinum Ratisbonam Epiſcopos veniſſe, non audent negare Scriptores. D. Paulinum Authores complures ajunt fuiſſe conditorem Epiſcopatus Ratisbonenſis, quem à S. Severino Ravennatenſi Epiſcopo conſecratum Seculo IV. aſſerunt. D. Paulinum ſecuti ſunt proximè S. Lupus, Ratharius, S. Rupertus, S. Emeramus, S. Erhardus &c.

Diœceſin Ratisbonenſem hunc in modum à viris doctrina ac morum ſanctitate conſpicuis, optimè jam fundatam, ampliùs firmavit ac dilatavit D. Bonifacius, unà cum Diœceſibus per Germaniam pluribus, Pontificia authoritate ſuffultus, etiam ipſe inter Epiſcopos Ratisbonæ numeratus. Primus omnium à D. Bonifacio conſtitutus Ratisbonæ Epiſcopus fuit D. Garibaldus, quem virtutibus & miraculis æmulati ſunt temporis ſucceſſu D. Wolffgangus & B. Albertus M. aliique Superis, quàm hominibus notiores Præſules Sancti; unde vix eſt in Germania Epiſcopatus, qui plures numeret Epiſcopos Divorum Albo inſcriptos, quàm Epiſcopatus Ratisbonenſis. Optandum ſummopere fuiſſet Ratisbonæ, ut tales tantóſque Epiſcopos nacta fuiſſet circa annum 1536. ubi Lutheri placita ſequi cœperunt cives libertini: poſtquam enim Joannes III. Philippi Ingenui Electoris Palatini filius Epiſcopus vigilantiſſimus, ſimúlque Lutheranorum & Hebræorum hoſtis æquiſſimus fatis conceſſit; in hujus verò locum ſuffectus eſt Pancratius & Georgius uterque Epiſcopus, morbis animi & corporis ferè perpetuis afflictus, nec tunc temporis inter Canonicos etiam foret, qui fortiter ſatis adversùs ſeditioſos cives pugnaret; inde evenit, ut contemptis vel omnino pulſis Sacerdotibus Catholicis ſacrarum ædium januæ paterent Lutheri affeclis, & libertati minimè Religioſæ iretur obviam ambabus manibus & pedibus, bona quoque Epiſcopalia magna ſui parte diriperentur. Denique quamvis Epiſcopatus Ratisbonenſis diverſis omni-

no

no malis fuerit preſſus, à Curia tamen Romana permagni conſtanter eſt habitus; unde & Romanæ jurisdictioni fuit reſervatus. Cæterùm Canonicorum in Cathedrali Eccleſia numerantur 12. totidem Domicellos, ùt appellant, educant. Inter Canonicos nobilitas & excellens doctrinæ gradus ſedem ſibi vendicat. Vid. *Proprium Diœceſ. Seriem Epiſcoporum, Pockium & Scriptores etiam Acatholicos.*

TABULA TOPOGRAPHICA IV.

DE EPISCOPATU PASSAVIENSI.

§. I.

STatus Eccleſiaſticus in Circulo Bavarico IV. eſt Epiſcopus Paſſavienſis, cujus territorium inter Bavariam & Superiorem Auſtriam ad Danubinm ſitus, longitudine ſua æquat milliaria Germanica circiter novem, latitudine tria: in eodem ſunt urbes & ditiones ſequentes.

Paſſavium olim Patavia dictam, urbs antiquiſſima, hodie in quatuor partes diviſa, quarum prima dicitur Paſſau.

Inſtadium,	reliquæ	Inſtatt.
Illſtadium,	reliquæ	Illſtatt.
Oberhuſium,	reliquæ	Oberhauſen.
His accedunt		
Neohuſium mun.		Neuhauſen.
Viechtenſteinium,		Viechtenſtein.
Riedenburgum,		Riedenburg.
Oberberga,		Oberberg.

Sunt ditiones aliæ tam in Bavaria, quàm in Auſtria Epiſcpatui propriæ, ex quibus in annos ſingulos colligit Epiſcopus centum circiter Philippeorum, niſi tamen rumor & fama fallat. *Pockius* inter ditiores aut ditiſſimos Principatus numerat Epiſcopatum Paſſavienſem ob proventuum copiam.

§. II.

§ II.

DE ORIGINE AC PROGRESSU EPISCOPATUS PASSAVIENSIS.

EPiſcopatui huic, utì ſuperiùs de Archiepiſcopatu Salisburgenſi memoratum fuit, ſeculo Chriſti VI. initium fecêre Theodones Bojorum Duces Romanorum victores glorioſiſſimi ex aſſe Romano-Catholici; Theodo enim II. aut III. Erckenfrido Paſſavium magnam ſui partem ab hoſtibus deſtructum donâſſe perhibetur, ut ſimul domos extrueret, & Fidei Romanæ radices plantaret Paſſavienſium primus Epiſcopus. Qua dein ratione Paſſavium translata fuerit Archiepiſcopi Laureacenſis & ſedes & nomen, ſeculo autem VIII. Salisburgenſium Epiſcopus Arno Archiepiſcopalem dignitatem Romæ impetrârit, & litem perpetuam Paſſavienſium vel Archiepiſcopis vel Epiſcopis intenderit, legendum eſt ſuperiùs. Vid. *Archiepiſ. Salisb.* Inter eos, qui Archiepiſcopi nomen & rem ſibi vendicatum iverunt conſtantiſſimè, numerati ſunt Urolphus ab Eugenio II. Reginardus à Paſchali I. Gerhardus à Leone VII. & Stephano IX. & demum Adelbertus ab Agapeto II. Romanis Pontificibus in Archiepiſcopali dignitate confirmati, utì refert Paſſavienſium Hiſtoria. Totius rei hujus optimè Joannes Philippus S. R. E. Cardinalis Lambergius hoc noſtro ſeculo Ratisbonæ maxima ſui laude mortuus, Archiepiſcopales honores & jura reſtitui ſibi vel renovari deſideravit ardentiſſimè: quàmvis verò non annuerit votis, ab Archiepiſcopali tamen poteſtate exemptum declaravit Innocentius XII. Pontifex Paſſavienſem Epiſcopum.

Inter Paſſavienſes Epiſcopos ſingulare nomen impetrârunt nonnulli à converſione gentilium, utì fueruut Sidonius, Urolphus & Winechindus; alij à ſingulari conſtantia pro Pontifice Romano contra Jmperatores Henricum IV. Fridericum I. & II. exhibita, quales fuerunt Altmannus, Conradus natus in Auſtria Marchio & Gebhardus; alij à peregrinatione in Palæſtinam ſuſcepta, ex quibus erant Altmannus, Udalricus, Reginbertus, Theobaldus, Wolffgerus, Udalricus II. &c; alij à nobiliſſimo ſtemmate, cujus generis fuiſſe

novimus Conradum Marchionem, Albertum II. Ducem Saxoniæ, Erneſtum Ducem Bavariæ, Leopoldum Wilhelmum & Carolum Joſephum Archiduces Auſtriæ.

In Paſſavienſi Eccleſia numerantur Canonici 24. Nobilium proſapia inſignes ferme omnes. Vid. *Seriem Epiſcop. Proprium Diœceſ. Münchſmayr, Pockium, Hübnerum &c.*

§. III.

DE RELIQUIS STATIBUS ECCLESIASTICIS IN CIRCULO BAVARICO.

INter Status Circuli Bavarici Eccleſiaſticos quartus eſt Princeps Præpoſitus Berchtoldgadenſis Ord. S. Auguſtini Canon. Regular. Fundationis hujus perantiquæ, celeberrimæ & ab omni Archiepiſcopali jurisdictione exemptæ authores fuerunt Seculo XII. Beringerus & Cuno Comites Sulzbacenſes unà cum matre ſua Irmengarde.

In Circulo Bavarico inter membra Eccleſiaſtica cenſetur etiam Abbas Cæſareenſis, ſeu vulgò Kayſershemienſis Ord. S. Bernardi, cujus Monaſterium longè celeberrimum eſt in finibus Palatinatus Neoburgenſis: conditorem ejusdem fuiſſe ajunt Comitem de Grasbach &c. Vid. *Circul. Suevic.*

Item Abbas ad S. Emeramum Ord. S. Benedicti Ratisbonæ, cujus Monaſterium celeberrimum jam Seculo VIII. authore Symperto Epiſcopo Ratisbonenſi, & adjutore Carolo M. liberaliſſimo eſt conditum atque dotatum. In ædem ejusdem Monaſterij ex Gallia translatæ ſunt SS. Reliquiæ S. Dionyſij Areopagitæ, dum Arnolphus Jmperator Franciam ingreſſus eſt Ottonem Francorum Ducem, aut Proregem, uti vocârunt, ſalutaturus ſeculo Chriſti IX. Translationis hujus teſtem omni exceptione longè majorem fuiſſe D. Leonem XI. Pont. aſſerunt Germani Hiſtorici; cùm Ratisbonæ rem totam oculis inſpexiſſet & examinâſſet. Verùm diverſa aſſerunt Galli, qui S. Dionyſij cadaver vel nunquam in Germaniam delatum, vel ſaltem Galliæ reſtitutum eſſe contendunt.

Sunt denique (præter alios fortè) Status in Ordine Eccleſiaſtico duæ Abbatiſſæ Principes Nobilium Virginum Ratisbonæ, quas in Monaſterium, utì vocant, Inferius & Superius diſtinxerunt.

Monaſterio Superiori fundum dedit ampliſſimum anno 831. Emma Ludovici Germanici conjux, Mater Caroli Craſſi Jmperatoris. Poſt annos octoginta circiter Monaſterium Inferius ædificavit Juditha Arnolphi Mali Bavarorum Ducis filia Henrici I. Conjux. Vid. *Münchſmayr, Hiſtoriam Bavariæ & Authores etiam Acatholicos.*

TABULA TOPOGRAPHICA IV.

DE BAVARIÆ DUCATU.

§. I.

BAvariæ Ducatus longitudine 40. latitudine ſua 25. ſi ab Archiepiſcopatu Salisburgenſi & Palatinatu Superiori ſeparatum conſideremus, milliaria Germanica complectens, à Septentrione jungitur Palatinatui Superiori; ab Oriente Auſtriæ potiſſimùm; à Meridie Salisburgenſi Archiepiſcopatui & Tyroleos montibus, ab Occidente Sueviæ. Fluvij in eodem Ducatu præ reliquis nobiliores ſunt quatuor, ſcilicet Danubius, Lycus, Iſara, Oenus.

In Ducatu Bavariæ numerant nonnulli Scriptores urbes 32. inter quas veniunt

Monachium Electoris Sedes, -	München.
Ingolſtadium, - - -	Jngolſtatt.
Donavverda olim urbs Jmperij, -	Donauwerth.
Ratisbona urbs Jmperij, - -	Regenſpurg.
Pedemontium, - - -	Stattumbhoff.
Straubinga, - - -	Straubingen.
Schrobenhuſium, - - -	Schrobenhauſen.

Pfaffenhovium, - - -	Pfaffenhofen.
Abenſperga, - - -	Abenſperg.
Neoſtadium, - - -	Neuſtatt.
Kellhemium, - - -	Kellheim.
Friſinga urbs Epiſcopalis, - -	Freyßingen.
Landishutum, - - -	Landshut.
Mosburgum, - - -	Mosburg.
Dingelfinga, - - -	Dingelfingen.
Deckendorffium, - - -	Deckendorff.
Traunſteinium, - - -	Traunſtein.
Braunovium, - - -	Braunau.
Schardinga, - - -	Schardingen.
Oettinga Vetus & Nova, - -	Alt und neu Oettingen.
Burghuſium, - - -	Burghauſen.
Müldorffium, - - -	Müldorff.
Waſſerburgum, - - -	Waſſerburg.
Haga, - - -	Haag.
Roſenhemium, - - -	Roſenheim.
Landſperga, - - -	Landſperg.
Fridberga, - - -	Fridberg.
Schonggovia, - - -	Schonggau.
Weilhemium, - - -	Weilheim.

Urbibus his accedunt 94. oppida ferè omnia mœnibus cinctæ & urbibus minoribus paria. Item 75. Monaſteria. 229. Arces Nobilium & 4700. pagi.

Ducatus Bavariæ propemodum univerſus planiſſimus & fertiliſſimus rebus & bonis abundat plurimis; ſuppeditat enim incolis & accolis frumentum omnis generis copioſiſſimum; prata habet ad alendos pecorum greges pinguiſſima; ſunt ſylvæ ad cædenda ligna & nutrienda ſylveſtria animalia ſpatioſiſſimæ; non deſunt piſcibus flumina, rivi & lacus multi. Tametſi vineas non colant Bavari plerique, ex vicinis tamen, quin & remotis Provinciis Eg. Auſtria, Suevia, Tyroli &c. ipſi partim advehunt, partim advehi curant; hinc crebrò pretioſiora vina apponunt, quàm ipſi vinearum cultores

res

res Domini hauriunt. Cæterùm optimæ & diverſæ notæ cereviſiam excoquunt, hauſtum profectò & emptori ſaluberrimum, & venditori utiliſſimum. His adde fodinas ſalis, ferri &c, mercaturas, vectigalia, tributa &c; quæ omnia ſimul conjuncta ſuo Electori in annos ſingulos proventuum tantam pariunt copiam, ut ſeptem florenorum milliones Rationum annuarum ſeduli arbitri numeraverint.

§. II.
DE DUCIBUS BAVARIÆ UNIVERSIS.

THeodo I. Bojorum Dux Romanarum etiam copiarum Victor, inter urbes alias devictis eripuit Auguſtam Tiberij, quam vel de conjugis ſuæ Reginoburgæ, vel fluvij Regen nomine Reginoburgum vocavit. Nos modò Ratisbonam dicimus. Theodo II. victorias genitoris novîs victoriîs proſecutus ſeculo VI. laudatiſſimè extendit Bojariæ terminos, quos ut adversùs quorumvis hoſtium impetus conſervaret tutiſſimos, quatuor conſtituit Marchiones ad quatuor fluminum in Germania nominatorum ripas, ſcilicet Hirandum prope Aniſi, Rudolphum prope Danubij, Heroldum prope Lyci, & Adelgerum prope Atheſis ripas ſtabilem ſedem figere juſſit. Hoc in ſtatu perſeveravit Bavaria ad ſeculi VIII. annum circiter 88. intra quod temporis intervallum Duces univerſim XVIII. Bavaris imperabant: Ducum eorundem ultimus Thaſſilo III. ex Francia in Bavariam clam translatus, ductâ in thalamum Lytopirgâ Deſiderij Longobardorum Regis filiâ, potiùs ſoceri ſui, quàm Pipini & Caroli M. Regum partes fuit ſectatus; ſed ob hoc ipſum à M. Carolo repetitîs victoriîs una cum ſocero Deſiderio devictus, & bonis ferè omnibus exutus in Monaſterio coronidem vitæ imponere eſt juſſus, & quidem impoſuit abſque hæredibus.

Interea tamen avulſo uno non defecit alter florentiſſimus ramus Theodonis I. huic enim natura mater filium dedit alterum Utilonem nomine, quem cum filiis ſuis & nepotibus Reges Franciæ ob præclara merita dixerunt Antverpiæ Duces, ex quorum dein ſanguine teſtibus Genealogis deſcenderunt Caroli M. majores, *Franciæ Regum Majores Domûs*, hoc eſt ſupremi in aula præfecti appellati.

 Quam-

Quamvis dein Caroli M. in Romanis Jmperatoribus, quin & Francorum Regibus penitus emortuum ſit ſtemma, non tamen perinde extinctum eſt in Bavariæ Ducibus & Comitibus; Comites nimirum Lengenfeldenſes & dein Witelſpachii inter Bojariæ fata fatalia, veris inſtar germinare cœperunt ejusdem antiquiſſimæ arboris rami, cujus fuerunt germina Caroli M. Ante- & Succeſſores.

Ad initium Seculi XIII. novo affinitatis vinculo conjuncti Duces Palatini & Bavari Palatinatum utrumque junxerunt Bojariæ, jam priùs Electoratûs jure Palatinis conceſſo ab Ottone III. aut potiùs Gregorio V. Pontifice Romano. Præbuit Electoralis hæc dignitas ſucceſſu temporis anſam controverſiis graviſſimis inter Palatinos & Bavaros Duces, præſertim eo ex tempore, ex quo Ludovicus Bavarus vel plurium, vel certè parium Electorum ſuffragiis Jmperator electus eſt, fratre Rudolpho fratri Ludovico nequaquam ſuffragante, ſed Fridericum cognomento Pulchrum Auſtriæ Archiducem præferente. Tandem ſeculo XVII. Fridericus V. Palatinus Calvini ſententiis novis ſeductus, & à deſponſata ſibi in conjugem Eliſabethâ Anglorum Regis filiâ, fœmina coronæ regiæ avidiſſimà perſuaſus, dum ſeditioſis Bohemis ſeſe Regem ſtitit, ſimul cum victoria penitus omnia Jmperij jura amiſit in Angliam fugere compulſus.

§. III.

DE PECULIARI DIGNITATE, POTESTATE ET OFFICIIS ELECTORIS BAVARI.

INter principes victores eminuit Maximilianus Bavariæ Dux, qui conſentiente Romanorum Pontifice & Jmperatore Ferdinando II. nec non Jmperij Statibus pleriſque ſaltem, Romani Jmperij Dapifer, addito jure hæredibus perpetuo eſt creatus an. 1623.

I. Unde Elector Bavarus inter Electores Jmperij Seculares, ùt vocant, primum â Rege Bohemiæ dignitatis obtinuit locum in Jmperij Comitiis &c.

II. Eſt pariter Vicarius Jmperij per Bavariæ, Sueviæ, Franconiæ & Rheni ſuperioris Circulum.

III. In Electione & Coronatione Jmperatoris poſt Electorem Moguntiæ dexterum occupat locum.
IV. Suffragium fert inter Electores ordine quartus.
V. In proceſſionibus publicis pomum Jmperij aureum præfert.
VI. In iisdem proceſſionibus priorem ſe habet Trevirenſium, poſt ſe verò Saxonum Electorem.
VII. Dum urgent negotia Jmperij Circulis pluribus vel uni communia, Status ſuo in Circulo unà cum Archiepiſcopo Salisburgenſi convocat, & jura dictat. *Plura dabunt Juriſpublici periti.*

Cæterùm Orthodoxa Sacra primis ab humana Redemptione Seculis inter Bavaros jam cœperunt lucis inſtar clariſſimæ lucere, DD. Severino & Ruperto Bojorum Apoſtolis lumen Fidei accendentibus, nunquam deinceps extinctum. Quindecim proinde ſeculis jam conſtantiam Romano Pontifici promiſſam ſervârunt Bojorum Duces, jure meritiſſimo à Curia Romana ſæpiùs laudati: vix ullus profectò inter univerſos Germaniæ Viros Principes extitit Seculo præſertim XVI. qui fortiùs & conſtantiùs reſtiterit ſectariis, quàm reſtiterunt Bavariæ Duces. *Vide de his plura in Hiſtoria Bavarica à variis Authoribus illuſtrata.*

TABULA TOPOGRAPHICA V.

DE PALATINATU SUPERIORI EJUSDEMQUE DUCIBUS.

§. I.

INter Status Seculares in Circulo Bavarico proximus eſt Electori Dux Palatinus dictus modò Neoburgicus, cujus ditiones cùm in Palatinatu Superiori ſint ſitæ, hanc ob cauſam Palatinatum Superiorem paucîs deſcribimus.

Pala-

Palatinatus Superior, ùt hodie accipitur, ſua longitudine circiter 20. latitudine verò 15. milliaria Germanica æquat: ſi verò veterum acceptio conſideretur ita, ut Ducatus Neoburgicus jungatur eidem totus, erit multò longior & latior: hac enim ratione acceptus jungitur à Septentrione Franconiæ & Bohemiæ, ab Oriente itidem Bohemiæ & Bavariæ; à Meridie Bavariæ; ab Occidente denuo Franconiæ & Sueviæ.

In Palatinatu Superiori urbes Electori Bavaro ſubjectæ ſunt ſequentes:

Amberga metropolis & ſedes Electoris quondam perpetua,	Amberg.
Neoforum aliis Neomarchia,	Neumarckt.
Pfreimda, - - -	Pfreimbd.
Naburgum, - - -	Naburg.
Cambium, - - -	Chamb.
Neoburgum ad Sylvam, -	Neuburg am Wald.

His accedunt Landgraviatus Leuchtenbergicus priori ſeculo an. 1646. Electori Bavaro relictus.

In Palatinatus Superioris parte altera, ſeu in Ducatu Neoburgico hodie numerantur urbes & oppida

Neoburgum ad Iſtrum, -	Neuburg an der Donau.
Höchſtadium & } - -	Höchſtått.
Lavinga, } in finibus Sueviæ.	Lauingen.
Gundelfinga, - -	Gundelfingen.
Schvvandorffium - -	Schwandorff.
Weida, - - -	Weiden.
Calmunza, - - -	Callmůntz.
Hilpoltſteinium, - -	Hilpoltſtein.
Lengenfeldium, - -	Lengenfeld.
Monhemium, - -	Monheim.
Heinsberga, - - -	Heinsberg.
Burchſteinium, - -	Burchſtein.
Burghemium, - - -	Burgheim 2c.

Palatinatus Superior non abundat frumento, ſcilicet tritico, ſiligine, hordeo, avena &c; alit tamen magnam piſcium copiam.

In

In frequentes extollitur montes non admodum excelſos, in quorum viſceribus latet copioſa plumbi, ferri & argenti materia; unde & rivuli in flumina de montibus decurrentes ſecum vehunt ferri præcipuè particulas plurimas, quibus mixta aqua evadit gravior. Cæterùm tam Elector Bavarus, quàm Palatinus annis ſingulis vix ſimul octingenta ex datis tributis & aliis Superioris Palatinatus proventibus numerant florenorum millia.

Palatinatus Superior an quinque abhinc ſeculis ſub ditione Ducum Bavariæ, an Ducum Sueviæ, an denique Ducum Franconiæ fuerit, ſub judice lis eſt: non deſunt, qui maximè contendunt, Conradinum Suevorum Ducem in Jtaliam cum exercitu profecturum adversùs Carolum Andegavenſem, Palatinatum Superiorem Ludovico Severo Palatinatûs ſimul & Bavariæ Electori potentiſſimo vendidiſſe, ut haberet aurum militiæ nervum. Hæc ferè dubia; certiora ſunt, quæ ſequuntur. Hujus ipſius Electoris Ludovici duo filij Rudolphus, & Ludovicus creatus denique Jmperator, Ducatus hæreditarios inter ſe partiti ſunt; prior enim utrumque Palatinatum ſibi ſervavit cum Electoratûs dignitate; poſterior Bavariam ſibi vendicavit, tantâ denique inter fratres diſcordiâ, ut Rudolphus Ludovico in Cæſarem eligendo ſuffragium negârit, ut Friderico Pulchro Auſtriæ Archiduci concederet. Permanſit eo ex tempore Electoralis dignitas, teſtibus Hiſtoricis paſſim multis, ad annum uſque 1620. in Familia Palatina Bavaricæ Familiæ ſanguinis cognatione conjunctiſſima, quamvis Bojorum Duces eandem dignitatem alternis vicibus ſibi deberi conſtanter contenderent in Comitiis etiam publicis. Tandem, utì memoratum eſt, Fridericus V. ex Linea Simmerenſi Palatina Jmperij Elector peſſimis multorum conſiliis ſeductus an. 1619. ſeditionis Bohemicæ particeps factus, ſed ſupra Album montem victus, & in Angliam fugatus, perdidit jura quarumvis in Jmperio dignitatum & Palatinatum ſuum univerſum, qui annuentibus Jmperij Statibus, aut pleriſque, aut univerſis tranſiît ad Maximilianum I. ejus victoriæ etiam authorem glorioſiſſimum.

Palatinatus itaque Superior olim ſub unius Ducis poteſtate conſtitutus, ſucceſſu temporis nactus eſt varios Duces ſupremos; finitis

tis enim inter Duces Palatinos & Bavaros bellis longiſſimis ſimúlque graviſſimis Jmperator Maximilianus I. poſt devictum à multis ſimul hoſtibus Philippum cognomentô Ingenuum, & hujus filium Rupertum, expugnato etiam à ſe Kuefſteinio, magnam Palatinatus Superioris partem, ſcilicet Ducatum, modò Neoburgicum dictum conceſſit Ottoni Henrico & Philippo, huic avo, illi ex Ruperto filio nepoti, poſtquam hoſtes eorundem multi Palatinas urbes, oppida & pagos multos inter ſeſe variè tanquam victoriæ ſpolia diviſerunt: Haſſiæ enim Comes Homburgum & Umſtadium cum oppidis aliis; Dux Würtembergicus in Franconia Heidenhemium, Neoſtadium, Winsbergam, Maulbrunnum & Melkmilam; Dux Bipontinus Landſpergam cum oppidis aliis; Reſpublica Norimbergica Altorffium, Lauffium & Hersbruggum Palatinis Ducibus ademptum ſibi vendicârunt. Ducatus verò Neoburgicus ex enarratis ſuperiùs urbibus & oppidis fuit conjunctus. Litem graviſſimam ante alios componere laboravit Fridericus III. Saxoniæ Elector, qui an. 1505. Coloniæ & dein an. 1507. Conſtantiæ diſſidentium partes audiît & arbiter ſententiam dixit Jmperio denique probatam.

Palatinatus hic dicto modo diviſus & conjunctus in partes abiît novas hac ratione: Philippus Ludovicus Wolfgangi Bipontini filius, Ludovici Nigri abnepos tres genuit filios, nimirum Wolfgangum Wilhelmum Neoburgicum, Auguſtum, & Joannem Fridericum, quorum primus Ducatum Neoburgicum, medius in patrimonium an. 1614. accepit Ducatum Sulzbacenſem, ultimus verò Hilpoldſteinium &c. Sed & horum poſtremus unà cum liberis ſuis brevì mortuus ditiones ſuas reliquit Ducibus Neoburgicis. Eodem anno Wolfgangus ad Aras Romanas rediît eo ſecundiſſimo eventu, ut Palatinatus Superior antea partim Luthero, partim Calvino addictus, jam ferè totus Romano Pontifici denuo ſacramentum dixerit. De his plura vide in circulo Electorali, ubi de Domo Palatina uberiùs dictum eſt.

Cæterùm Statibus in Circulo Bavarico Secularibus acceſſit priori Seculo Princeps Lobkovvizius, cui in Feudum conceſſum eſt ab Jmpe-

Jmperatore Neoſtadium ad Nabum, & circumjacens regio parva dicta eſt principatus Sternſteinius; unde novum inditum eſt nomen eidem Principi; hoc noſtro tamen tempore Duci Bavariæ reſtitutum.

Status Seculares reliqui ſunt Comites de Haag, Ortenburg, Wolffſtein, Hohenvvaldek & Maxelrain; item Domini de Breitenek, Heydek, Ehrenfels & urbs Jmperialis Ratisbona. Partem eorundem maximam poſſidet hodie Elector Bavarus.

TABULA TOPOGRAPHICA I.

CIRCULUS IV. SAXONIÆ SUPERIORIS.

§. I.

Circulus Saxoniæ Superioris longitudine ſua circiter 40. latitudine 32. complectens milliaria Germanica, à Septentrione junctam ſibi habet Archiepiſcopatum Magdeburgicum & Marchionatum Brandeburgicum; ab Oriente Marchionatum Luſatiæ & partim Regni Bohemiæ; à Meridie partem alteram Bohemiæ & Circulum Franconiæ; ab Occidente demum Landgraviatum Haſſiæ.

Antequam verò in Circulo Saxoniæ Superioris ditiones univerſas ſuis dominis diſtribuimus, lubet priùs Ducum Saxoniæ Genealogiam attendere: cognitis enim diverſorum Ducatuum, Marchionatuum & Comitatuum poſſeſſoribus, facilè dein erit cognoſcere, & in ſuas claſſes diſtribuere diverſas regiones & Saxoniæ Provincias.

§. II.

DE ORTU ET PROGRESSU DUCUM ET ELECTORUM SAXONIÆ.

Witekindus M. Saxonum Rex ultimus & Dux primus ad finem Seculi VIII. à Carolo M. poſt triginta annorum prælia peni-

tus devictus, & ad Orthodoxa ſacra converſus anno 807. deſiît vivere; cùm nempe Dux ſenex adversùs Suevos pararet pugnare, & thoracem indutus diei æſtum perferre non poſſet, calore nimio extinctus cecidit, poſtquam annis 22. in Religione Romana conſtantiſſimè perſeveravit plurimorum ad Chriſtum converſorum author & exemplum.

Wernike Witekindi Magni genitor reliquit filios duos, ſcilicet Witekindum & Brunonem; horum prior *Stemma Saxonicum* propagavit, poſterior *Welphorum ſtirpem* inchoavit. Ex ſtirpe hac poſteriori deſcenderunt *Welphi Duces Bavariæ* ſimúlque *Saxoniæ* & *Brunnſuico-Luneburgenſes*, uti ſuo loco videbimus; propaginem Witekindi modò proſequimur.

A Witekindo erant duo filij relicti, nempe Wigbertus & Witekindus II. prior *Lineam Saxonicam* in filio I. Brunone continuavit; in Walperto autem filio ſecundo Lineam novam, ſcilicet *Comitum de Ringelhaim* inchoavit. Poſterior, nempe Witekindus II. Lineam *Wettinianam* in filiis propagavit: unde deſcenderunt *Marchiones Miſniæ*; *Landgravij Thuringiæ*; *Comites Palatini Saxoniæ* & quod conſequitur, *hodiernus Elector Saxoniæ*.

Meminiſſe oportet hoc loco quatuor diverſorum ramorum, ſeu, ùt vocare ſolemus, Linearum, nimirum I. *Saxonicæ* II. *Welphorum* III. *Ringelhemianæ* & IV. *Wettinianæ*.

Ex harum Linea prima prognati ſunt Jmperatores Henricus Auceps, Otto I. II. & III. nec non Henricus Sanctus. Otto I. Hermannum Billingum Saxonem natalibus & geſtis clariſſimum creavit Saxoniæ Ducem; unde acceſſit Linea nova prioribus quatuor, quam *Billingorum* vocârunt, & ampliùs ſtabiliverunt nuptiis inter Welphos & Billingos celebratis; dum Welphus IV. Bojariæ Dux Wulphildem *Billingam* ſibi deſpondit. Quin Lineis jam quinque acceſſit ſexta Seculo Chriſti XII. dum Otto cognomentô Dives *Aſcaniæ* Comes natione Saxo duxit Eliken ſponſam etiam genere *Billingam*; unde initium accepit *Linea Aſcania*, ex qua ſucceſſu temporis deſcenderunt *Electores Saxoniæ primi*: item *Electores Brandeburgici*, *Duces Lauenburgici*, & *Principes Anhaltini*: unde & hoc loco oportet notare

re Lineas quinque novas, ſcilicet I. *Billingicam* II. *Aſcaniam*, III. *Anhaltinam* IV. *Brandeburgicam* & V. *Lauenburgicam*. Cæterùm Saxoniæ Ducatum & Electoratum à Seculo XI. tenuêre poſt Lineam *Saxonicam* Duces genere *Welfi*; poſt hos *Billingi*, & tandem *Aſcanij*.

Mortuo an. 1422. abſque liberis Alberto III. Electore Saxonum, de Electoratu poſſidendo certârunt Fridericus I. Elector Brandeburgicus, Ericus Dux Lauenburgicus, & Fridericus Bellicoſus Miſniæ Marchio. Pro horum tertio ſtetit Sigiſmundus Jmperator, duobus maximè argumentis motus; Friderico enim Brandeburgico repoſuit, inſolitum prorſus eſſe duos Electoratus uni Virorum Principi concedere. Eidem & ſimul Erico Duci Lauenburgico ſignificatum fuit, nemini non patere, Miſniæ Marchiones è ſtemmate Witekindi M. deſcendiſſe: inde ob tam vetuſtam ſanguinis propinquitatem pridem fuiſſe injuriam illatam Miſniæ Marchionibus graviſſimam, quòd ex ſtemmate Billingorum & Aſcaniorum natis Ducibus prior honor & dignitas in Jmperio fuiſſet conceſſa.

Ex Linea igitur *Metiniana* ſeu *Miſnenſi* per unius ſeculi ſpatium tres fuerunt Electores, ſcilicet Fridericus Bellicoſus, Fridericus Placidus & Erneſtus; horum ultimus cum fratre Alberto denique M. diviſit ditiones, & duas conſtituit *Lineas novas*, nimirum *Erneſtinam & Albertinam*. Ex Linea Erneſtina tres denuo extitêre Electores, Fridericus Sapiens, Joannes Conſtans, & Joannes Fridericus, quorum ultimus Lutheri propugnator acerrimus à Carolo V. Jmperatore victus, captus & proſcriptus eſt ea ratione, ut Electoralis dignitas fuerit translata ad *Lineam Albertinam*. Id hoc loco probè notandum, Joanni Friderico Electori mortuo tres fuiſſe filios, Fridericum II. Joannem Wilhelmum & Joannem Fridericum, quorum ultimus maturè eſt mortuus. Fratres reliqui conſtituerunt duas diverſas Lineas, ſcilicet *Altenburgicam* & *Weinmariam*. Joannes Weinmarius in duobus filiis Wilhelmo & Erneſto Lineam de *Gotha* dictam inchoavit, & ſimul Weinmariam continuavit. Hæc ipſa ſucceſſu temporis fuit diviſa in *Weinmariam*, *Eiſnachianam* & *Jenenſem*.

De Gotha primò diviſa eſt in *Coburgenſem* & *Eiſenachenſem*; dein verò eadem diſperſa eſt in *Gothenſem*, *Coburgenſem*, *Meinungenſem*,

Römhildenſem, *Eiſenbergenſem*, *Hildburghuſanam* & *Saalfeldenſem*: nati quippe ſunt ex iisdem parentibus octodecim liberi, quorum novem tenerrima ætate ſunt mortui; ſuperſtites verò contraxêre nuptias.

Ex tot Lineis ſecundùm maſculorum ſexum extincta eſt an. 1672. Saxo-Altenburgica. An. 1690. Saxo-Ienenſis. An. 1678. Coburgenſis. An. 1707. Eiſenbergenſis. An. 1710. Römhildenſis. Vid. *Circulum Franconicum.*

Nihilominus ex ſola Linea Erneſtina numerantur hodie proles ſanguine Principes facilè 40. aut ſupra, quibus dum Lutherus Fidem Romanam ademit ſuis in Maioribus, aditum præcluſit ad munia & dignitates Eccleſiaſticas, ingenti ſanè tantæ Familiæ detrimento, utpote quæ dividendo ditiones ſuas in partes omnino multas, quot nimirum erant filij, multiplicavit gentem, ſed vix lætitiam. Hactenus de Linea Erneſtina, nunc de Albertina.

Albertus Animoſus Erneſti frater reliquit filium Georgium & Henricum, hunc ex aſſe Lutheranum, illum Romano-Catholicum. Ducatus ſuos diviſêre in partes geminas eo pacto, ut ſi Georgius ex filiis non relinqueret hæredes, Ferdinandus Archidux Auſtriæ ſuccederet hæres. Mortui verò ſunt abſque hæredibus filij Ducis Georgij, nec tamen Ferdinando relictus eſt ſuccedendi locus, Marte & nova religione, utì prudenter ajebant, omnia turbante. Ex Henrici pronepotibus Joannes Georgius Elector Saxoniæ numeravit ſuperſtites filios quatuor, omnes matrimonio junctos, & filiis auctos; unde enatæ ſunt quatuor diverſæ Lineæ; harum prima dicta eſt *Electoralis*, altera *Leucopetra ſeu Weiſſenfelſiana*; tertia *Merſeburgica*, & quarta *Citica*: atque hæ omnes Lineæ ſuis abundè ſunt inſtructæ hæredibus maſculis. Præter alia diſcrimen hoc inter Lineam Albertinam & Erneſtinam interceſſit; quòd in priori conſtanter non exigua ſcintilla arſerit erga Fidem Catholicam; nam ex Linea Electorali ipſe Fridericus Auguſtus Polonorum Rex, & dein hujus filius Sereniſſimus ad caſtra Romana rediît; ex Linea Weiſſenfelſiana Albertus exemplo præluxit; ex Linea demum Saxo-Citica exemplum Alberti ſtrenuè ſecutus eſt Chriſtianus Auguſtus S. R. E. Cardinalis, Epiſ-

Epiſcopus Jaurinenſis, & Strigonienſis, nec non Ratisbonæ Cæſaris Commiſſarius, utì vocant, ſupremus. Linea verò Erneſtina, dum doctrinis quibusvis ferè aliis non negat aditum, Dogmata tamen Romana averſatur pertinaciſſimè.

Nec oblivioni dandum eſt hìc, jam Seculo XIII. connubij vinculo Landgraviatum Thuringiæ cum Marchionatu Miſniæ ita firmiter conjunctum fuiſſe, ut ambo inter ditiones Saxoniæ nobiliſſimas numerentur etiam hodie. Colligendum etiam, triginta circiter Lineas ex ſtemmate Saxonico inveniri; ſi annumerentur diverſæ Lineæ Principis Familiæ Anhaltinæ, non accenſitis aliis Familiis in Circulo Saxoniæ Inferioris commemorandis. *Lineæ* autem *Anhaltinæ* hodierno ordine ſunt ſequentes: *Deſſavienſis*, *Bernburgenſis*, *Plözgavienſis*, *Zerveſtina*, & *Cœthenſis*. Atque in tot partes ditiones Circuli Saxoniæ Superioris ſunt mox dividendæ. *Vid. Hübn.*

§. III.
DE DUCATU SAXONIÆ.

STatus omnium primus ac ſupremus in Circulo Saxoniæ Superioris eſt Elector Saxonicus, cujus Ducatus ad Albim fluvium ſitus eſt inter Principatum Anhaltinum, Marchionatum Miſniæ, Brandeburgicum & Luſatiæ. Æquat is longitudine ſua milliaria Germanica ferè 18. latitudine 15. urbes in eodem Ducatu ſunt.

Witteberga,	aliis Leucorea, ad Albim.	Wittenberg.
Torgavia,	ad Albim.	Torgau.
Belgera,	ad Albim.	Belgeren.
Herzberga,	ad Elyſterum.	Hertzberg.
Schvveidniza,	ad Elyſterum.	Schweidnitz.

Urbes minores omittuntur.

§. IV.
DE DIGNITATE AC POTESTATE ELECTORIS SAXONIÆ.

I. Elector Saxoniæ eſt Jmperij Mareſchallus, ſeu Enſifer, ùt vocant.

II. Tem-

II. Tempore Electionis & Coronationis Jmperatoriæ ac in Comitiis Jmperii, conſtituit locum habitationi Cæſaris peraccomodum: imò Electoris hujus curæ commendatur habitatio omnium Electorum eodem tempore.

III. Tum etiam equum conſcendens in acervum ex avena congeſtum invehitur.

IV. Dum Cæſar Eg. publicè pranſurus lavat manus, Elector Saxoniæ linteum porrigit.

V. In Collegio Electorum quinto loco fert ſuffragium.

VI. In abſentia Electoris Moguntini Directorium, ùt dicitur, eſt penes Saxoniæ Electorem.

VII. In Comitiis imponit pretium rebus vendibilibus.

VIII. Eſt Vicarius Jmperij perpetuus illis in locis, ubi viget jus Saxonicum, ſcilicet in Ducatu Saxoniæ, Marchionatu Brandeburgico, Ducatu Brunſuicenſi, Mechlenburgico, Pomeraniæ & Bremenſi.

IX. Eſt ſupremus Venatorum Magiſter & Judex in Jmperio à Carolo IV. Jmp. jam conſtitutus, & à Leopoldo non ita pridem confirmatus.

X. Non minùs eſt ſupremus Præfectus Tubicinum & Tympanotribarum in Jmperio.

XI. Status Circuli Saxonici Superioris unà cum Electore Brandeburgico regit &c.

XII. Ex univerſis ditionibus ad Electoratum aut Ducatus ſuos pertinentibus annis ſingulis facilè quinque aut ſex florenorum milliones colligit.

§. V.

DE MISNIÆ MARCHIONATU.

Miſniæ Marchionatus in bonis Electoralibus quoad partem potiſſimam numerandus, eſt ita locatus, ut à Septentrione contingat Ducatum Saxoniæ, ab Oriente Marchionatum Luſatiæ; à Meridie partem Bohemiæ & Voitlandiam; ab Occidente Ducatum Thuringiæ. Longitudine ſua complectitur circiter 40. latitudine

ne 30. milliaria Germanica. Quin ſi Voitlandiam adjiciamus, erit aliquot milliaribus latior, non verò longior.

Marchionatus Miſniæ commodè dividitur in partes octo, ſcilicet

I. In Circlum Miſnienſem,
II. Circulum Lipſienſem,
III. Circulum Aeris-montanum,
IV. In Partem Weiſſenfelſianam ſeu Leucatrenſem,
V. Partem Merſeburgicam,
VI. Partem Zeizianam ſeu Saxo-Citicam.
VII. Voitlandiam &
VIII. Occidentalem Regionem, ſeu Altenburgicam.

In Circulo Miſnienſi, qui totus eſt Electoris, ſunt urbes

Dresda Sedes Electoris,	olim Epiſ.	Dreßden.
Miſnia, aliis Miſena,	olim Epiſ.	Meiſſen.
Pirna,	olim Epiſ.	Pirn.
Königsſteinium,	ad Albim:	Königsſtein.
Scandavia,	ad Albim:	Schandau.
Mauritioburgum,	ad Albim:	Moritzburg.
Strela,	ad Albim:	Strelen.
Mühlberga,	ad Albim:	Mühlberg.

In Circulo Lipſienſi, qui ferè totus eſt Electoris, ſunt urbes.

Lipſia inter Salam & Muldam,		Leipzig.
Grimma,	ad Muldam,	Grimm.
Jlenburgium,	ad Muldam,	Eilenburg.
Coldicia,	ad Muldam,	Coldiß.
Rochlizia &c &c.	ad Muldam,	Rochliß.

In Circulo Aeris-montano ſeu Metallifero, qui totus eſt Electoris, ſunt urbes

Freyberga,	Freyberg.
Schneeberga,	Schneeberg.
Zvvigaugia, aliis Cygnea,	Zwickau.
Chemnizium,	Chemniß.
Stolberga,	Stollberg.

Annaberga,	Annaberg.
Villa Joannis Georgij,	Joh.Georgſtatt.

§. VI.

DE RELIQUIS MISNIÆ PARTIBUS.

IN parte Weiſſenfelſiana, quæ Principis eſt hujus nominis, ſunt urbes

Leucopetra,	Weiſſenfelß.
Auguſtoburgum Sed. Ducis.	Auguſtsburg.
Friburgum,	Freyburg.
Querfurtum huc pertinet in Thuringia,	Querfurt.
Thama in Marchionatu Lauſatiæ,	Tham.
Jüterbocum in Marchionatu Brandeburg.	Jütterbock.

His accedunt Præfecturæ

Sachſenburgum,	in Thuringia.	Sachſenburg.
Heldrunga,		Heldrungen.
Wendelſteinium,		Wendelſtein.
Sittichenbachium,		Sittichenbach.

In parte Merſeburgica, quæ olim fuit Epiſcopatus Romanus, nunc verò eſt Principis Merſeburgenſis, ſunt urbes

Merſeburgum, ſeu Martisburgum,	Merſeburg.
Lucena,	Lützen.
Sceuditium,	Sceuditz.
Lauchſtadium,	Lauchſtatt.
Delicium,	Delitſch.
Bitterfelda,	Bitterfeld.
Sorbiga,	Zoerbich.

Poſſidet etiam Princeps Merſeburgicus in Marchionatu Lauſatiæ magnam partem, uti videbimus.

In parte Zeiziana, ſeu Citica, quæ eſt prope Salam ſita, ſunt urbes.

Citum aliis Ciza,	Zeitz.
Naumburgum olim urbs Epiſ.	Naumburg.
Priſnitia,	Frauenprießnitz.

Ad

Ad hanc partem pertinent

Schleuſinga,	in Ducat. Henneberg.	Schleißingen.
Sula,		Sul.

Item pars Voitlandiæ, in qua ſunt urbes

Plavia,		Plauen.
Oelſſnicium,		Oelßnitz.
Ziegenrück,		Idem.
Weida,	tres Præfecturæ.	Weiden.
Arenshaug,		Idem.
Reichenbachium,		Reichenbach.
Hofium,	ſubjacent Marchioni Byruthano.	Hof.
Wonſidelium,		Wonſidel.

Occidentalem Regionem, vulgò Oſterlandiam, poſt extinctam Lineam Altenburgicam inter ſeſe diviſerunt Dux de Gotha & Vimarienſis; prior enim poſſidet

Altenburgum,	Altenburg.
Orlamundam,	Orlamünde.
Eisenbergam,	Eiſenberg.

Poſterior verò

Dornburgum,	Dornburg.
Roslavium,	Roßlau.
Burgelam,	Burgel.
Heusdorffium,	Heußdorff.
Altſtadium,	Altſtätt.

TABULA TOPOGRAPHICA II.

DE THURINGIÆ LANDGRAVIATU.

§. I.

Ditionibus Electoralibus augmentum dedit maximum Thuringia,

gia, quæ verſus Septentrionem adjacet Principatui Anhaltino & Saxoniæ inferiori; verſus Orientem Miſniæ; verſus Meridiem Franconiæ; verſus Occidentem Haſſiæ. Longitudine & latitudine ſua complectitur circiter 24. milliaria Germanica.

Thuringia dividenda eſt in partes omnino varias, & quidem diviſione prima in partes quinque, nimirum

I. In Dominium Moguntinum,
II. Ditiones Saxonicas,
III. Comitatus varios,
IV. Urbes Jmperiales &
V. Balliviatum, utì dicitur, Equitum Teutonicorum.

In Dominio Moguntino ſunt urbes

Erfordia ferè in medio, - - Erfurt.
Duderſtadium & } in Eisfeldia. , Duderſtatt.
Heiligenſtadium } - - - Heiligenſtatt.

Ditiones Saxonicæ in ſex partes dividuntur:

I. Partem poſſidet Elector Saxonicus ſibi oppignoratam & litteris conſignatam, nimirum ditiones Weiſſenfelſianas, quibus accedit pars urbis Trefurti &c. Pars itaque

II. Weiſſenfelſiana conſiſtit potiſſimùm in quatuor Præfecturis, nempe in
Langenſalzenſi,
Weiſſenſeenſi, } ad fluv. Inſtrutt:
Sangerhuſenſi &
Ekartsbergenſi

Item Præfecturæ aliæ quatuor, de quibus jam ſuperiùs.

III. Partem poſſidet Linea Vimarienſis, in qua ſunt
Vinaria, aliis Vimaria, - Weinmar.
Burgella, - - - Burgel.
Kranichfelda, - - - Kranichfeld.

IV. Partem poſſidet Linea Eiſenachenſis, in qua ſunt
Jſenacum prope Haſſiam, - Eiſenach.

Haud procul abeſt arx Wartemburgica Lutheri aſylum.

Jenna, - - - Idem.

Cruce-

Crucenacum. - - - Creutznach.
Gerſtunga, - - Gerſtungen.

V. Partem poſſidet Linea de Gotha, ſcil.
Gotham cum vicinis oppidis - Gotha.
De hac Linea vid. Circulum Franconicum.

VI. Partem poſſidet Linea Salfeldiana, in qua
Salfelda, - - - Salfeld.

Denique Balliviatus, utì vocatur, Equitum Teutonicorum diſperſa per Thuringiam numerat bona. Zvvezenæ prope Jenam ſolet figere Sedem à Principe ſuo conſtitutus Eques. Curam omnium bonorum ad Teutonicos Equites pertinentium in ſe ſuſcepit hodie S. R. E. Cardinalis Saxo-Citicus; at nuper mortuus!

§. II.

DE COMITATIBUS VARIJS IN THURINGIA.

INter Comitatus Thuringiæ principem tenet locum olim Comes, nunc Jmperij Princeps Schvvarzenburgicus an. 1697. creatus. Is à Witekindo M. originem trahit, quem Carolus M. è fonte Baptiſmatis levatum parte Thuringiæ dônâſſe fertur: quamquam alij in aſſerendo Schvvarzenburgicorum Principum ſtemate ſunt alterius ſententiæ contendentes, à Comitibus antiquiſſimis de Kevernburg deſcendiſſe Principes Schvvarzenburgicos. Verùm ſint hæc dubia, certiſſimum eſt, Comitum Schvvarzenburgicorum fuiſſe lapſis ſeculis haud paucos, qui infulis & galeis, pedo & gladio, toga & ſago, virtutibus & ſcientiis ingens ſibi nomen comparârunt. Sileo reliquos; unius Güntheri nomen non taceo, qui ſeculo XIV. electus eſt in Cæſarem, ut Reipublicæ ſtatum ea ætate turbatiſſimum authorithate ſua ac prudentiâ componeret: ita de Günthero boni omnes ſperaverunt optimè. At ſpem maximam præcidit falx mortis inimiciſſima, venenô, ut erat ſuſpicio, occultata. Hodie in duos diviſi ramos Principes Schvvarzenburgici, Arenſtadiani & Rudelſtadiani vocantur. Eorundem ditiones ſunt per Thuringiam diſperſæ, inter quas eminent

Schvvarzenburgum	ad Riane	Fluv.	Schwartzenburg.
Arnſtadium	ad Geram		Arnſtatt.
Sonderhuſium	ad Wipram		Sonderhauſen.
Rudolphopolis	ad Salam		Rudolphſtatt.
Heringa	ad Helmam		Heringen.

Cæterùm Comites Schvvarzenburgici jam prioribus Seculis inter privilegia ſua illud numerârunt, quo in Principum Jmperij Collegio ſuum etiam ſuffragium admitti vel impetrârunt, vel ardenter deſiderârunt. Proventus eorundem annui facilè 200000. florenorum æquant vel ſuperant.

Proximi Schvvarzenburgicis fuerunt Comites Barbejenſes prioris ſeculi anno 1659. emortui; unde Princeps Adminiſtrator, ùt vocamus, Magdeburgicus Saxo ad filios ſuos transtulit Comitatum hunc inter Magdeburgum & Principatum Anhaltinum ferè medium.

Inter Comites hujus Circuli veniunt Mansfeldiani, quorum parentem primum fuiſſe Burckardum de Querfurt an. 1115. defunctum aſſerunt. In duas ſeſe diviſerunt Lineas, nimirum in Euslebianam & Bornſtadianam; hæc Romana ſacra, illa Lutheri placita probavit. Lutheranam penitus emortuam dicunt an. 1710. unde Electores Saxonicus & Brandeburgicus de hæreditate certârunt. Comitatus autem Mansfeldianus Principatui Anhaltino eſt propinquus, in quo ſunt

Mansfeldia, - - - - - -	Mansfeld.
Bornſtadium, - - - - -	Bornſtatt.
Atera, alijs Arternia, - -	Artern.
Islebia, - - - - - -	Eißleben.

Mansfeldianis accedunt Comites de Stollberg, quorum ſupremum parentem fuiſſe Ottonem de Columna Equitem Romanum affirmant, qui ſeculo VI. tempore Juſtini Jmperatoris in ſylva nigricantem cervum cepiſſe, & ad Cæſarem adduxiſſe fertur; unde & à Cæſare ditionibus eodem in loco ſitis donatum dicunt. Verùm an res ita ſe habeat, meritò dubitârunt Hiſtorici; Juſtinus enim Orientis, non Occidentis Jmperator, quibus viis in Germaniam aut ipſemet pervenerit, aut Ottonem hunc cum copiis miſerit, mini-

minimè liquet; cùm ſeculo VI. VII. & VIII. in Occidentis Jmperio omnia fuerint turbata adeò, ut inter migrationes gentium & expeditiones multorum tyrannorum nec Conſtantinopolitanis, nec Romanis patuerit in Germaniam aditus: Hinc aliunde genus ſuum ducere Comites de Stollberg affirmare oportet; bona eorundem immobilia juxta Comitatum Mansfeldianum ſunt locata, & ſunt ſequentia:

Comitatus Stollbergenſis, Weringeroda, Waſſerlehre, quondam Monaſterium, Præfecturæ Ranſtadiana & Rosla, Hohenſtein & caſtellum Jlſenburg.

Hoc Ordine veniunt etiam Comites de Reuſſen è ſtemmate perantiquo nati, & tempore Caroli M. haudquaquam ignoti; dividuntur iidem in quatuor Lineas, quarum prima Gerajana, altera Saalburgiana, tertia Schlaiziana, & quarta Lobenſteiniana eſt nuncupata.

Bona eorundem potiſſima ſunt in Voitlandia, nimirum

Gera, - - - -	Idem.
Schlaiza, - - - -	Schlaitz.
Græcium, - - - -	Grätz.
Lobenſteinium, - - -	Lobenſtein.
Salbinga, - - - -	Salbing.

Relinqua ſunt minùs celebria.

Membra Circuli hujus fuerunt quondam etiam Comites de Gleichen, poſt quorum fata ditiones eorundem circa Gotham & Erfordiam jacentia ſunt diviſa in partes quatuor; partem vendicavit ſibi

I. Linea Saxogothica,
II. Linea Vimaria,
III. Comites de Hazfeld,
IV. Comites Hohenloici.

Pari ratione Comitum Beichlingenſium bona haud procul Naumburgo ſita vendicârunt ſibi Domini de Wertern.

Urbes Jmperiales in Thuringia numerantur hodie duæ duntaxat, nimirum Mülhuſium & Northuſium.

Ta-

TABULA TOPOGRAPHICA III.

DE PRINCIPATU ANHALTINO.

§. I.

ANte Comites hactenus memoratos ordine dignitatis veniunt Principes Anhaltini, quorum Principatus à Septentrione jungitur Ducatui Halberſtadienſi, & Magdeburgico quondam Archiepiſcopatui; ab Oriente Ducatui Saxoniæ; à Meridie Thuringiæ & Mansfeldiano Comitatui. Complectitur longitudine ſua circiter 22. latitudine verò ex parte Superiori 7. milliaria Germanica.

Principes Anhaltini, quemadmodum memoravimus, ſeſe diviſerunt in quatuor Lineas, nimirum in *Deſſavienſem*, *Bernburgenſem*, *Kötenſem*, & *Zerbſtenſem*.

Deſſavienſis poſſidet in hoc Principatu

Deſſaviam,	- - - -	Deſſau.
Worliziam,	- - - -	Worlitz.
Radegaſtum,	- - - -	Radegaſt.
Sanderlebiam & Oranienbaum,	arces. - -	Idem.

Bernburgenſis poſſidet

Bernburgum,	- - - -	Bernburg.
Harzgerodam,	- - - -	Hartzgeroden.
Ballenſtadium,	- - - -	Ballenſtatt.
Cizium minus,	- - - -	Kleinzeitz.

Gernroda eſt nobilium fœminarum domus, in qua omnium ſuprema numeratur inter Principes Jmperij, fœminas: Gero Dux fuit author hujus Monaſterij olim Ord. S. Bened. in quo Hedvvigis Ducis hujus nurus vidua ſeculo X. erat Abbatiſſa; nunc defecit ad Lutherum.

Köthe-

Köthenſis poſſidet

Köthenium, - - - -	Köthen.
Nienburgum Abbatiam quondam -	Nienburg.

Zerbſtenſis ſuam dicit

Zerveſtam, - - - -	Zerbſt.
Coſvitium, - - - -	Coſwitz.
Müllingam Præfecturam in Magdeburg.	Müllingen.
Dornburgum, - - -	Dornburg.

Stemma & alia huc pertinentia proſecuti ſumus ſuperiùs, ubi de origine Ducum Saxoniæ. Huc ponatur Abbatia Quedlinburgica inter Halberſtadienſem & Anhaltinum Principatum ſita. Henricus Auceps fundum Parthenoni huic dedit. Princeps Abbatiſſa omnium prima erat Mechtildis Henrici Auguſta filia. Lutheri doctrina mutavit & turbavit ordinem.

TABULA TOPOGRAPHICA IV.

DE MARCHIONATU BRANDEBURGICO.

§. I.

INter Status Circuli Saxonici Superioris eſt vel maximè Marchio Brandeburgicus (Elector ſimul & Rex Boruſſiæ) cujus Marchionatus longitudine circiter 50. latitudine 26. complectitur milliaria Germanica Albi & Odera ſeu Suevo diſtinctus; tangit à Septentrione Ducatum Mechlenburgicum & Pomeraniam; ab Oriente potiſſimùm Regnum Poloniæ; à Meridie Sileſiam, Luſatiam & Ducatum Saxoniæ; ab Occidente demum Archiepiſcopatum quondam Magdeburgicum & Burgenſem Ducatum.

Totus hic Marchionatus ditioni Marchionis & nunc Regis Boruſſorum ſubjectus dividitur in

I. Pregnitiam, II. Marchiam Veterem, III. Marchiam Mediam, IV. Marchiam Ukeraniam & V. Marchiam Novam.

In Pregnitia, quæ ſita eſt juxta Marchiam Veterem verſus Septentrionem, ſunt urbes

Perleberga caput Regionis. Havelberga quondam Epiſcopatus. Witſtockium. Kiritium. Witteberga.

In Marchia Veteri, quæ eſt infra Pregnitiam verſus Meridiem & Occidentem, ſunt urbes

Stendalia caput Regionis. Saltvedelia, aliis Soltquella. Gardelegia. Tangermunda. Seehuſium. Oſterburgum. Werbena alijs Varinum &c &c.

In Marchia Media ſunt urbes Berolinum Sedes Regis in quinque partes diſtinctum. Brandeburgum quondam urbs Epiſc. Francofurtum ad Oderam. Spandavia. Podampcum, alijs Pozdamum. Ferbellinum. Rupinum. Vallis Joachima. Ratenavia. Bernavia. Lebuſium Olim urbs Epiſc. Cuſtrinum.

In Ukerania, quæ eſt ſupra Marchiam Mediam verſus Sepentrionem, ſunt urbes

Prenslavia caput Provinciæ. Templinum. Lochnitium. Razenburgum. Strasburgum. Woldecum. Suetum. Oderburgum.

In Nova Marchia urbes ſunt Drieſa. Fürſtenvvaldia. Landſperga. Neoſtadium. Rattenovium. Oranienburgum. *Nomina Germanica ſunt ferè ſimilia Latinis.*

§. II.

DE ORTU ET PROGRESSU MARCHIONUM ET ELECTORUM BRANDEBURGICORM, NUNC ETIAM BORUSSIÆ REGUM.

A Witekindo M. genus ſuum ducere Brandeburgicos Marchiones, diximus ſuperiùs; Sigfridus enim Comes de Ringelhaim ejusdem Magni Witekindi erat abnepos, cujus ſororem D. Mathildin conjugem ſibi, in thalamo junxit Henricus Auceps

ceps Romanorum Jmperator. Victor hic Vandalorum glorioſiſſimus partim meritis maximis, partim affinitatis vinculo commotus, eundem Sigfridum Marchionatus Brandeburgici conſtituit Dominum; is verò cum liberis eſſet deſtitutus, in Marchionatu Succeſſores reliquit Geronem ex fratre nepotem, & Bruniconem remotiori propinquitatis vinculo ſibi conjunctum. Gero *Comes de Stade*, Brunico *Comes Wetinus* vocabatur: namque in totidem Lineas Marchiones Brandeburgici primi erant diſtincti. Inter Comites Wetinos omnium ultimus Theodoricus à Wandalorum Rege Miſtevoio an. 1020. ad internecionem deletus, Marchionatum ſuum victori cedere fuit coactus; per annos proinde centum & triginta facilè Provincia Brandeburgica Vandalis caput inclinavit ſubditum. An interea temporis Comites de Stade & Ditmarſen in Marchionatu Brandeburgico partem Regionis impetrârint, ambiguum nobis reliquerunt Hiſtorici: procul dubio Comites iidem Seculo Chriſti XII. circa annum 1144. penitus ſunt extincti. Referunt non minùs Saxones quàm Scriptores Brandeburgici, *Albertum* cognomento *Urſum ex ſtemmate Aſcanio* natum à Friderico Ænobarbo Cæſare Marchionatu Brandeburgico donatum fuiſſe eo pacto, ut vicinas Provincias hoſtibus purgaret; quod tanta felicitate præſtiterit, ut Saxoniam, Weſtphaliam & Friſiam Vandalorum copiis liberârit. Reliquit Albertus Urſus filios duos Bernardum & Ottonem, *quorum hic Brandeburgicus, ille Saxoniæ Elector creatus* dignitatem ſuam juxta ac poteſtatem ritè conſervârunt.

Ex ſtirpe Aſcania per annos circiter 170. Marchionatum hunc tenuêre duodecim Electores, quorum omnium ultimus Joannes IV. anno 1322. defunctus eſt abſque hærede: quare Ludovicus Bavarus Jmperator inſuper habitis quibuſvis Lineis Aſcanio ſanguini propinquis, præſertim verò Electorali Saxonica, Anhaltina & Saxo-Lauenburgica Ludovicum filium ſuum creavit Electorem Brandeburgicum, aſſerens dignitatem hanc Electoralem numerari inter illa Jmperij Feuda, quæ in arbitrio Cæſaris cuicunque ſubditorum concedendi eſſent poſita. Electoratum proinde hunc ex Ducum Bavarorum ſtemmate vendicârunt ſibi per annos 50. circiter Ludovi-

cus alter Romanus dictus, quòd Romæ eſſet natus, & Otto, tres fratres, Ludovici Jmperatoris filij omnes. Tum verò Carolus IV. & hujus filij Wenceslaus ac Sigiſmundus tres Jmperatores Marchionatum Brandeburgicum, & huic annexas dignitates dixerunt ſuas; mox verò eorundem Jmperatorum ultimus Marchionibus Moraviæ Jodoco & Procopio in emphitevſin conceſſit: at denique pecuniîs redemptum ſuæ denuo fecit poteſtatis. Eadem ætate Fridericus IV. Comes Hohenzolleranus ſimúlque Norimbergæ ſupremus Præfectus (Burggravium dixerunt Germani) de Jmperatore & Jmperio Romano optimè merebatur; unde à Sigiſmundo Jmp. in Marchionatu Brandeburgico Electoris vices primùm agere juſſus, dein verò Conſtantiæ Concilij tempore Elector creatus an. 1417. publicè Inſignia Electoribus S. R. J. propria induit. Ex Hohenzolleranorum proin ſanguine ad noſtrum uſque ſeculum numerati ſunt Electores tredecim, quorum primi ſtabilem ſedem in Franconia fixerunt: Joannes enim, Cicero ob eloquentiam ſuam dictus, hoc ordine quartus Elector ſedem ex Franconia in Electoratum Brandeburgicum transtulit. Albertus verò Achilles Joannis Ciceronis genitor an. 1473. iniît fœdus (hæreditatis appellatum) cum Ducibus Saxoniæ & Haſſiæ ea ratione, ut cujuſcunque ipſorum Familia morte extingueretur priùs, duæ Familiæ reliquæ in partes æquales ſuccederent. Atque fœdus hoc temporis ſucceſſu quater jam fuit confirmatum, an non adversùs Jmperatoris & Jmperij jura, diſcutiant peritiſſimi juris publici. Cæterùm quàm modico temporis intervallo creverint maximopere res Electorum horum, hactenus liquet ex dictis, & liquebit mox ampliùs ex dicendis. An. 1553. poſtquam Aras Romanas deſeruerunt Brandeburgici, Elector Joannes Fridericus creavit ſemet Epiſcopum, ùt vocant Heterodoxi, Havelbergenſem, & an. 1555. Lebuſinum, atque an. 1566. Adminiſtratorem Archiepiſcopatus Magdeburgici eam potiſſimùm ob cauſam, ut ingens augmentum acciperent ditiones Brandeburgicæ. Idem an. 1608. mortuus vivos reliquit filios ſeptem, quorum plerique rapuerunt bona Eccleſiæ; unde inter Provincias Electoris Brandeburgici ſimúlque Boruſſiæ Regis proprias numerantur hodie Archiepiſcopatus Magdeburgi

burgicus, Halberſtatenſis, Epiſcopatus Havelbergenſis, Lebuſinus, Caminus, Mindenſis, Mœrſenſis, ſeu Meurſianus.

Anno 1618. cùm Albertus Fridericus Boruſſiæ Dux ſine hærede fuiſſet ſepultus, Georgius Wilhelmus Elector Brandeburgicus Friderici ſororius Ducatum Boruſsiæ impetravit, à Rege Polonorum Sigiſmundo III. Jure Feudorum proprio & datis Inſignibus ſub dio exornatus. Idem, cùm Anno 1637. diem extremum obiîſſet Bugislaus XIV. Dux Pomeraniæ, jure pactorum partem Pomeraniæ ſibi vendicavit.

Circa annum 1656. conjunctæ Suecorum & Brandeburgicorum copiæ prope Warſoviam Polonos clade maxima proſtraverunt; unde Boruſſiæ Ducatus ab omni etiam Feudorum onere Polonorum Regi olim exhibito fuit penitus liberatus; ſuis etiam ſedibus exacti ſunt Equites Teutonici.

An. 1666. litem de bonis Juliacenſibus obortam ea ratione finiît cum Duce Palatino Fridericus Wilhelmus, ut Cliviam, Marchionatum (Marchiam Juliacenſem appellant) & Ravenſpergam poſſideret Elector Brandeburgicus.

An. 1695. Frdericus Elector Brandeburgicus à Cæſare impetravit poſſeſſionem bonorum Limpurgenſium inter Sueviam & Franconiam ſitorum.

An. 1701. ex Leopoldi Cæſaris potiſſimùm gratia Fridericus Elector Brandeburgicus Boruſſiæ Rex fuit promulgatus, cujus ſummi beneficij nunquam obliviſcentur hæredes Regij erga Jmperatores Auſtriacos, ùt ſperant boni omnes, in ævum futuri gratiſſimi. Plura patebunt ex iis, quæ ſequuntur: hactenus enim pauca per ſynopſim dicere placuit, ut Lector Benevolus ex ungue Leonem, id eſt, Electorem Brandeburgicum & nunc Boruſſiæ Regem poſſit cognoſcere, cui tam amplæ ſubeſſe cernuntur Provinciæ partim ex bonis Eccleſiaſticis, partim ſecularibus conjunctæ, ut ferè ſeptimam univerſæ Germaniæ partem videatur poſſidere; ex quibus tantas in annos ſingulos colligi poſſe ajunt divitias, ut hæ triginta florenorum millionibus ſint majores; vel pares, vel certè non multùm

tùm inferiores; id ut appareat tum hìc, tum in Circulo Saxoniæ Inferioris & Weſtphalico evidentiùs, addere viſum eſt Ducatum quondam, nunc Boruſſiæ Regnum appellatum, Vid. *auth. citt.*

§. III.

DE DIGNITATE AC POTESTATE ELECTORIS BRANDEBURGICI.

I. Elector Brandeburgicus eſt Archi-Camerarius in Romano Jmperio.

II. In Comitiis Jmperij Cæſari Eg. pranſuro affundit aquam.

III. In Proceſſionibus, utì vocamus, publicis præfert Sceptrum Jmperij.

IV. Die Conſecrationis & Coronationis conſiſtit ad ſiniſtram Electoris Saxonici.

V. Suffragium ſuum fert loco ſexto.

VI. In Collegiis Principum Jmperij ſex ſuffragiis ſententiam publicam promovet.

VII. Habet eadem privilegia in Jmperio Romano, quæ impetravit Elector Saxonicus.

VIII. Dicitur Protector Equitum Melitenſium, quam appellationem confirmavit pax Weſtphalica.

IX. In Provinciis ſuis omnibus nova poteſt exigere vectigalia &c.

X. Principem Hohenzolleranum Electoris loco poteſt & fortè ſolitus eſt mittere ad Jmperij Conventus &c. Vide *plura in Jure publico.*

XI. Status in Circulo Saxoniæ Superioris unà cum Electore Saxonico dirigit.

TA-

TABULA TOPOGRAPHICA V.
DE DUCATU POMERANIÆ.

§. I.

IN Circulo Saxoniæ Superioris principem nacti ſunt ſedem tam Sueciæ, quam Boruſſiæ Reges, quòd Pomeraniæ Ducatum diviſo dominio Ducis nomine etiam hodie poſſideant. Pomeraniæ autem Ducatus ſua longitudine æquat circiter 50. aut plura, latitudine verò in ſui parte media 18. in partibus aliis 10. aut 12. milliaria Germanica. Septentrionem verſus longiſſimo tractu adjacet mari Balthico; verſus Orientem jungitur Poloniæ; verſus Meridiem Marchionatui Brandeburgico; verſus Occidentem Ducatui Mechlenburgico.

Dividitur Pomerania in Citeriorem & Ulteriorem; hæc tota ſubjicitur Regi Boruſſorum, illa Suecorum. In Pomerania Citeriori urbes ſunt

I. Et quidem in Ducatu Stetino Stetinum caput Ducatus. Damum. Ukermunda. Anclamum. Deminum. Garza. Jaſeniza. Oderburgum. Paſſevvalkum. Uſſedomum. Volinum.

II. In Regione Barthenſi urbes ſunt Barthia, alijs Bardum. Damgarta. Stralsunda. Franzburgum. Tribſeum.

III. In Regione ſeu Comitatu Gutkovienſi ſunt Gutkovia. Wolgaſtia. Gripsvvaldia. Loyza.

IV. His accedunt Inſulæ Rugia, in qua eſt Berga. Uſedomia. Wollina.

In Pomerania Ulteriori, quæ dividitur in quinque partes, ſunt urbes, & quidem in

I. Pomerania ipſa Stargardia, in qua eſt Regimen Pomeraniæ. Caminum, urbs quondam Epiſ. Dana. Damma. Golnovium. Kolbazia.

II. In

II. In Comitatu Caſſubiæ ſunt Colberga Præfectura quond. Belgardia. Coslinum. Bervvoldia. Caſimiriburgum. Corlinum, cujus pars eſt Suecica. Coslinum olim Sedes Epiſ. Dabera. Greiffenberga. Nova Treptovia. Stetinum novum. Pinza. Polzinum. Quarkenburgum. Stramelia.

III. In Ducatu Venedorum ſunt Rugenvvaldia. Cranga.

IV. In Dynaſtia Lauenburgica ſunt Lauenburgum. Polnovium. Rumelsburgum. Smolſinum. Stolpa.

V. In Dynaſtia Butovienſi Butovium. *Nomina harum urbium Germanica ſunt Latinis ferè ſimilia.*

§ II.

DE TRANSLATIONE DUCATUS POMERANIÆ AD REGES SUECIÆ ET BORUSSIÆ.

DUx quondam Pomerianæ Bogislaus ſeu Bugislaus exemplo Majorum ſuorum cum Electore Brandeburgico fœdus iniît ea lege, ut ſi alteruter temporis ſucceſſu hærede deſtitueretur, jure ſuccederent alteriusutrius filij. Igitur cùm priori Seculo Bugislaus abſque prole decederet, & eadem ætate Suecorum ac Brandeburgicorum exercitus Pomeraniam latè occupâſſet, ea methodo inter ſeſe convênere tandem Suecorum Rex & Elector Brandeburgicus, ut huic Ulterior, illi Citerior Pomerania deinceps cederetur. Tranſactionem hanc confirmavit pax Monaſterij anno 1648. & dein Noviomagi inita. Polonorum equidem & Danorum Reges non ita pridem Pomeraniæ partem occupârunt; verùm tam hic, quàm ille jure tandem ſuo ceſſerunt.

§. III.

DE EPISCOPATU CAMINENSI IN POMERANIA.

PRæterlapſis Seculis inter Jmperij Status Eccleſiaſticos, & quidem in Circulo Saxoniæ Superioris numerabatur Epiſcopus Caminus, ſeu Caminenſis tantæ propemodum authoritatis quondam, quantæ nunc eſt Epiſcopus Bambergenſis. Verùm Epiſcopis Camini ultmis Luthero nimiùm indulgentibus, Epiſcopatus Caminus totus

aras

aras novas eſt ſecutus; unde ab eodem tempore Epiſcoporum Catholicorum Sedem involârunt Lutherani qualeſcunque Epiſcopi. Tandem in Principatum, aut Ducatum ſecularem pace Oſnabrugæ ſtabilita converſus, ſacramentum dixit Electori Brandeburgico, cui etiam hodie totus ſubditur.

Cæterùm notandum eſt hoc loco, Status in Circulo Saxoniæ Superioris potiùs Topographiæ, quàm alterius rei ordine, confuſionis vitandæ causâ, fuiſſe hactenus collocatos: unde Scriptores alij obſervârunt hunc Ordinem.

I. Ducatus Saxoniæ Electoralis.
II. Marchionatus Miſniæ.
III. Landgraviatus Thuringiæ.
IV. Principatus Coburgenſis.
V. Epiſcopatus quondam Miſniæ, Merſeburgicus & Naumburgenſis, nunc quaſi Principatus.
VI. Principatus Anhaltinus.
VII. Principatus Leucopetrinus, vulgò Weiſſenfelſianus.
VIII. Principatus Querfurtenſis.
IX. Vitlandia.
X. Abbatiæ quondam Principes Quedlinburgenſis, Gernrodenſis.
XI. Comitatus Schvvarzenburgicus, Barbeyenſis, Mansfeldianus, de Reuſſen, Gleichen, Beichlingen, Hoheſtein, Werningeroda, Stollberg & Schonnberg.
XII. Marcionatus Brandeburgicus.
XIII. Ducatus Citerioris & Ulterioris Pomeraniæ.
XIV. Epiſcopatus quondam Caminus. Quamvis hic ordo minimè videatur à noſtro multùm diverſus. Vid. *auth. citt.*

CIRCULUS V. FRANCONICUS.

TABULA TOPOGRAPHICA UNIVERSÆ FRANCONIÆ.

§. I.

FRancia Orientalis, dicta vulgò Franconia, longitudine ſua circiter 34. latitudine 32. milliaria Germanica complectens, verſus Septentrionem jungitur Comitatibus principibus Haſſiæ & Thuringiæ; verſus Orientem Marchionatui Miſniæ, Superiori Palatinatui & Bavariæ; verſus Meridiem Sueviæ; verſus Occidentem Comitatui Hanoviæ, Statui Naſſoviæ, Palatinatui Inferiori, & Landgraviatui Haſſo-Darmſtadienſi.

In Francia Orientali ſunt fluvij præ reliquis nobiliores, Egra, Nabus, Salus, Mœnus. Sunt in eadem urbes non paucæ antiquiſſimæ ac celeberrimæ, de quibus ſuo loco. Ipſa Francia Orientalis ferè tota planitie amæna ſpectabilis, frumentum & vinum gignit copioſiſſimum; non deſunt etiam fluviis piſces, & ſylvis feræ; naturam fertilem adjuvant operæ, artifices & mercatores multi, quibus Mænus, Rhenus & Iſter maximè ſerviunt ad vehendas quaquaverſum merces: unde proventus tam Eccleſiaſticis quàm Secularibus ſolvendi Statibus, aliquot aureorum milliones facillimè ſuperant. Antequam de utriſque Statibus ſeorſim agimus, de Francis univerſis pauca præmittimus.

§. II.

DE FRANCIS MAXIME ORIENTALIBUS.

SI quorumpiam Hiſtoricorum de rebus Francorum antiquiſſimis ſententiam dicentium libris tribuatur fides, dicendum eſt ex eorun-

eorundem mente, Fràncos inter nationes Germanicas fuiſſe primam, aut cerè non poſtremam. Antiquiſſima & incertiſſima ſilentio juvat præterire, juſtis opinionibus ſuus tribuatur locus. Suos Francis fuiſſe jam Reges ante & poſt Chriſtum natum Seculis, non abs re ſcribitur; quantus enim fuerit honos Germanos inter ſuis Regibus, teſtatur *Tacitus*, non ultimo inter eos loco numerans Sicambros, Friſios, Salicos, quos omnes hodie Francones dicimus, veteres verò Francos. Nomen hoc nominibus illis eſt recentius, à populis his fortiſſimis impetratum armis. Romani glorioſo huic nomini anſam dedêre; cùm enim ſub jugum mitterent etiam in Europa Provincias pleraſque, Romanis copiis conſtantiſſimè reſtiterunt Sicambri, parati omnia priùs, quàm libertatem patriam amittere: unde *Franci*, hoc eſt *Liberi* vocati, identidem ampliores percepêre fructus libertatis ſuæ. Ad mare Nigrum coluiſſe primò terram perhibentur; inde verò limites patrios egreſſi, dum Suevi atque Thuringi armis certârunt de regione illa, quam nunc Franconiam dicimus, inter duos litigantes gaviſus tertius, nimirum inter Suevos & Thuringos Francus, medium occupavit locum. Annus agebatur ab hominum Redemptione circiter 326. cùm Genebaldus Francorum Rex initium dedit habitationi noviſſimæ; auctis deinde viribus & animis ultra Rhenum progreſſus cum exercitu Pharamundus Rex, in Gallia non uno duntaxat prælio ſuperavit Romanorum reliquias, inter victoriæ ſpolia numerans novas Provincias: hinc inter ſeſe diviſi Franci, Franciam alteram Orientalem, alteram Occidentalem dixêre. Eodem adhuc tempore per univerſam Galliam populi diverſis quatuor Regibus parebant; pars nimirum Aetio Romanorum & Gallorum plurimorum Duci ſupremo; pars altera Theodorico Gothorum; pars alia Gotharo Burgundorum; pars reliqua denique Merovæo Francorum ſubjecta erat Regibus, qui omnes conjunctis viribus Attilam Hunnorum Regem anno 451. in campis Catalaunicis ita profligârunt, ut 180000. hoſtium in acie ceciderint. Pulſo Attila necdum ſecura concedebatur poſſeſſio Francis in Gallia; Suevorum enim aut Duces aut Reges Francorum æmuli maximi, Rhenum tranſgreſſi cum copiis ad pugnas provocârnnt novas co-

lonias: comparuit igitur in arena Clodovæus; qui dum periclitari cœpit de victoria maxima, in vota didicit vocare Superos, dicto ſimul ſacramento, quo Romana Sacra ſe amplexurum eſſe promiſit, ſi cœlum victoriam non negâſſet. Sic voviſſe erat viciſſe hoſtes: triumphi pars jucundiſſima fuit Regis & trecentorum Nobilium baptiſmus Rhemis an. 499. ſpectatus. Cæterùm exactis è Gallia quibusvis hoſtibus Clodovæus inter ſuos ſuum ita inſtruxit Regnum, ut quatuor filiis totidem Regni partes, quas Regna dicebant nova, obtingerent; Childebertus enim Franciæ Occidentalis Regnum, Clotarius Regnum Sueſſionenſe, Clodomirus Regnum Aureliæ, Theodoricus denique Regnum Auſtraſiæ ſuum dixit patrimonium, cujus pars ampla tunc erat Francia Orientalis: quippe circa annum 740. Hettano Francorum Orientalium Rege aut Duce ſine liberis mortuo, Orientalis Francia jure hæreditatis ad Reges Galliæ translata eſt. Eodem tempore regnavit Childericus III. in Gallia Rex, aut veriùs umbra Regis, cujus, ut vocabant, Major Domûs Pipinus, D. Burkardo Herbipolis Epiſcopo Franconiæ Ducatum maxima ex parte concedendum exiſtimavit, conceſſo pariter, ùt minimè vana eſt fides, jam tum *Ducis* titulo. *Vide Authores etiam Acatholicos.*

§. III.
DE EPISCOPATU BAMBERGENSI,

CIrculus Franconicus more aliorum in Jmperio Circulorum dividitur in Status Eccleſiaſticos & Seculares; Statuum Eccleſiaſticorum omnium primus eſt Epiſcopus Bambergenſis, nulli Archiepiſcoporum ſubditus; ſub cujus ditione urbes ſunt

Bamberga. Liechtenfelſa. Forchemium. Cronachium. Bottenſteinium. Hochſtadium. Weiſſenfelſa. Weiſſmaynium. Auracum Franconiæ. Furthum.

Paucis multa accipe: Epiſcopus Bambergenſis in ſola Franconia numerat Præfecturas 56. in Carinthia verò 15. Epiſcopatus Bambergenſis 16. (*Pockius* habet 20.) milliaribus Germanicis longus, decem verò in medio latus, à Septentrione jungitur Ducatui Coburgenſi & Marchionatui Miſniæ; ab Oriente Marchionatui Culembacenſi & territo-

ritorio Norimbergenſi; à Meridie Marchionatui Onolspacenſi; ab Occidente demum Epiſcopatui Herbipolenſi. Vide *plura inferiùs de Epiſcopis Franconiæ univerſis.*

§. IV.

DE EPISCOPATU ET DUCATU HERBIPOLENSI.

STatuum Eccleſiaſticorum in Circulo Franconiæ alter eſt Epiſcopus ſimul & Dux Herbipolenſis, cujus Epiſcopatus ſeu Ducatus eſt admodum longus & latus; longitudine enim ſua & latitudine æquat circiter 16. milliaria Germanica, hoc ſolùm addito, quòd Comitatibus quibusdam tam in longitudine, quàm latitudine intercipiatur, quò minùs in circulum poſſit convenire; à Septentrione enim in angulum cogitur à Comitatu Hanovienſi & Hennebergico, nec non Ducatu Coburgenſi; ab Oriente præterquam quòd jungatur Epiſcopatui Bambergenſi, ferè in medio ſui continet Baronatum Senshemienſem, Comitatus Limpurgenſem, Schvvarzenbergicum & Caſtellenſem. A Meridie contingit Marchionatum Onolſpacenſem, Comitatum Hohenloicum, Ditionem Equitum Teutonicorum; ab Occidente demum potiſſimùm Archiepiſcopatum Moguntinum. Urbes & oppida in Epiſcopatu ſimul & Ducatu Herbipolenſi ſunt

Herbipolis. Caroloſtadium. Gemundia. Ochſenfurtum. Hasfurtum. Regis Curia. Neoſtadium. Kitſinga. Hamelburgum. Mainburgum. Schvvarzachium. Arnſteinium. Haidigsfeldium. Lauda. Aula Regia. Grunsfeldia. Rietlinga. Schliſſelfelda. Dettelbachium. Geroldshovium. Reigelsberga.

Omitto urbes minores, oppida & pagos profectò multos, qui Epiſcopo Herbipolenſi tantos fructus in annos ſingulos pariunt, ut unum aureorum millionem fortè poſſit colligere, ſi tamen tempeſtas faveat, ſimúlque Mars, mors, & inimici ſubinde domeſtici non impediant. Vide *plura inferiùs. Münchſmayr* proventuum ſummam ait eſſe parem 500000. floren. At *Pockius* longè eſt diverſus.

§. V.

DE EPISCOPATU EUSTADIANO.

STatuum Eccleſiaſticorum tertius eſt Epiſcopus Euſtadianus, ſub cujus poteſtate tametſi urbes perpaucæ numerentur, tamen ejusdem Epiſcopatus inter totius Germaniæ Epiſcopatus celeberrimos eſt numeratus, maximè ab iis æmulis, qui ſæpenumero ardentiſſimè eundem deſiderârunt. Longitudo ejusdem eſt ferè 16. milliarium Germanicorum; latitudo eſt diverſa, nullo tamen in loco major ſex milliaribus. A Septentrione ſupra ſe habet Comitatum Onolspacenſem; ab Oriente adjacet Palatinatui Neoburgico & Bavariæ; à Meridie Comitatui Pappenhemienſi; ab Occidente Comitatui Oettingenſi. Urbes hoc in Epiſcopatu ſunt ſequentes:

Euſtadium. Berchinga. Berengrieſſa. Herrieda. Dolenſteinium. Kuntinga. Duntinga. Neuslinga. Gutſenhuſium. Ornbavium, Ornbocum &c &c.

Omittuntur oppida complura, quæ unà cum urbibus & ditionibus aliis Epiſcopo ſuo reditus ampliſſimos in annos ferunt ſingulos adeò, ut hodie ipſimet ſubditi Euſtadiani numerent ultra ducenta florenorum millia. *Plura de hoc Epiſcopatu vide paulò pòſt.*

§. VI.

DE TRIBUS EPISCOPATIBUS FRANCONIÆ.

TRes columnæ Franconicæ Eccleſiæ jure merito dici jam pridem potuêre tres Epiſcopatus Franconici, cùm inſtar trium firmiſſimarum columnarum ſteterint inter varios turbines & procellas, præſertim verò dum imperabant Carolus V. & Ferdinandus II. Jmperatores ex aſſe Romano-Catholici, quorum idcirco ſe hoſtes acerrimos profeſſi ſunt Suecorum Rex Guſtavus & Electores Saxoniæ cum Viris Principibus non paucis tum intra tum extra Romanum Jmperium. Bambergenſium eodem tempore Epiſcopi erant Wigandus, Joannes Georgius & Franciſcus, qui ærumnis afflicti plurimis ſtare & pugnare fortiter perſeverabant; Wigandus enim an. 1525. à ſeditioſis agreſtium turmis obſidione circumcinctus, quantus ſit non rarò

in

in ſeditioſa plebe furor & rabies adversùs quaſvis rationes pertinax, ſanè multis modis expertus eſt.

An. dein 1552. ab Alberto Marchione Brandeburgico varias in anguſtias redactus vim hoſtilem pertulit damno Eccleſiæ ſuæ incomparabili.

An. 1632. Joannes Georgius à Suecis expugnatus, Franciſcus verò an. 1641. Duce Weinmario ab ejusdem nationis hoſtibus, ſpecioſum nomen *liberæ Religionis* præſeferentibus, eſt obſeſſus & occupatus, uterque furores Leonis Suecici graviſſimos accuſans jure optimo. Prioribus Seculis Epiſcoporum nonnulli à ſuiſmet civibus nunc provocati litibus qraviſſimis, nunc è ſua ſede omnino ejecti, inde patientiæ fructus collegerunt. Ærumnas plures perpeſſa eſt Epiſcoporum Herbipolenſium Series; ut enim permultos ſilentio præteream, Rudolpus Epiſcopus jam anno 903. ab Alberto Comite Bambergenſi Herbipoli ejectus eſt, occiſis priùs duobus Epiſcopi fratribus. Seculo Jmperatoris Henrici IV. Adelbertus, Meginandus II. & Rupertus, nunc è throno ſuo pulſi, nunc eidem reſtituti, pertinaciam Henrici dolebant, Romano Pontifici conſtanter obedientiſſimi. Erlangus Henricum V. Jmp. ſenſit hoſtem infenſiſſimum, qui nimirum Epiſcopis Herbipolitanis Ducis inſigne nomen invidebat maximopere, quòd Erlangus Colonienſis Electoris potiùs, quàm Cæſaris ſequeretur partes. Diverſi omnino à ſententia Henrici V. Jmperatores Lotharius II. & Fridericus I. Ducis titulum plurimis modis impugnatum in gratiam Epiſcopi Herbipolenſis confirmârunt. An. 1203. Conradus I. à duobus conjuratis, iiſque natis in Franconia nobilibus eſt trucidatus, quòd eos criminum reos acriùs corripuiſſet. Eodem ſeculo Hermannus à civibus ſuis captus, & trahæ impoſitus duriſſimis modis eſt habitus. Duravit eadem ſeditio annis non paucis, donec denique Rudolpus Jmperator ſententiâ ſuâ civile bellum ad modicum tempus terminavit: nam annis aliquot elapſis Otto, Albertus & Gebhardus Epiſcopi denuo violentas civium molitiones ſuſtinuerunt, quibus denique armata & expedita manu occurrit Joannes ab Egloffſtein Epiſcopi, ùt vocamus, Coadjutor, & tanta ſtrage proſtravit, ut Herbipolenſium indigenarum 1300. fuerint

rint cœſi, eorundem duobus captis millibus. Atque hæc jam ſupra decimam ſeditio ſeptima fuit cauſa extremæ paupertatis adeò, ut juventus literata ferè omnis Herbipoli Erfordiam transfugerit inteſtinis coacta malis. Cæterùm Epiſcopatui huic initium circa annum 740. fecerunt DD. Bonifacius & Burchardus, uterque natione Anglus, uterque Pipino Caroli M. genitori potentiſſimo peracceptus; cum quo proinde res momenti maximi aggreſſus, D. Pontifici Zachariæ & Succeſſoribus perſuaſit, ut Burchardum primum Herbipoli Epiſcopum, & ùt multorum fides eſt, ſimul Ducem conſtituerit: qua de cauſa jam tum temporis in ore hominum locum obtinuiſſe non pauci aſſerunt parœmiam hanc: *Herbipolis ſola judicat enſe, ſtola.* Hæc de Epiſcopatu Herbipolenſi. De origine Epiſcopatus Bambergenſis hæc accipe. Baba Henrici Aucupis Jmperatoris ſoror nupſit Franconiæ Comiti cuipiam Henrico, quocum ædificare cœpit urbem ſuo de nomine Babenbergam, ſeu Bambergam denique appellatam. Baba hæc enixa eſt filium Albertum, Comitem Bambergenſem dictum, qui tametſi juvenis admodum, cùm Rudolphum Herbipolenſium Epiſcopum ſibi perinfenſum an. 903. è ſede Epiſcopali armis expuliſſet, nec non duos Epiſcopi fratres Eberhardum & Conradũ Franconiæ Comites in præliis occidiſſet, horum ſanguinis cognatione ſibi junctorum Comitum ulturus mortem Ludovicus IV. Jmperator, adjutore Hattone Archiepiſcopo Moguntino uſus an. 905. captum ac vix non apertè proditum in caſtris Cæſareis plecti capite juſſit. Eadem occaſione Comitatus Bambergenſis Jmperij fiſco adjudicatus, per integri fermè ſeculi ſpatium paruit Romanis Jmperatoribus, è quibus D. Henricus II. probè memor Comitum Bambergenſium tam triſti fato extinctorum, ut horum memoriam poſteris commendaret, & Divini Numinis gloriam perinde promoveret, Epiſcopatum Bambergæ erigere unà cum Cunigunde Auguſta Conjuge ſtatuit, invitis equidem Herbipolitanis maximè Epiſcopis, Pontifici tamen & Cæſari contradicere apertè non auſis; cùm eosdem non lateret, Romanum Pontificem Cæſaris pio deſiderio conſentire primò & ſecundò vix voluiſſe ob duo præſertim rerum capita, quòd nimirum Epiſcopus novus inter duos medius Franconiam turbaret

potiùs

potiùs, quàm recrearet, futurus obex Epiſcopo Herbipolitano & Euſtadiano, Caput alterum Pontifici inſolitum videbatur; quòd Henricus Cæſar Bambergæ Epiſcopos optaret nullius Archipræſulis poteſtati ſubjici.

Taceo difficultates his minores, quibus unà cum majoribus in favorem Cæſaris penitus ſublatis Benedictus VII. dictus VIII. an. 1019. ea ratione Bambergæ Epiſcopos admiſit ac confirmavit, ut iidem non minùs, quàm Archiepiſcopi pallio Romano ornarentur, & ordine omnibus in Germania Epiſcopis præcellerent. Gratitudinis & ſubjectionis demiſſiſſimæ igitur causâ Epiſcopus Bambergenſis in annos ſingulos Romano Pontifici præter albicantem equum promiſit mittere quampiam pecuniæ ſummam: Henricus verò Jmperator hujus nominis III. ut Diœceſin Bambergenſem hoc onere levaret, Beneventum ceſſit Romano Pontifici. Tandem ut Diœceſis hæc nova inconcuſſa ſtaret, Henricus Jmperator conſervatores ejusdem conſtituit quatuor Jmperij Electores, ſcilicet Bohemiæ Regem, Duces Palatinum, Saxonem & Brandeburgicum, quorum loco quatuor hæc officia, ùt vocant hæreditaria, obire ſolent Electoribus minores in Jmperio Status. Cæterùm ſingulare Diœceſis hujus privilegium tum à poteſtate Pontificia, tum Cæſarea conceſſum vocare cœperunt Majores noſtri *Sericum S. Cunegundis filum*; unde in proverbium abiît, quo dicere ſolemus, *Sericum Bambergæ filum fortius eſt quovis munimento.* Ornamentum Bambergæ ultimum & maximum addidêre conjuges Auguſtiſſimi ambo ibidem ſepulti, & in Divorum numerum relati, rariſſimo in tota etiam Romana Eccleſia, & Romano Jmperio ſanè exemplo.

Epiſcopatui Euſtadiano fundum dedit ampliſſimum Svviggerus Comes Hirsbergenſis bonorum ſuorum hæredem ſcribens Eccleſiam Euſtadianam, cui Epiſcoporum omnium primum D. Wilibaldum præfecit Gregorius III. Romanus Pontifex, adjutore maximo D. Bonifacio, cujus ex ſorore regia nepos erat Wilibaldus. Secuti ſunt Antiſtitem hunc Sanctiſſimum Epiſcopi ad noſtrum uſque Seculum ſexaginta tres generis ſplendore, doctrina & morum ſanctitate maximè conſpicui plerique: inter eosdem eminuit Gebhardus

hardus I. natus in Suevia Comes de Kalvv, quem an. 1054. Electores Pontificij in Supremum univerſæ Eccleſiæ Præſulem elegerunt Victorem II. dictum. Fuerunt ex eodem Epiſcoporum numero non pauci alij, qui ob præſtantiſſimas virtutes & prorſus inſignia merita à Pontificibus Romanis, Jmperatoribus, univerſa propemodum Eccleſia & Jmperio ſunt æſtimati maximi. Epiſcopos antiquiores brevitatis causâ omitto, nobis notiores non omittendos cenſeo.

Joannes III. Jmperatori Alberto II. & mox Friderico III. nec non hujus fratri Auſtriæ Archiduci Alberto doctrinam, prudentiam & dotes aulis dignas reddidit pergratas; unde Orator Cæſareus ad Concilium Baſileenſe miſſus, præclarè functus eſt ſuo munere. Curiæ Romanæ probabantur adeò geſta Joannis III. ut Pius II. Pontifex rerum Germanicarum optimè gnarus, audito de Joannis Epiſcopi obitu nuntio, palàm hanc dixerit ſententiam: *Germana Eccleſia amiſit columnam auream.* Joannis III. Succeſſor Wilhelmus de Reichenau à Friderico III. Jmperatore Neoſtadij in Auſtria inſignibus Virorum in Jmperio Principum propriis, exornatus, amorem Cæſaris ſingulari prudentia adeò conciliavit ſibi, ut ab Aula Viennenſi ad Mathiam Hungariæ Regem Friderici Cæſaris hoſtem præpotentem fuerit miſſus, & Jmperatoris dein vices in Jmperij Comitiis multifariam in ſe ſuſceperit: Maximilianus enim I. Friderici filius Auguſtus, genitoris ſui veſtigiis hac etiam in parte inſiſtens, Wilhelmi de rebus maximi momenti conſilia requiſivit, & hunc ad Carolum Galliæ Regem ablegavit, pene parentis loco veneratus hunc Epiſcopum, quem multi alij laudatores non vani hìs verbis ſalutare & prædicare ſolebant: *Eſt tibi Solonis mens, quin etiam os Salomonis.* Exempla Epiſcoporum Euſtadienſium clariſſima paribus exemplis illuſtrare perrexerunt Epiſcopus Gabriel ex Jlluſtriſſima Dominorum de Eyb Familia, Chriſtophorus Comes Pappenhemius, Mauritius Huttenius, Martinus I. de Schaumberg, Joannes Conradus à Gemmingen, Joannes Chriſtophorus à Weſterſtetten, Marquardus II. Comes de Caſtell, & hujus nepos Dignitate hac Epiſcopali digniſſimus Joannes Eucharius; Joannes Martinus, Joannes Antonius, & denique Epiſcopus ac Princeps Noſter Celſiſſimus Franciſcus ex Familia Jlluſtriſſima

Schenk

Schenck nuper ſummo ſubditorum ſolatio promulgatus, aliíque Epiſcopi per Germaniam, Jtaliam aliáque Regna maximè celebrati, quorum nomen ac ſtemma Jlluſtriſſimum, vigilantia prorſus ſingularis, converſorum ad Romanas Aras multitudo, variorum novatorum cauta proſcriptio, juſtiſſima punitorum ſcelerum moderatio, Rei Eccleſiaſticæ & Domeſticæ cura peculiaris, debitorum neceſſitate contractorum expunctio, bonorum quorumvis augmentum &c &c, in vulgus etiam eſt notiſſimum & celebratiſſimũ. Id etiam ſingulare eſt encomium Epiſcoporum Euſtadienſium, quòd Diœceſin ſuam pene in perpetua pace florentem conſervârint, dum tamen Epiſcopis in Franconia vicinis cum hoſtibus maximè domeſticis certandum fuit. *Wilibald. in vit. Bonifacij. Annales Francorum. Zeileri Top. & Compendium breve an. 1716. editum Herbipoli.*

§. VII.

STatuum Eccleſiaſticorum quartus in Circulo Franconico eſt Equitum Teutonicorum Magiſter Jmperi Princeps, cujus ſedes cœpit eſſe Mergenthemium ad Tubarim unà cum ditionibus alijs eò pertinentibus ſitum, poſtquam Equites Teutonici ex Boruſſia egredi coacti, Mergenthemium confugerunt. In Franconia Equites Teutonici numerant ſequentes etiam ditiones, nimirum

Dalavium. Henchelhemium. Hilſpachium. Huttenhemium. Keyenbachium. Neohuſium. Vaingam. Waingartum. Hornekium. Kirchhuſium. Ulmam ad Nikarum. Stocksbergum. Weinhemium &c.

Ditiones alias poſſident Equites hi ad Rhenum, in Auſtria, Tyroli, Haſſia, Thuringia, Weſtphalia, Saxonia &c &c.

Ordinis hujus ſacratiſſimi, nobiliſſimi ac celeberrimi author fuit & Magiſter ſupremus eſſe cœpit an. 1190. Henricus Walpot de Paſſenheim, cujus Perilluſtris & Perantiquæ Familiæ ditiones ad Rhenum & Moſellam ſunt ſitæ. Eques hic Germanus in ſacris expeditionibus de Romana Eccleſia & Jmperio optimè meritus, à Cæleſtino III. Ordinem ſuum laudari, confirmari & ſummopere promoveri intellexit. Membra Ordinis ſunt dicti Equites Mariani,

quòd diebus ſingulis laudum Marianarum certum numerum, veluti penſum domeſticum promitterent ſe perſoluturos. Teutonicorum nomen ſibi exoptârunt, quòd ex natione extera neminem, etſi nobiliſſimum, admittendum exiſtimarent. Hieroſolymis primo ſedem fixerunt: verùm ex ſancta civitate expulſi an. 1220. in Germaniam venerunt, & Boruſſiæ partem occupârunt, ejusdem denique Provinciis ferè omnibus gladiô ſibi vendicatis. Oppoſuit elapſis ſeculis ſe viribus maximis Polonorum Rex Jagello, ſed ſuo & Equitum Teutonicorum damno irreparabili: Seculo enim priori Boruſſia non tantùm Teutonico Ordini, ſed & Polonorum Regi penitus erepta eſt ab Electore Brandeburgico, dum pugnare cœperunt contra parentes & avos nepotes inter ſacrum & ſaxum poſiti Poloni.

§. VIII. DE MARCHIONATU CULEMBACENSI SEU BYRUTHANO.

STatuum Secularium in Circulo Franconico primus eſt Marchio Culembacenſis, ſeu Byruthanus, cui proin incumbit Satus in hoc Circulo univerſos gubernare ita tamen, ut cum Principe Onoldino gaudeat alterno regimine.

Marchionatus Culembacenſis ſeu Byruthanus longus eſt milliaribus Germanicis ferè quatuordecim; latus pleriſque in locis ſuis octo; à Septentrione contingit Voitlandiam; ab Oriente eandem & Palatinatum Superiorem; à Meridie Territorium Norimbergenſe; ab Occidente Epiſcopataum Bambergenſem. Urbes in Marchionatu ſunt

Culembacum. Byruthum. Curia. Wonſilda, aliis Wonſidelia. Ravenculmium. Neokirchium. Eſchenbachium. Erlanga. Weiſſenſtadium &c &c.

§. IX. DE MARCHIONATU ONOLSBACENSI, SEU ONOLDINO.

STatuum Secularium In Circulo Franconico ſecundus eſt Marchio Onoldinus, vulgò Anſpachenſis, cujus Marchionatus quindecim

ẽim circiter milliaribus longus, quinque aut quatuor latus, inter Epiſcopatus Bambergenſem & Euſtadianum medius hunc à Meridie, illum à Septentrione conjunctum habet ſibi; Ab Oriente Territorium Norimbergenſe & Palatinatum Superiorem reſpicit; ab Occidente cingitur Epiſcopatu Herbipolitano & Comitatibus variis. Urbes in eodem ſunt

Onoldinum. Schvvabacum. Windelſteinium. Günzenhuſium. Winzhemium. Leitershuſium. Uffenhemium &c &c.

Tam Marchio Culembacenſis, quàm Onolsbacenſis ex ſtemmate Hohenzollerano oriundus, Seculo XVI. utrumque Marchionatum ab alijs Brandeburgicorum Electorum ditionibus ſeparatum ſecurè cœpit poſſidere; Joannes enim Georgius Elector Brandeburgicus multorum omnino liberorum, ſcilicet undecim filiorum, & duodecim filiarum genitor, duos filios Chriſtianum Byruthanum, Joachimum verò Erneſtum Onolsbacenſem dixit Marchiones: unde in duas diverſas denuo Lineas diviſi Marchiones Hohenzollerani utrumque retinent Marchionatum, quem in principio hæreditatis difficilem reddidit utrique fratri Joachimus Elector Brandeburgicus: litem denique terminavit finis Seculi XVI. Seculis prioribus Marchionatus uterque Comitibus Hohenzolleranis tanquam ſupremis Norimbergæ Præfectis tributa ſolvit; Conradus enim ex ſtemmate Hohenzollerano primus circa annum 1200. creatus Norimbergæ Præfectus unà cum Succeſſoribus pariterque ſuis hæredibus ſupra & infra Norimbergam ita ditiones ſuas augebat, ut denique in Marchionatum duplicem excreverint, qualem hodie â Marchione gemino poſſideri intuemur.

§. X.
DE DUCATU COBURGENSI.

Ducatus Coburgenſis in Franconia ſitus, & hoc loco inter Imperij Status collocatus, non niſi quatuor milliaribus Germanicis longus, nec totidem latus, inter Comitatum Hennebergicum, item Epiſcopatus Bambergenſem & Herbipolenſem medius, urbes continet.

Coburgum. Eiſfeldiam. Hilpertshuſium. Heldburgum. Thierſteinium. Romhildam &c.

Du-

Ducatus hic quondam ditiones inter Comitis Hennebergici numeratus an. 1347. nuptiarum cauſâ ad Saxoniæ Duces translatus, Lineæ Altenburgicæ in diviſione bonorum cedebatur: at anno 1672. hac emortua Erneſtus Saxo-Gothicus eundem jure hæreditatis impetravit. Verùm etiam Erneſtus abſque hæredibus defunctus, diuturnis litibus viam aperuit. Nos interea inter membra Circuli Franconici hoc loco computabimus.

§. XI.

DE PRINCIPATU HENNEBERGICO.

STatuum Secularium in Circulo Franconico aut tertius, aut quartus fuit Comes Hennebergicus an. 1583. abſque hærede mortuus. Jmperij nunc Principatus dicitur terræ compendium illud, quod à Septentrione annectitur Turingiæ; ab Oriente Ducatui Coburgenſi; à Meridie Epiſcopatui Herbipolitano; ab Occidente Abbatiæ Fuldenſi; longitudine ſua complectitur milliaria Germanica octo circiter, ſex verò latitudine. Principatus hic hodie in tres aut plures dividitur partes, quarum primam poſſidet Dux Saxogothicus; in eadem ſunt urbes & oppida &c.

Mainunga. Masfeldia. Waſunga. Salzunga. Sanda.

Partem alteram occupat Dux Saxo-Citicus, in qua ſunt Schleuſſinga. Sula. Jlmenavia. Northemium frigidum *Urbs Eiſenach.*

Partem tertiam ſuam dicit Landgravius, ùt vocamus, Haſſo-Caſſelius in qua eſt Schmalcaldia.

§. XII.

DE PRINCIPE SCHWARZENBERGICO.

INter Status Seculares Circuli Franconici quintus eſt Jmperij Princeps Schvvarzenbergicus, cujus ditiones per Romanum Jmperium ſunt admodum diſperſæ.

In Franconia ſitus ferme in medio inter Epiſcopatus Bambergenſem & Herbipolitanum Comitatus Schvvarzenbergicus, & Dominatus Senshemienſis nec ſunt multùm longi, nec lati. Cæterùm ditiones ejuſdem pleræque ſequuntur hoc ordine:

In

In Suevia Landgraviatus, utì dicimus, Klettgovienſis & Comitatus Sulzenſis:

In Styria ditio Muravienſis.

In Bohemia ditiones Wittingavienſis, Frauenbergenſis, Seehauſenſis, Gnozhemienſis & Weſterdorffenſis.

In Weſtphalia ditio Gimhornenſis &c.

Schvvarzenbergici, ſeu Senshemiani Equites celeberrimi jam anno 1420. inter Liberos Jmperij Barones meritò ſunt ſcripti, quo nimirum tempore Erckingerus Sigiſmundi Jmperatoris affinis proximus nomen per univerſum Jmperium celebre obtinuit. Dein Adolphus ab Jmperatore Rudolpho II. Comitibus Jmperij annumeratus poſt ſe reliquit Adolphum alterum anno 1672. Jmperij Principibus à Leopoldo Cæſare ob facinora domi foríſque maxima accenſitum. De Adolpho hoc dicere ſolebant rerum periti: *Adolphus Cato in foro, Cicero in roſtris, Fabius in armis, patriæ providus, prodigus ſui.* In Hungaria præſertim nomen Schvvarzenbergicum ſub Cæſare Rudolpho II. inclaruit, ubi Adolphus prior Jaurinum Mahometanis copiis eripuit, & Viennam ſupremus in re militari Præfectus ſtrenuiſſimè defendere cœpit, digniſſimus nomine Comitis & Ducis. Fuerunt eodem & prioribus Seculis Schvvarzenbergici Equites per Bavariam, Bohemiam, Electoratum Brandeburgicum, Boruſſiam, Bergium, Lotharingiam, Alſatiam & Franciam celebrati; unde etiam hodie Principem ſuum Schvvarzenbergicum jure honorat maximopere Aula Viennenſis. Vid. *Lexicon Lippſ. Münchſmayr &c.*

§. XIII.
DE PRINCIPE LOEWENSTEINIANO.

STatuum Secularium in Circulo Franconico ſextus eſt Comes quondam, nunc Jmperij Princeps de Lœvvenſtein & Wertheim non ita pridem creatus. Originem ducit ex ſtemmate, utì ſuperiùs dictum, Palatino: Lineæ enim huic à reliquis diverſæ initium fecit Fridericus Victorioſus Dux Palatinus Seculo XV. imperante Friderico IV., cujus annutu nuptiæ à Friderico Victorioſo cælibatum in favorem nepotū promittente, ſunt celebratæ, & hujus filij duo inter

Jm-

Jmperij Comites numerati; ut ſimul juramentum nepotibus datum fine ſuo non careret, & Fridericus ſponſam exoptans voti ſui compos fieret. In duas Lineas admodum diverſas abîerunt ſucceſſu temporis Comites Lœvvenſteiniani, nimirum in Rochefortenſem & Virneburgicam, hæc Lutherum ſecuta eſt, illa permanſit in Gremio Romanæ Eccleſiæ.

Ditiones eorundem ſunt ſequentes;

In Franconiæ & Sueviæ finibus ad Nikarum Comitatus Lœvvenſteinius.

Comitatus Werthemienſis.

Comitatus Rochefortenſis quondam, in Ducatu Bullonienſi.

Comitatus Virneburgicus inter Treviros & Coloniam ſitus &c &c.

§. XIV.

DE COMITIBUS CIRCULI FRANCONICI STATIBUS.

I. Poſt Principem Lœvvenſteinium venit in Circulo Franconico Comes de Caſtell, cujus nominis & ſtemmatis notiſſimi & antiquiſſimi vel authores vel promotores jam celebrati ſunt Seculo Chriſti IX. Comitatus Caſtellenſis in duas diviſus partes in finibus Epiſcopatus Herbipolenſis eſt ſitus Orientem & Occidentem verſus, ubi juxta poſitos inveniet Lector Comitatus plures in Franconia, quos dabimus ſequenti ordine.

II. Comes Dernbacenſis, cujus extinctum eſt ſtemma penitus an. 1697. quis interea in Comitatu hoc ſucceſſerit, calamum latet.

III. Comes Erpacenſis, cujus ſtirps, ſi Hiſtorica fides non fallat, eſt perantiqua, nimirum ab Eginhardo Caroli M. genero, aut Cancellario, utí appellant, deſcendens.

IV. Comes de Geyern, cujus originem haud bene peſpectam habent Genalogi; hoc probè conſtat, quòd nomen Joannis de Geyern ſeculo priori albo Comitum Jmperij inſeruerit, & locum in Circulo Franconico eidem conceſſerit Jmperator.

V. Comes de Giech, cujus Majores erant perantiquæ proſapiæ Equites, in tres diverſas Lineas diſtincti, nimirum in Buchavienſem,

ſem, Braunienſem & Kröttendorffenſem. Harum ultima inter vivos eſt ſuperſtes, ex qua Chriſtianus Carolus à Leopoldo Jmperatore inter Romani Jmperij Comites eſt collocatus.

VI. Comites Hohenloici, in quorum poſſeſſione ſunt in finibus Franconiæ & Sueviæ Langenberga. Neoſtadium. Pfedelbachium. Sinderinga. Waltenberga. Ornberga. Statuum Secularium reliqui ſunt

VII. Comites de Limpurg, quorum originem à Franconiæ Principibus deducunt; inter eos numerant Godofredum à Limpurg, qui vixit Seculo Chriſti XII.

VIII. Comes de Noſtiz, cujus originem expreſſam non invenimus. Ditiones ejusdem ſunt in Franconia, Bohemia & Auſtria.

IX. Comites de Nothafft, antiquiſſimæ ſanè proſapiæ Equites, qui Carolo M. gratiſſimi, & laudes & ditiones apud eundem impetrârunt. In numerum Comitum Jmperij à Ferdinando III. Jmp. relati ſunt ob ditiones in Franconia & Palatinatu ſuperiori ſitas.

X. Comes de Schönborn, cujus Majores antiquis Seculis jam floruerunt: eosdem inter numerant Philippum de Schönborn; quem Seculo XII. affinitatis vinculo conjunctum fuiſſe Baronibus de Sickingen affirmant. Quantùm ſtemma Comitum de Schönborn excreverit tum in Romana Eccleſia, tum in Romano Jmperio, latet neminem, ne vulgus quidem; adeò Purpura, Infula, Pileolus, Toga & Sagum convenerunt bene in una Domo Jlluſtriſſima!

Memoratis hactenus Statibus in Comitiis Jmperij ſedem habentibus acceſſerunt urbes

Norimberga. Schvveinfurtum. Rottenburgum. Weiſſenburgum. Weinshemium.

Urbes hæ omnes, cùm in Jmperij Comitiis in Ordine, ſeu Suevico, ùt appellamus, Scamno locum ſibi deſtinatum habeant, hinc earundem redibit mentio, ubi de urbibus Suevici Ordinis univerſis.

Accedunt denique Liberi S. R. J. Equites per Circulum Franconicum in ſex diverſas claſſes diſtincti, quarum prima eſt claſſis

Odenvvaldenſis ; ſecunda Altmühlenſis ; tertia Steigervvaldenſis ; quarta Loco-montana, vulgò Ort-gebürgenſis ; quinta Baunachiana ; ſexta Röhnenſis & Wehrenſis, de quarum prvilegiis ſuperiùs memoratum, ubi de Equitibus S. R. J. dictum eſt. *Præter aliàs citt. videatur etiam L. Baro ab Andlern Lib. I. Tit. Part. IX. de Statu Hominum &c.*

CIRCULUS VI. SUEVICUS.

TABULA TOPOGRAPHICA UNIVERSÆ SUEVIÆ.

§. I.

Sueviæ Circulus ſua longitudine pariter & latitudine comprehendit circiter milliaria Germanica 34. Verſus Septentrionem adjunctam ſibi habet Franciam Orientalem ; verſus Orientem Bavariam ; verſus Meridiem Helvetiam ; verſus Occidentem (ſi Brisgojam annumeres Sueviæ) Alſatiam & Palatinatum Rhenanum. Fluviis majoribus includitur geminis, ſcilicet Rheno & Lyco ; tres alij Sueviam ſecant, nimirum Jſter inter Suevos medius ; Nikarus Sueviæ partes Occidentales, maximè verò Ducatum Wirtenbergicum ; Jlarus partes Orientales permeat.

Suevia ferè univerſa in planitiem & colles modicos potiùs, quàm montes & valles diſtincta, copioſiſſimorum fructuum varietate cum quavis regione per Germaniam de palma certat ; fert enim triticum, ſiliginem, far, hordeum & avenam tantâ copiâ, ut etiam vicinis ſibi Provinciis ubertim poſſit ſuccurrere. Vineas tametſi potior Suevorum pars non colat ; facili tamen labore & moderato pretio ſibi procurant diverſa Bacchi munera adeò, ut plebe infima ſuperior gens plus vini abſumat, quàm fortè abſumitur in ipſis provinciis vini feraci-

racibus. Cives & agreſtis populus recreantur cereviſiâ, ferè nullo pretio comparandâ. Hoc Bacchi munere exhilarati artifices, opifices & agreſtes ſtrenuam impendunt operam rebus omnino variis, quibuscum auxiliares manus conjungunt Mercatores multi in urbibus præſertim majoribus, quarum nomina ob merces & cambium toti Europæ non ſunt obſcura: unde ſi ſoli Cæſari, aut uni duntaxat Duci hodie ſubjiceretur, veluti quondam, univerſa Suevia, par foret ſolvendo in annos ſingulos aliquot aureorum milliones uni ſuo ſupremo Domino. Divitiis tamen uſque adeò non abundant Suevi; pars enim eorundem nobilitate clara divitias multas abſumit immodicis conviviis, & luxu nimio, parùm ſollicita de ſuppellectili & re domeſtica; pars numero longè major multis ſubdita Dominis, ut nihil ſuperflui habeat, perpetuis maceratur bellis, tributis, ſervitutibus &c, quibus exigendis jus & vis varia excogitavit nomina.

§. II.

DE SUEVORUM VETERUM MAXIME DOTIBUS.

CORnelius Tacitus poſtquam Germanorum permultas laudes & vituperia recenſuit, tandem etiam de Suevis cœpit dicere, *à quibus majorem Germaniæ partem obtineri, & propriis nationibus nominibúſque diſcerni* ait *quamvis in commune Suevi vocentur.* Idem author inter vetuſtiſſimos juxta ac nobiliſſimos Germanos numerat Suevos; qua de cauſa eorundem uberiorem facit mentionem. Nomen hauſiſſe dicuntur à Suevo Rege Suevorum, qui annis 1600 ante Chriſti incunabula jam regnâſſe dicitur, ſi tamen fas ſit credere. Novimus vocatos eſſe altero nomine eóque longè recentiori Alemannos, eò quòd ſuum ad exercitum nullum admiſerint, niſi virum fortitudine præſtantem.

Communis fert opinio Veterum & Recentiorum, quondam Suevis univerſum illud terræ ſpatium fuiſſe occupatum, ubi nunc eſt Holſteinia, Tractus Mechlenburgicus, Pomerania, Marchia, ùt appellant, Miſnia, Bohemia, Sileſia & pars Poloniæ; his in terris ſucceſſu temporis, tametſi polygamiæ fræna more aliarum gentium non laxarent, maximè tamen multiplicati, & perpetuis ferè

bellis aſſueti, dum Regna & Regiones varias peragrârunt, ſecum omnia ſua portantes, partim neceſſitate coacti, partim locorm amænitate allecti, novas colonias adornârunt, aut potiùs poſſeſſiones veteres deſeruerunt, ne quidem Suevorum nomine in ſua quondam patria relicto. Coloniarum una fertur fuiſſe illa ipſa regio ſanè maxima, quam hodie Sueviam dicimus, Marcomannis, Vindelicis, Noricis, Rhetis, & aliis Suevorum non re, ſed nomine tenus duntaxat diverſis diſtinctam.

Suetonius pag. 83. aſſerit, *ab Auguſto Octaviano victos eſſe Suevos & Sicambros, atque utrosque ſe dedentes ultrà fluvium Albim fuiſſe ſubmotos, in Galliámque* (quas Rheno vicinas dixere etiam veteres provincias) *traductos, ac in proximis Rheno agris collocatos.* Quinto poſt natum Chriſtum ſeculo novas denuo colonias erexerunt in Italia, Gallia, quin etiam Hiſpania haud æquali rerum ſucceſſu: pars namque Suevorum (quam *Tacitus* Longobardos appellavit & hodie appellamus omnes) Jtaliam Superiorem infeſtis armis petiît, ubi per annos ſat multos Regiam ſedem fixit, Regnum Longobardicum dictum. Eadem ferè ætate Jtalorum linguam à Latina admodum diverſam primùm audiri cœpiſſe, eſt legere in authoribus Germanis & Gallis, quam á Germanis aliíſque dein in Jtaliam venientibus populis corruptam fuiſſe ſcripſerunt. Pars Suevorum altera eodem Seculo V. cum Vandalis & Alanis conjuncta in Hiſpaniam uſque penetravit, in qua ſub compluribus ex natione ſua Regibus Suevi in Luſitania & Gallæcia ſtabilem ſedem fixerunt. Ultimus eorundem Regum Andeca nomine à Leovigildo Gothorum Rege captus & trucidatus finem impoſuit Suevorum in Hiſpania Regno.

Pars Suevorum alia ſub Alarico Rege Galliam ingreſſa, ſed poſt variam belli aleam à Clodovæo Francorum Rege victa an. 499. non ampliùs ſub Regum, ſed Ducum poteſtate Auſtraſiæ Regno ſunt adjecti. Duces iidem Merovingici & Carolini dicti atque horum Succeſſores ab Jmperatoribus natione Saxonibus & Francis conſtituti, per complura Secula, ad Fridericum nempe Ænobarbum Seculi XII. Jmperatorem uſque dominabantur Sueviæ, pleriſque eorum ex Suevorum nobilitate ab ipſo Cæſare electis, abſque privilegio tamen ſuc-

ſucceſſionis hæreditariæ. Mentionem priores inter Duces meretur Hildebrandus, Eberhardus ab aliis dictus, qui D. Hildegardis genitor, Carolum M. nactus eſt generum.

Fridericus denique Dux aut Comes Hohenſtauffenſis, Friderici I. Jmperatoris avus ſucceſſioni hæreditariæ initium dedit, poſtquam Henrici IV. Jmperatoris contra Rudolphum dictum Rheinfeldenſem, electum Cæſarem, ſecutus ſigna victoriam omnibus ferme triſtiſſimam reportavit. Cruentis principiis reſpondit finis longè cruentiſſimus; lapſis etenim annis 189. Conradinus (de quo jam aliàs) ex Suevorum Ducum ſanguine Dux ultimus, ſanguinem fudit Neapoli, in foro publico caput ſecuri carnificis ſubdere coactus an. 1269.

Poſt fata dein univerſæ Germaniæ luctuoſiſſima, & interregnum circiter 23. annis continuum, Cæſar creatus Rudolphus Habſpurgicus, filium Rudolphum Suevis præfecit Ducem, à quorum ſtemmate ad noſtram uſque ætatem nunquam avulſus eſt Sueviæ Ducatus ea tamen ratione, ut non pauci per totam Sueviam Magnates & urbes ſucceſſu temporis in Status Jmperij *immediatos*, utì appellant, evaſerint. Vid *Baronem ab Andlern.*

Cornelius Tacitus pag. 34. & ſequentibus haud parùm extollit Germanorum fortitudinem & conſtantiam, & probat in hoſte virtutem. Inter hos Germanos fortiſſimos profectò poſtremi non numerandi ſunt Suevi: præterquam enim quòd ſuis armis in Jtaliam, Galliam & Hiſpaniam penetraverint, Romanis copiis conſtantiſſimè obſtitêre, utì Cæſarum ipſi fortiſſimi teſtati ſunt Auguſtus Octavianus, Aurelius Probus & Conſtantius Chlorus; Auguſtus enim Auguſtam Vindelicorum, Conſtantius verò Conſtantiam Suevorum urbes erexerunt, ut haberent adversùs nationis hujus perpetuos impetus nova munimenta, & in munimentis Germanis Romana præſidia. Aurelius Germanorum haud procul Argentorato victor denique, vix ullam gentem Romanis occurriſſe fortiùs teſtatus eſt. Poſterioribus deinde Seculis Suevorum Duces perpetui in bellis Cæſarum ſocij, vel ideo Sueviam creberrimè Martis fecêre arenam, quòd Suevorum turmæ inter Cæſareas copias eminerent in Cæſarem inconcuſſa fide & fortitudine: in Sueviæ namque

que finibus Carolus M. ſuperavit Thaſſilonem III. Bojorum Ducem. Haud procul Auguſta Vindel. Otto M. ad internecionem delevit Hunnorum exercitus; in Sueviæ gremio potiſſimùm Henricus IV. & Succeſſores Jmperatores vim æmulis inferebant & ſuſtinebant; Friderici verò Jmperatores & natione & origine Suevi in Jtaliam, Siciliam, quin in Aſiam & Ægyptum uſque cum exercitu profecti ſunt multis Suevorum millitibus ſtipati, è quorum numero prætorianas cohortes ſibi delegerunt. Rudolphus Habſpurgicus auditus eſt pronunciare, ſi ad manus ſibi eſſent Suevorum 40000. intra trigintá annorum ſpatium ſe expugnaturum facilè Europam ferè univerſam. Ut multa ſilentio prætereamus, & ad finem deſcendamus: quantæ authoritatis, famæ & virtutis fuerit fœdus Suevicum, dictum *Liga Suevica*, neminem eruditorum latet. Quæ omnia facillimè Lector capiet, ſi perpenderit Nobilium Suevorum multitudinem & vetuſtatem; ſunt enim inter Sueviæ Nobilitatem Jmperatores, Duces Principes, Comites, Barones, Equites &c ſtemmate Nobiliſſimi, quoniam Antiquiſſimi; priſcis verò temporibus nemini via ad Nobilium apices patebat, quàm viris & juvenibus bello ſtrenuis. Tametſi verò res ita ſe habeat, non deſunt tamen etiam exempla, quibus Suevorum fortitudo minùs inclaruit; Albertus enim I. Jmperator cùm in Miſnia & Thuringia adversùs earundem Marchiones prope Luccam pugnaret, ferè ad internecionem deletus eſt, non paucis Suevorum deſideratis millibus. Obortis deinde cum Helvetiorum Republica bellis, haud ſemel duntaxat Suevorum copiæ fuſæ fugatæque, aliàs verò fuerunt cæſæ, teſtibus Hiſtoricis fide digniſſimis, & monumentis in Helvetia relictis. Id laudis Suevicæ Nobilitati tribuatur meritò, quòd videlicet ejusdem pars longè major Romanæ Eccleſiæ conſtanter adhæſerit inter tumultus de Religione per univerſam Germaniam maximos. Non ita fidem ſervârunt urbes in Suevia Jmperiales; major enim earundem pars libertatis amans ultra modum, libertati ſuæ Jmperiali, ùt vocant, licentiam morum & Religionis arbitrium adjecit, ut eſſet ter libera, ſub rerum ſacrarum profanis arbitris. Quòd verò hoc noſtro Seculo tantis vix ampliùs celebrentur encomiis Suevorum cohortes, quantis fuerunt celebratæ

tæ prioribus Seculis, ea ſubeſt fortaſſis cauſa, quòd inter multa capita ſint multæ ſententiæ, & crebrò vix bene conſulatur in medium, ſpe lucri aut timore damni non paucos retardante. Accedit ratio, quòd Suevorum multi etiam hodie ad diverſa caſtra tranſeant, & ſtipendia mereantur etiam ſub alieno Marte, quod abundè etiam commonſtrârunt nobis non ita pridem exacta bellorum tempora. Denique hac noſtra ætate jucundiſſimum accedit Suevorum plurimis Auſtriacorum ſequi Aquilas, & Cæſareis immiſceri copiis. Præter citt. auth. Vid. *Plutarchum & Cæſarem*, qui quædam recenſent; item *Faſciculum Geographicum Quadumi* an. 1608. Coloniæ *editum*, qui uberiùs deſcribit Suevorum mores & laudes.

§. III.
DE EPISCOPATU CONSTANTIENSI.

STatus omnium primus in Circulo Suevico eſt Epiſcopus Conſtantienſis, cujus Epiſcopatus cis, trans & intra Lacum Bodamicum, ab alijs mare Germanicum minus appellatum, ſitus nec longitudinem ſuam nec latitudinem metiri patitur. Fortaſſis ſi omnes hujus Epiſcopatus partes conjunctæ, & quatuor angulis forent terminatæ, tria tunc milliaria Germanica multùm non ſuperarent ſua longitudine nec latitudine: adeò Epiſcopatum hunc olim longiſſimum & latiſſimum diminuerunt bella parùm Religioſa, quibus ante alia ſalus nulla. In Epiſcopatu Conſtantienſi hodie excellunt præ alijs partim urbes, partim oppida &c.

Mariſburgum. Marckdorffium. Epiſcopi Zella. Arbona. Tribunal Cæſaris. Augia Dives Monaſt. S. Benedicti. Oeninga &c.

Hæ aliæque ditiones Conſtantienſium Epiſcopo in quemvis annum conſueverunt afferre fructus non niſi 40000. aut 30000. florenorum æſtimatos: imò longè minorem ſummam Eidem eſſe paſſim aſſerunt.

§. IV.
DE ORIGINE ET PROGRESSU EPISCOSATUS CONSTANTIENSIS.

FUit Vindoniſſa quondam Helvetiæ urbs in eo ferme poſita loco, ubi nunc reperiuntur Königsfelda aut Bruga. Vindoniſſam

ſam venit D. Beatus S. Petri diſcipulus, qui Vindoniſſanæ, atque adeò Conſtantienſium Diœceſi jam fundamentum poſuiſſe meritò creditur. Quid verò D. Beatus & Succeſſores Epiſcopi per tria Secula hac ipſa in Diœceſi geſſerint, omnes propemodum latet ob Scriptorum tunc temporis inopiam. D. Beatum in ſede ſunt ſecuti proximè, pares eidem morum innocentia & vivendi ſanctitate, Epiſcopi DD. Paternus, Lando, Maximus aliíque multi, è quibus eorundem ultimus Vindoniſsâ Conſtantiam Epiſcopatum transtulit Seculo Chriſti VI. aut certè VII. annuentibus Romano Pontifice & Clotario II. vel hujus filio Dagoberto Franciæ ſimul & Alemanniæ, ut vocârunt Rege. Univerſorum verò Epiſcoporum Conſtantienſium catalogus jam ſupra numerum nonageſimum aſcendit, inter quos Conradus & Gebhardus II. uterque Germanicæ Nobilitatis decus inſigne, uterque Seculi X. ſydus illuſtre, uterque miraculis clariſſimus, uterque in Divorum Album relatus eminuit. Quin ſi ſingulares Epiſcoporum dotes requirimus, in Conſtantienſium Serie eas magno numero invenimus facilè: ſunt enim Epiſcoporum horum plerique ex Archiducum, Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, vel Baronum Germanorum ſtemmate prognati. Fuerunt eorundem plurimi doctrinâ, prudentiâ, ſapientiâ, aliíſque virtutibus maximis & miraculis etiam conſpicui, quos inter meritò cenſendus venit Salomon III. Comes Ramſchvvagenſis: is cùm circa annum 900. Romæ ageret, & ardenter optaret intereſſe ſolemniori, utì dicimus, Feſto ad D. Gallum in Germania celebrando, ſtimulante Deo matutinâ tertiâ conſcendit equum, & ecce! intra ſex horarum ſpatium abſolvit iter 120. milliaribus Germanicis longum; cùm horâ diei nona ad S. Gallum exciperetur hoſpes acceptiſſimus. Item Otto III. Marchio Hochbergenſis Virginum Maximæ nunquam non devotiſſimus, Ordinis Seraphici æſtimator maximus, & patientiæ miraculum, morbo epileptico annis vitæ ultimis plurimùm afflictus. Hoc ſedente Epiſcodo celebratum Conſtantiæ fuit Concilium an. 1414. in quo numerati ſunt Cardinales 27. Patriarchæ 6. Archiepiſcopi 39. Epiſcopi 190. Archiepiſcoporum Procuratores 16. Epiſcoporum 400.

Abba-

Abbates 147. Viri Principes, Comites, Barones aliique Nobilium 16000. Omiſſis non paucis aliis addere lubeat Fridericum III. Comitem Hohenzolleranum, Epiſcopum annis ferè juvenem, meritis verò ſenem. Is circa annum 1436. Provincialem collegit Synodum, in qua rebus pluribus ritè geſtis iniît numerum variorum capitum: numeravit igitur in ſua Diœceſi Sacerdotes 17000. ædes ſacras 1760. Monaſteria 350. Vid. *Seriem Epiſcoporum Conſtant. Pokium aliósque citt.*

§. V.
DE EPISCOPATU AUGUSTANO.

EPiſcopatus hic ad Lycum amnem Sueviam inter & Bavariam arbitrum ſitus, ſua longitudine numerat milliaria Germanica 20. circiter; latitudine, ſi ſummitatem montium tum propriorum, tum in Tyroli finitimorum excipias, diverſis in locis varia, nunc nimirum 4. nunc 3. nunc duo, nunc vix unum. Non annumerantur hìc ditiones aliæ per Sueviam diſperſæ, quales ſunt partim urbes, partim oppida universè,

Dilinga. Witislinga. Geiſenhuſium. Eſchenloa. Simatinga ad Danub. Zuſmerhuſium. Auerbachium inter Auguſtam & Dilingam. Lauba. Frikenhuſium. Kulſinga prope Mündelhemium. Erlinga. Pons Lyceus. Wieringa. Oſtendorffium. Falkenſteinium. Neſſelvvanga. Flakenſteinium. Tannhemium. Füeſſa. Indernavia.

Dominia hæc omnia ſimul conjuncta ſi ritè ferendis adaptentur fructibus, facilè ultra centum florenorum millia afferent Epiſcopo Auguſtano, modò Ceres ſpem annorum non eludat, aut grandinem non mittat Jupiter &c.

§. VI.
DE ORIGINE ET PROGRESSU EPISCOPATUS AUGUSTANI.

SI Welſeri & aliorum Hiſtoricorum opiniones Auguſtanis ſuper rebus conſulamus, dicunt iidem nobis, D. Lucium Anglorum

Regis filium ab Hiſtoricis ſacris & profanis multoties celebratum veniſſe etiam in Sueviam Seculo Chriſti II. ut in Ovile Divini Paſtoris paſtor & ipſe bonus perduceret oves novas. Welſeri mentem dum circa primos Auguſtæ Epiſcopos requirimus, idem aſſerit, eoſdem extitiſſe DD. Dionyſium & Sozimum, quos authores alij unum fuiſſe contendunt, duobus duntaxat nominibus diverſo tempore & officio appellatum. Verùm huic ultimæ opinioni refragantur apertè tempora; Sanctus enim Dionyſius ad initium Seculi IV. Martyrium ſubiiſſe perhibetur cum S. Hilaria ſorore, cum D. Afra nepte & familia tota (quamvis diverſo modo & menſe) à D. Narciſſo Gerundenſi Hiſpaniæ Epiſcopo ad Orthodoxa Sacra converſus; cùm imperarent Diocletianus & Maximianus Herculeus, & ſævirent Præſides ubivis locorum Romani multi ſimul tyranni. D. Sozimus verò ſub Seculi VI. finem vel VII. principium mortuus, vim à tyrannis nullam in morte ſuſtinuit. Item D. Dionyſius Diœceſin Auguſtanam limitibus nondum ſtatutis accepiſſe ſcribitur. Sozimus verò terminos Diœceſi ſuæ præfixiſſe creditur. Non deſunt denique Scriptores, qui probè notârunt Dionyſium inter & Sozimum prædictum temporis intervallum, quo Auguſtam veniſſe ex Jtalia ſcribunt S. Albanum & Theoneſtum à D. Ambroſio miſſos, ut rem Catholicam vel reſtaurarent, vel bene inſtauratam ampliùs promoverent, atque adeò Epiſcopi munere fungerentur, Epiſcoporum tamen non admitterent nomen; unde ob prolixum temporis intervallum, quod Dionyſium & Sozimum diſtinguebat, evenit, ut plerique omiſſo Dionyſio Seriem Auguſtanorum Epiſcoporum à D. Sozimo inchoârint, & nunquam deinceps interrupto Ordine ad Alexandrum Ducem Palatinum Sereniſſimum & Epiſcopum hodiernum deduxerint. Sexaginta quinque aut ſex proinde numerati ſunt ſupremi Auguſtæ Antiſtites, inter quos tametſi prorſus ſingularem promeriti fuerint mentionem & encomium plerique, in tantillo tamen compendio locum vendicant ſibi in Sanctorum duntaxat Catalogum relati, quales ſunt S. Wicterpus SS. Magno & Bonifacio Germanorum Apoſtolis in Vinea Domini junctus ſocius. D. Thoſſo Carolo M. Jmperatori, quin & Superis pretioſiſſimus, quod teſtatum fecit cereus

reus manu Angelica accenſus, & nulla ſui parte diminutus, tametſi ardere & luceret perpetuò: unde Raderus noſter in Bavaria Sancta hunc in modum cecinit;

Toſſo facem geſtat; quam flumina nulla fatigant,
Flumina nulla premunt, flumina nulla necant.
Miratur Nereus, ſtupet Æolus: imperat ergò
Fax, Toſſo, ventis, fax tua, Toſſo mari.

D. Sympertus ex quorundam authorum mente Caroli M. ex ſorore nepos, nobilior tamen virtutibus, quàm natalibus fuit; de virtutibus teſtimonium dixit duorum Jmperatorum Caroli M. & Ludovici Pij aula, quam maximè invitus frequentavit; fidem verò ampliùs fecerunt complures Synodi ſacræ, quibus interfuit Sympertus Moguntiæ, Ratisbonæ, Francofurti, Aquiſgrani, Theodovillæ, Wormatiæ &c. Quin virtutes futuras Symperti prodiderunt miracula nondum nati, ſed naſcituri, dum per quietem mater eſt viſa ſibi parvulum cæleſti facie conſpicuum uterô geſtare &c. Taceo miracula alia etiam inter vulgus notiſſima.

S. Nidgarius in Concilio Wormatienſi à Pontifice & congregatis Epiſcopis conſtitutus Præſes, Græcorum errores detexit, dictus Ectypon Epiſcopi perfecti.

S. Albero ſeu Adalbero ex Comitum Dilingæ & Kyburgi proſapia natus, Elvaci D. Benedicti Regulam amplexus, & raris virtutibus inſtructus, dum fugit honores, invenit, Arnulpho Jmperatori gratiſſimus factus, cujus filium Ludovicum IV. Jmp. Ratisbonæ S. Baptiſmatis aquâ lavit, & dein Moderator inſtruxit in aula & Jmperio oraculum.

D. Udalricus Comes Dilinganus, Witislingenſis &c S. Adalberonis vel nepos, vel ſanguine certò propinquus, quantus eſſet futurus, index vaticinium prævenit natales. Vaticinio uni acceſſit alterum eodem tempore, quo Romæ agenti Udalrico infulam Auguſtanam obtulit Anaſtaſius III. Pontifex, Udalricus verò oblatam dignitatem fugit: tum enim Anaſtaſius fugientem proſecutus eſt his aut verbis ſimilibus: cùm pacis tempore nolis, eris Epiſco-

pus longo bellorum tempore. Eventus oraculo Pontificio probè reſpondit; nam ut Henricus Auceps & Arnolphus cognomento Malus Bavariæ hoſtes deinceps eſſent, Udalricus creatus Epiſcopus multo labore impedivit. Secutum eſt denuo bellum Hungaricum toti Germaniæ infeſtiſſimum, ubi denique circa annum 955. Otto M. Jmperator, promiſſo D. Laurentio Levitæ facto de ædificanda Merſeburgi in ejusdem Divi honorem æde ſacra, inſignem Auguſtæ Auguſtus retulit victoriam. Telæ lineæ textores in eadem pugna numeroſiſſimi & fortiſſimi raram promeriti ſunt laudem; unde & ipſis victoribus ab Ottone I. conceſſa ſunt privilegia etiamnum hodie ſingularia. Tradunt non pauci conſertam fuiſſe pugnam eodem in loco, in quo nunc D. Stephano erecta ſtat ædes ſacra; quin iidem ajunt, victoriæ relatæ ergo imperâſſe Ottonem I. ut Auguſta ex eadem parte incrementum majus acciperet. Cæterùm qui ſimul vicerunt, morte victi ſunt eodem anno D. Udalricus, & Otto M. hic 36. Jmperator, ille 50. annorum Epiſcopus, paucis optatæ pacis fructibus recreatus, multis & longis belli oneribus fatigatus uterque. *Lege Welſerum, Bruſchium, Corolum Stengelium, Corbinianum Chamb &c &c.*

Canonici in Cathedrali Auguſtana ſunt 40. ſi ſeniores ſimul & juniores in unum conjungantur numerum.

§. VII.
DE EPISCOPATU CURIENSI.

EPiſcopatus Curienſis in Griſonia ſitus ditiones habet varias loco minimè continuas, quarum alias Epiſcopis Curienſibus dono dedit Carolus Craſſus, alias Otto I. & III. alias demum Fridericus I. Jmperatores, quorum ultimus inter Jmperij Principes Curienſem Epiſcopum jam collocavit. In ditionibus numerantur urbes, oppida &c

Curia. Pludentia. Curvvaldia. Tomleſcka. Aſpermontium. Rhamſium. Marſoila. Ramunzium. Greiffenſteinium. Haldenſteinium. Fürſtenberga ad Atheſin. Vallis Telina. Clavenna.

Hæc

Hæc aliaque bona, ùt vocant Juriſperiti, immobilia Epiſcopo ſuo quotannis ferunt proventus vix 30000. florenorum pares, aut fortaſſis longè minores.

§. VIII.

DE ORIGINE AC PROGRESSU EPISCOSATUS CURIENSIS.

SI quorumdam authorum, præſertim verò Bucelini opinio à via veritatis non aberret, Epiſcopatum Curienſem D. Petrus modo ab Epiſcopatibus alijs etiam primævis diverſo ac ſingulari jam inchoavit; Divus verò Lucius continuavit Seculi II. Epiſcopus Curienſis. Sin pluris ſit æſtimanda Hiſtoria Bruſchij tunc Seculo Chriſti IV. Epiſcopatui Curienſi in Griſonia fundum invenit S. Aſimo Chalcedonenſi Concilio notiſſimus, primus Curiæ Epiſcopus. Inter hujus Succeſſores fama & Hiſtoria ex antiquiſſimo ac nobiliſſimo ſtemmate Comitum de Montfort complures Epiſcopo celebravit jure merito; namque pro emolumento Epiſcopatus ſui multa tulerunt fecerúntque, etiam à diverſis Jmperatoribus malè habiti, quòd conſtantiùs Pontifici, quàm Cæſari adhærere decreviſſent. Hartmannus II. Comes de Werdenberg eorundem veſtigia ſecutus cœpit ferre mala illis majora, quibus initium dederunt fœdera Helvetica à Griſoniæ etiam civibus & agreſtibus exoptata; unde Epiſcopatus Curienſis magnam ſui partem diminutus & truncatus, jacturam bonorum irreparabilem paſſus eſt teſte *Paulo Ziegelbergico* Seculi XVI. Curiæ Epiſcopo. Cæterùm Canonici numerantur 24.

§. IX.

DE PRINCIPE ABBATIA, SEU PRINCIPATU ECCLESIASTICO CAMPIDUNENSI.

IN Circulo Suevico Curienſem Epiſcopum ſequitur Princeps Abbas (Ord. S. Benedicti) Campidunenſis, cujus Principatus ad Jlarum amnem in Superiori Suevia ſitus, longitudine ſua 7. latitudine 6. par ferme eſt milliaribus Germanicis. A Septentrione jun-

gitur territorio Memmingenſi, & Mindelhemienſi; ab Oriente & Meridie Epiſcopatui Auguſtano; ab Occidente Comitatibus Comitum de Königſegg & Waldburg. Cæterùm ſpatium hoc non univerſum eſt ſub ditione Principis Campidunenſis, ſed partem abundè magnam vendicant ſibi urbes Jmperij duæ, nimirum Campidunum ipſum & Kauffbura. Authores Principis Monaſterij hujus fuerunt Carolus M. & D. Hildegardis Auguſta Caroli conjux, quæ Andelgario Præſuli omnium hìc primo conceſſit bona ſequentia eo fine, ut Nobilitas potiſſimùm Suevica pro filiis haberet opportunum ſubſidium, ſi animus foret amplectendi Statum Eccleſiaſticum ſub Regula D. Patriarchæ Benedicti. Sunt autem bona

Campidunenſis Comitatus. Regio Buchenbergenſis. Jllerberga. Sagojum. Martini Cella. Sulzberga. Lieba. Thunga. Schvvarzenberga &c

Numerantur adhæc Parochiæ 72. quæ unà cum ditionibus alijs conjunctæ ſuo Principi ac ſubditis in Monaſterio membris pepererunt annis præſertim ſecundis centum ferè florenorum millia.

Princeps Abbas Campidunenſis eſt Auguſtiſſimæ Jmperatricis Archimareſchallus, utì vocamus.

Univerſum Monaſterium Conſtat 18. capitibus ex nobilitate ſelectis. Vid. *Münchſmayr, Lexicon Lippſienſ.*

§. X.

DE PRINCIPE PRÆPOSITURA ELVACENSI.

Elvacenſis Præpoſitura in triangulum porrecta, angulis duobus verſus Septentrionem & Occidentem extenſis, ambit Limpurgenſem ditionem in finibus Sueviæ & Franconiæ. Ex parte Orientis adhæret Oettingenſi Principatui & Comitatui; verſus Meridiem verò parti Ducatus Würtenbergici & Comitatui Rechbergenſi. Ditiones inſuper Principis Elvacenſis propriæ diſtinguuntur tribus Jmperij urbibus, nimirum Halâ & Gemundiâ Suevorum atque Dünckelſpilâ. In Principis bonis numerantur

Elvacum. Mons venuſtus. Lauterenſis & Tannenbergenſis Dominatus; ſunt & alia Dominia, quorum fructus pro diverſitate anno-

rum

rum varij nunc 16000. nunc 20000. florenorum pares, aut non multùm inferiores.

Authores Elvacenſis quondam Monaſt. Ord. S. Ben. Seculo VIII. fuiſſe feruntur Hariolphus & Erolphus in aula Caroli M. authoritatis magnæ viri. Quis Seculo XV. & qua de cauſa Monaſterium hoc in ædem Cathedralibus pene parem converterit, Hiſtorici multi non exprimunt. Ab eodem tempore Canonici duodecim numerantur. Vid. *Münchſmayr. Corbin. Chamb. Lexicon Lippſ. & Pockium &c.*

§. XI.

DE ABBATIBUS SIMULQUE S. R. J. STATIBUS IN SUEVIA.

I. Augiæ Divitis ſeu Majoris Abbas Ord. S. Bened. cujus Monaſterium infra Conſtantiam ſitum S. Pirmianus Epiſcopus an. 714. aut ſeriùs, hortatore & adjutore Carolo Martello, Caroli M. Jmperatoris avo fundâſſe fertur. In Monaſterium hoc primis Seculis admittebantur teſte *Hermete* ſoli Principes, Comites & alij ſtemmate clariſſimi. A multo tempore Monaſterij hujus ſupremus Antiſtes cœpit eſſe Epiſcopus Conſtantienſis.

II. Augiæ Minoris, vulgò Weiſſenavienſis Abbas Ord. Præmonſtrat. cujus beneficio fundationem ſuam adſcribat Monaſterium hoc infra Ravenſpurgum urbem extructum, haud inveni: Rudolphum I. Jmperatorem eidem Monaſterio multa privilegia & dona conceſſiſſe ſcribit *Hermes.*

III. Auguſtanus ad S. Udalricum & Afram Ord. S. Bened. De celeberrimo S. Udalrici & Afræ templo, quondam Collegio, & nunc Monaſterio inter alia ſcribit hæc *Hermes*: *D. Afræ templum per S. Udalricum Epiſcopum in Canonicorum Collegium, inde à Brunone loci Epiſcopo in Monaſterium Ord. S. Benedicti converſum eſt &c. Plura legere eſt in libris Corbiniani Cham.*

IV. Ad S. Blaſium in Sylva Hercynia Præſul Ord. S. Benedicti. Originem ſuam primam debet Monaſterium hoc Antiquiſſimum & Celeberrimum eremiculis, quos fratres ad Albam vocabant. Seculo X. circa annum 945. Otto M. Jmperator Monaſterium S. Blaſij

S. Blaſij authoritate ſua confirmavit maximè, quo tempore Reginbertus Eques clariſſimus, dictus Baro de Seldenbüren Marti valedixit, & Abbati omnium primo Berengero ſemet ſubjecit, collatis eum in locum Religioſiſſimum omnibus ſuis bonis. Præſul verò S. Blaſij dignitatis locum inter Jmperij Præſules ſponte ſua reliquiſſe videtur, poſtquam in Præſidem Status Eccleſiaſtici per Briſgojam fuit electus. Comitatus tamen Bontorfſenſis Monaſterio huic ſubjectus ſedem ſuam tenet inter Jmperij Comites. *Corbin. Chamb. Bucelini. aliique citt.*

V. Cæſareenſis Antiſtes Ord. Ciſterc. Monaſterium hoc clariſſimum Donavverdæ propinquum ſumptibus ſuis maximis erexiſſe ſcribitur Seculo XII. circa annum. 1103. Comes de Lechſmünd & Grasbach.

VI. Elchingenſis Præſul Ord. S. Benedicti. Hoc in Monaſterio an. 1128. ſubditis præeſſe cœpit omnium Præſulum primus Andreas, cui Monaſterium erexit Conradus Dux Saxoniæ, hortante maximopere Lucia ejusem conjuge, fæmina inter Suevos Principe. Albertus Comes Ravenſteinius cum Conrado III. Jmperatore Hieroſolymis redux incolumis, ut voti editi religione ſe ſolveret, infra Ulmam ad Jſtrum idipſum Monaſterium incendiô deſtructum reſtauravit.

VII. Gengenbachenſis Abbas Ord. S. Benedicti. Cœnobium Gengenbachij haud procul Rheni littore in Suevia an. 724. ædificâſſe S. Pirminius traditur ab *Hermete*. At veriora ſunt, quæ ſcribit *Guillimannus* in lib. de Epiſcopis Argentorati pag. 82. ubi refert, Monaſterium Gengenbachenſe a *Ruthardo Alſatiæ Duce & Comite à Zeringe* (ſunt verba authoris) fundatum eſſe an. 740. Idem Monaſterium Rudolphus I. Jmperator Habſpurgicus privilegiis an. 1278. recreavit.

VIII. Irſingenſis Antiſtes Ord. S. Benedicti nactus eſt Monaſterium haud procul Kauffburâ fundatum ab Henrico Marchione de Rumſperg, cui acceſſerunt adjutores filij Godefridus & Bertholdus, nec non Irmelgardis filia Baronis ab Ulten.

IX. Jſnenſis Abbas Ord. S. Bendicti. Monaſterij hujus in urbe Jſna extructi author extitit Comes de Vehringen Seculo Chriſti XI. Abbatum primus floruit B. Mangoldus etiam ipſe Comes de Vehringen. Extincto Comitum Vehringenſium ſtemmate Comites Truchſeſſij de Scheer & Waldpurg Monaſterij hujus incendio deleti, ſunt facti reſtauratores & Patroni perpetui.

X. Marcthalenſis Abbas Ord. Præmonſtrat. cujus Monaſterium inter Riedlingam & Ehingam extructum eſt Seculo XII.

XI. Münchrodenſis Præſes Ord. Præmonſtrat. duobus circiter milliaribus Memmingâ diſſitum tenet Monaſterium, quod anno 1126. primò conditum eſſe affirmant *Hermes* & authores alij. Teſte Bucelino Henna Henrici Jlluſtriſſimi Equitis dicti de Wildenberg, vidua ſubſtantiam ſuam extruendo Monaſterio impendit; cui adjutores acceſſerunt filij.

XII. Ochſenhuſanus Antiſtes Ord. S. Benedicti. Monaſterium ejusdem Biberacum inter & Memmingam non abſq; præviis miraculis extructum eſt Seculis perantiquis. Meminêre Scriptores, Cœnobium olim fuiſſe Virginum, quibus Marte fugatis, & in exilio mortuis, viduam in domum induxiſſe Majores D. Benedicti filios Religioſos. Supremum inter eos caput eminebat longo tempore Præpoſitus, ùt vocamus; Seculo tandem XV. Romanus Pontifex Conſtantiæ à Synodo Eccleſiæ creatus, & Martinus V. appellatus Monaſterio Abbatem præfecit, memor maximè pergrati hoſpitij, quale etiamnum Cardinali ipſi Conſtantiam petenti exhibuit Monaſterium Ochſenhuſij.

XIII. Ottoburanus Abbas Ord. S. Benedicti, cujus Cœnobium à Sylacho inter Suevos Principe ſimúlque Adjutoribus alijs dicitur fundatum an. 764. Tato Principis filius Abbatum omnium primus nactus eſt Succeſſores præſtantiſſimos, inter quos fuerunt SS. Neodegarius, Widgarius, Udalricus & Rupertus.

XIV. Petershuſanus Ord. S. Benedicti, cujus Monaſterium in Conſtantiæ ſuburbiis extruxit an. 980. D. Gebhardus Brigantinus Comes, Epiſcopus Conſtantienſis.

XV. Roggenburgenſis Antiſtes Ord. Præmonſtrat. Abbatum ſeu Præpoſitorum hoc in loco omnium primus ſubditis præeſſe cœpit Gerungus Seculo Chriſti XII. Fundum dediſſe feruntur Conradus I. Epiſcopus Curienſis & Comites de Bibereck. Monaſterium ferè duobus milliaribus diſſitum eſt Ulmâ.

XVI. Salmenſis, alijs Salomenſis & Salemitanus Præſes Ord. Ciſterc. Monaſterium haud procul Conſtantiâ & Uberlingâ extructum fundâſſe ſcribitur Guntramus perilluſtris Eques, dictus Adelſreither Seculo XII. Religioſiſſimæ huic Domui favebant plurimùm Jmperatores Conradus III. Fridericus Ænobarbus, Carolus IV. & Carolus V.

XVII. Schuſſenriedenſis Abbas Ord. Præmonſtrat. Seculo XII. Monaſterium hoc ex Jlluſtrium Virorum liberalitate eſt extructum, qui arcem ſuam in Religioſam Domum converterunt adjectis proventibus in annos ſingulos abundè ſufficientibus.

XVIII. Urſpergenſis Antiſtes Ord. Præmonſtrat. Cœnobium incolit inter Auguſtam & Ulmam ita medium, ut quatuor ferè milliaribus diſtet ab urbe hac & illa. Fundum ampliſſimum dederunt Seculo XII. Comites de Balthauſen & Schvvabeck fratres Conradus & Wernerus.

XIX. Weingartenſis Abbas Ord. S. Benedicti, cujus Monaſterium Ravenſpurgo non procul diſſitum originem ſuam ducit à Guelphis jam tempore Caroli M. Jmp. in hunc locum liberaliſſimis; Jſenhardus enim Comes & hujus conjux fundum ſacro ædificio ampliſſimum dederunt.

XX. Wettenhuſanus Antiſtes Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini. Collegium hoc celeberrimum in Marchionatu Burgavienſi erectum an. 802. auctores habuit Conradum & Wernerum fratres ſimúlque Comites dictos de Roggenſtein, quorum pia conſilia promoviſſe legitur Gertrudis mater. Ludovicus Pius Jmperator multùm favebat huic Canonicorum Collegio. Auſtriaci certè Archiduces & demum etiam Jmperatores multis gratiis & privilegiis Wettenhuſanam D. Auguſtini Familiam exornârunt.

XXI. Zvvi-

XXI. Zvvifaltenſis Præſul Ord. S. Benedicti, cujus Monaſterium non procul Riedlingâ ſitum an. 1088. fundârunt duo fratres Luitholdus & Chuno Comites de Achalm. Donis idem exornavit magìs Albertus Comes de Calvv. Protectores Monaſterij, ùt vocamus, fuerunt Comites de Vehringen; his verò mortuis Duces Bavariæ Welphi, Comes de Hohberg, Archiduces Auſtriæ & tandem Duces Würtenbergici; à quibus tamen an plus favoris acceperit, an plus odij tulerit à conſtantia & patientia laudatiſſimum hoc Cœnobium, legatnr præter alios *Author Sueviæ Fccleſiaſticæ VVettehuſanus Can. Regul.*

§. XII.

DE ABBATISSIS SIMULQUE S. R. J. STATIBUS IN SUEVIA.

I. Bainthenſis Abbatiſſa Ord. Ciſterc. cujus Cœnobium non procul Monaſterio Weingarthenſi Seculo XIII. fundatum à ſe multis proſequi ſtuduit favoribus Eques clariſſimus Conradus de Winterſtetten.

II. Buchavienſis Antiſtes Princeps, cujus Parthenoni jam tempore Seculi VIII. inſtituto initium feciſſe fertur Adelindis Hildebrandi Suecorum Ducis filia, S. Hildegardis Reginæ ſoror &c. Rem hanc pluribus proſequuntur *Hermes, Bucelini, Corbinianus Chamm.*

III. Guttenzellenſis Abbatiſſa Ord. Ciſterc. cujus Cœnobium aliquot milliaribus Ulma & Biberaco diſtat, Ochſenhuſano Monaſterio propinquius. Fundum dederunt Seculo ſuperiùs dicto duæ ſorores illuſtriſſimæ, dictæ Comitiſſæ de Schloſsberg.

IV. Heggenbachenſis Abbatiſſa Ord. Ciſtercienſ. Cœnobio huic Seculo XIII. initium feciſſe leguntur ſacratæDeoVirgnes duæ nobiliſſimæ, altera de Roſenberg, altera de Landeburg cognominatæ, quibus acceſſerunt quinque aliæ: harum omnium propoſitum laudavit D. Gregorius IX. Pontifex & Fridericus II. Jmperator.

X. Lindavienſis Abbatiſſa Princeps, cujus Parthenon in urbe Jmperiali Lindavia anno 800. ab Adelberto Caroli M. Cæſaris Palatino Comite ad ſolatium, ſalutem & commodum Virginum

Nobilium eſt inſtitutus, poſtquam Adelbertus naufragium paſſus edito voto in optatum littus emerſit.

VI. Rubri Monaſterij, vulgò Rottenmonaſterienſis Abbatiſſa Ord. Ciſtercienſ. Religioſa Virginum Domus haud procul Rottvvila diſtat, cui circa annum 1126. Hemma perilluſtris fœmina dotem ſuam largiſſimam dedit, utì accepimus.

Hactenus de Statibus in Circulo Suevico Eccleſiaſticis, quorum uberiorem, quàm aliorum multorum mentionem faciendam exiſtimavimus, quoniam nobis ſunt propinquiores, & de iiſdem crebriùs redit ſermo: atque adeò eorundem notitia Hiſtorica à non paucis Lectoribus ardentiùs deſideratur; quamquam & hos ad authores copioſiores dimittimus, quales ſunt *Bruſchius, Hermes, Bucelini, Corbinianus Chamm &c.*

TABULA TOPOGRAPHICA.

§. I.
DE DUCATU WüRTENBERGICO ALIISQUE PROVINCIIS ET REGIONIBUS IN CIRCULO SUEVICO.

INter Seculares Status in Circulo Suevico (aliqui primò poſuêre loco Archiducem Auſtriæ) primum obtinuit locum Dux Würtenbergicus, cujus majores è ſtatu Comitum in Ducum Jmperij numerum à Maxiliano I. Cæſare ſunt ſcripti, & privilegiis ampliſſimis exornati.

Ducatus Würtenbergicus ſanè inter Ducatus pretioſiſſimos numerandus tam longitudine, quàm latitudine 20. ferè numerat milliaria Germanica. Verſus Septentrionem jungitur Franconiæ; verſus Orientem reliquæ Sueviæ; verſus Meridiem Principatui Hohenzollerano & Fürſtenbergico; verſus Occidentem Marchionatui Badenſi, nec non Ditionibus Auſtriacis. Urbes in Ducatu Würtenbergico ſunt ſequentes:

Stut-

Stutgardia. Tubinga. Schorndorffium. Calba. Leonberga. Sulza. Nurtinga. Weiblinga. Würtenberga. Tecca. Kirchemium. Uracum. Duellium. Dutlinga. Heidenhemium. Göppinga. Novoſtadium. Weiltinga. Freudenſtadium &c.

Terra Würtenbergica à nonnullis Geographis Superioris Germaniæ Paradyſus cognominata ob ſuam fertilitatem abundat vino, frumento, animalibus domeſticis & ſylveſtribus. Dant Würtenbergici ſubditi operam mercimoniis: unde tam ex his, quàm illis colligit Dux Würtenbergicus ferè quovis anno unum alterúmve, imò ſupra tres florenorum milliones ſeverus tributorum exactor.

In varios ramos excrevit ſtemma Würtenbergicum; ramus enim primus dicitur Stutgardicus; alter Neoſtadianus; tertius Mümpelgardianus; quartus Weiltingianus, ſeu Julianus & Brentianus; quintus denique Sileſianus, quorum unus altérve non ita pridem ſuccubuit falci mortiferæ.

Dux Würtenbergicus una cum Epiſcopo Conſtantienſi præſidet univerſis in Circulo Sueviæ Statibus; unde hos ſuo tempore convocant, & jura dictant. Eſt verò Dux Würtenbergicus Archiducis Auſtriæ, ùt vocamus, Feudatarius ea ratione & lege, ut ſi tota Familia Würtenbergicorum Ducum extingueretur, Archidux Auſtriæ ſuccederet. *Nauclerus, Münchſmayr, Hübner, Faſciculus Geographicus. &c &c.*

§. II.

DE MACHIONATU BADENSI UTROQUE.

PRoximi hoc in Circulo Duci Würtenbergico tam dignitate, quàm loco ſunt propinqui Marchiones Badenſes Catholicus & Luthero addictus, quorum ſtemma profectò antiquiſſimum & nobiliſſimum Duces Zeringenſes jam priſtinis Seculis contingebat proximè; ſiquidem ex eodem patre Bertholdo I. deſcenderunt duo filij Bertholdus & Hermannus I. quorum hic Ditiones Badenſes cœpit, ſeu perrexit amplificare, ille verò in Briſgoja dominari.

Poſt Chriſtophori I. Marchionis fata an. 1527. ex quinque filiis relicti duo Bernardus & Erneſtus ita diviſerunt bona, ut Bernar-

do Superior, Erneſto Inferior pars Marchionatûs Badenſis ſubderetur, quæ diviſio etſi ſucceſſu temporis fuerit impugnata plurimùm à Linea Durlacenſi, imperante tamen & favente Cæſare Ferdinando II. Linea Badenſis Superior conſtanter fuit conſervata, & maximi æſtimata. Marchionatus itaque Badenſis ad Rhenum ſitus, cùm in partes varias ſit diſtractus atque diviſus, nec latitudinem, nec longitudinem ejusdem bene metiri licet.

In Marchionatu Badenſi Superiori ſunt Raſtadium. Badena. Stollhofa. Munimentum Kehl. Eberſteinium. Bühla. Pforzhemium. Offenburgum &c. Comitatus Ortenaviæ.

Inter Ditiones Marchionis Badenſis cenſentur etiam præter alia hoc loco brevitatis causâ omiſſa, Spanhemium in Palatinatu Inferiori; Bodenmachera in Ducatu Luxenburgico.

In Marchionatu Badenſi Inferiori eminent Durlacum, Pfortzhemium; in parte ſupra Argentoratum & infra Baſileam ſita in ſpatio intermedio

Lohra. Hochberga. Rœtelium. Sauſenberga. Fridlinga. Omittuntur urbeculæ & oppida nonnulla.

Superior Linea eſt ex aſſe Catholica, & armorum ſimúlque victoriarum gloriâ perquam celebris, utì legere eſt in Serie Marchionum Badenſium; imò pueri puellæque celebrant carminibus Germanicis Ludovici Herois fortiſſimi juxta ac prudentiſſimi facinora, poſt mortem ejusdem, quàm in vita apertiùs celebrata. Linea Inferior Luthero favet & priori Seculo tota quanta adhæſit Suecorum & aliorum Cæſaris inimicorum partibus; unde etiam confinium ſuorum majorem, quam Suecorum vim expertum etiam eſt Briſgojæ Friburgum, & vicinæ Ditiones Auſtriacæ. Cæterùm proventus tam unius, quàm alterius Marchionis Badenſis facilè æquant per annos ſingulos trecenta florenorum millia. Vide *Hiſtoriam Badenſem variorum authorum* præſertim *Guiliman. Fugger &c.*

§. III.

DE PRINCIPATU HOHENZOLLERANO &c.

IN Circulo Suevico dignitatis ordine veniunt poſt Marchiones Badenſes Hohenzellerani Principes, quorum Principatus ferè uni-

univerſus cingitur Ditionibus Würtenbergicis & Fürſtenbergicis. Longitudine ſua complectitur milliaria Germanica novem circiter, latitudine verò etiam ſumma vix duo milliaria: pleriſque enim in locis arctiſſimè conſtringitur.

Princeps Hohenzolleranus Hechinganus poſſidet urbes Hechingam & Zollernum; Sigmaringenſis verò Sigmaringam, Veringam, Heigerlochum &c. Uterque Princeps ſingillatim colligere creditur ex Principatus ſui bonis in annos propemodum ſingulos 40000. florenorum, aut fortaſſis 50000.

Principes Hohenzollerani priſtinis jam Seculis Comites Nobiliſſimi, Ducibus Bavariæ ex Guelphorum ſtemmate natis & aliis ſupremis in Germania Ducibus ſanguinis cognatione antiquiſſima erant conjuncti; ſunt itidem adhuc hodie Boruſſorum Regi, ſeu Electori Brandeburgico & aliis Familiis per Germaniam, quin Europam univerſam celeberrimis ſanguinis & affinitatis propinquitate conjuncti. Thaſſilo omnium Comitum nomine Hohenzolleranorum primus an. Chriſti 800. mortuus reliquit poſt ſe longam Comitum & denique Principum Seriem.

Diviſi jam pridem ſunt Comites Hohenzollerani in tres Lineas, nimirum jam Seculo XVI. imperante Carolo V. in Lineam Höchingenſem, Sigmaringenſem & Haigerlochenſem, quarum hæc ultima exſpiravit Chriſtophoro Comite & filiis duobus mortuis. Priores florent etiam hodie, quarum utraque elapſo proximè Seculo à Ferdinando II. Jmperatore Principibus Jmperij ob merita in Eccleſiam & Jmperium Romanum inſignia eſt annumerata an. 1623.

Ex Comitibus Hohenzolleranis complures belli gloriâ fuerunt clariſſimi; unde à Maximiliano I. & Carolo V. variis ditionibus & honoribus ſunt exornati. Singularem omnino laudem promeritus eſt Frdericus V. cognomento Eytel dictus, qui Carolo V. acceptiſſimum ſe reddidit, quòd armis minimè potuerit vinci, aliquando quadragies impetu ab hoſtibus in Hiſpaniæ urbem facto tentatus, nunquam tamen ſuperatus; unde ex invidia ab Hiſpano æmulo fuit enectus venenô. Taceo alios ſuis facinoribus quondam per Germaniam, Hungariam, Jtaliam, Hiſpaniam & Galliam famoſiſſimos, atque

ideo

ideo ab omnibus Jmperatoribus Auſtriacis magni æſtimatos. Vide *Circul. Saxoniæ Superioris de Electoribus Brandeburgicis origine Hohenzolleranis.* Vide *etiam Buceln. Imhof. Chronicon Conſtantienſ. Hiſtoricos Brandeburgicos &c.*

§. IV.

DE PRINCIPATU OETTINGENSI &c.

INter Principes in Circulo Suevico ſuus etiam eſt honor eximius Principi Oettingano, & Comitibus hujus ipſius nominis & ſtemmatis, quorum poſſeſſiones in finibus Sueviæ à Septentrione tangunt Franconiam; ab Oriente Comitatum Papenhemienſem & Burgenſem; à Meridie hunc ipſum Comitatum; ab Occidente partem Ducatus Würtenbergici & Præpoſituram, utì appellamus, Elvacenſem: eædem poſſeſſiones ſequuntur hoc ordine alphabetico.

Allerhemium. Baldera. Dürvvanga. Flochberga. Aufkirchium. Chriſtgartum. Superior & Inferior Hauſa. Harburgum. Kazenſteinium. Kirchhemium. Münchſrotta. Oeffinga. Oettinga. Somershemium. Spielberga. Wallerſteinium. Zimmera.

Comites Oettingani inter antiquiſſimas Sueviæ Familias minimè poſtrema aut media, utpote jam Seculo X. imperante Cæſare Ottone M. celeberrima ad noſtram uſque ætatem perſeveravit eſſe florentiſſima; cùm Leopoldus Jmperator Auguſtiſſimus an. 1674. Albertum Erneſtum inter Jmperij Principes numeraverit.

Linea Comitum Oettingenſium dicta Wallerſteiniana Succeſſu temporis diviſa eſt in Lineas tres diverſas, ſcilicet in Wallerſteinianam, Spilbergianam & Kazenſteinianam, ex quarum ultima Crato Antonius Wilhelmus hodie floret; reliquæ etiam duæ Lineæ hæredes ad virtutem inſtruunt maſculos. Cæterùm Comites Oettingani ex aſſe Catholici pro Doctrina Romana crebrò in campis Martiis fuderunt ſanguinem & aliàs ſolverunt aurum copioſum. In aulis & curiis quoque Ducum, Regum quin & Jmperatorum Rempublicam Chriſtianam promoverunt multoties ſaluberrimis conſiliis & potentiſſimis auxiliis. Vide *Imhof. Bucelin. & alios.*

§. V. DE

§. IV.

DE PRINCIPATU FÜRSTENBERGICO.

IN Circulo Suevico, quin in Jmperio univerſo excelſum dignitatis & honoris apicem promeriti ſunt pridem Comites quondam, hodie verò Principes Fürſtenbergici, quorum Principatus veluti in ſemicirculum inflexus, ſemi-rotunda ſua longitudine æquat circiter 20. milliaria Germanica. Quibusdam in partibus octo, aliis quatuor, aliis demum vix uno eſt milliari latus. Numerat urbes & oppida varia, præcipua eorundem ſunt

Fürſtenberga. Möskirchium. Doneſchinga. Stülinga. Heiligenberga. Trochtelfinga. Jungenavia. Löffinga. Baarum. Blumberga. Wolfachium. Haslachium. Dulinga. Greiſinga. Enga. Neidinga.

Harum omnium urbium &c fructus univerſi ſuis Principibus videntur annuatim parere 200000. florenorum, aut longè plura.

Principes Fürſtenbergici ſunt antiquiſſimæ proſapiæ: eorundem enim author & parens primus, aut primis poſterior longè Egon I. ante Carolum M. Seculo poſt hominum Redemptionem ſeptimo jam floruit Comitis nomine inſignitus, oriundus ex ſtemmate, ùt fides eſt Agilolfingicorum Ducum. Ab eodem proinde per plures, quàm decem annorum centurias ad nos uſque deſcenderunt nunquam interrupta generationum ſerie partim Comites, partim nunc Jmperij Principes numerô facilè centum, omnes vel Togâ, vel Sago, Infùlis vel etiam Purpurâ inſignes; utì, ſi ſileant domeſtici & populares, fatebuntur externi & ipſi hoſtes plurimi in Gallia, Jtalia, Helvetia, Würtenbergia, Saxonia, Suecia, Hungaria &c elapſis ſeculis plurimi, qui virtutem Fürſtenbergicam dum non amârunt, magni tamen æſtimârunt.

Comites quondam Fürſtenbergici ſingularem laudem fuerunt promeriti ex eo etiam capite, quòd Lutheranorum doctrinam novam ſint deteſtati conſtantiſſimè, è contrario doctrinam Catholicorum conſervare laborârint omni tempore; unde tum ab aliis Scrip-

toribus, tum præcipuè *à Petro Caniſio* eximiis fuerunt laudibus exornati. Vide etiam *Guillimannum*, *Münchſmayr &c &c.*

Cæterùm Principum Fürſtenbergicorum hodie ſunt duæ Lineæ ſuperſtites, una Möskirchenſis, altera Stülingenſis appellata: Lineâ enim Heiligenbergicâ in Principe Antonio Egone paucos ante annos extinctâ, Ditiones ejusdem tranſierunt ad Lineam Blombergenſem, ex qua enati ſunt hodierni Principes Möskirchenſis & Stülingenſis. Vid. *Lexicon Nobil. varias Series Epiſcoporum &c.*

§. V.
DE PRINCIPATU MÜNDELHEMIENSI.

PRincipatus Mündelhemienſis quinque milliaribus longus & tribus latus, verſus Septentrionem adhæret Comitatui Kirchemienſi Fuggerorum; verſus Orientem Marchionatui Burgavienſi; verſus meridiem Principatui Eccleſiaſtico Campidunenſi; verſus Occidentem territorio Memmingenſi & parti Epiſcopatus Auguſtani.

Ditiones Mündelhemienſes ſuas olim dixerunt Comites Teckenſes; his verò abſque hærede maſculo defunctis easdem filiæ duæ ſuis maritis Comitibus de Wertheim & Rechberg in dotem attulerunt. Temporis ſucceſſu partim connubiorum, partim emptionis causâ, vel alio ſimili contractu, ùt loquuntur Jurium periti, ad varios Dominos ſunt translatæ adeò, ut Comites Schvvarzenbergici, Fuggeri & Maxelrainiani de territorio Mündelhemienſi lites invicem ſibi graviſſimas moverint. Tandem Maximilianus I. Bavarorum Dux & Elector partes adverſas ea ratione compoſuit, ut omnium trium jura & bona Mündelhemio adſita in Principatum ſuum converterit, deinceps à Bavariæ Ducibus, ſi modicum temporis intervallum excipiamus, conſtanter poſſeſſum; qui unà cum urbe Mündelhemio & Tirckhemio Ducis Maximiliani non ita pridem piè mortui ſede principe numerat partim oppida, partim pagos triginta octo. Colliguntur ex iis annuatim facilè 20000. florenorum. Vid. *Hiſtor. Bavariæ.*

§. VI.
DE COMITIBUS IN CIRCULO SUEVICO UNIVERSIS AC FERE SINGULIS.

QUemadmodum aliàs Principum veſtigia ſequuntur proximè Comites, ita etiam in S. R. J. Circulis is obſervatur ordo, ut Principum ultimo aſſideat Comitum primus & ſic deinceps. Probè obſervandum eſt hoc & locis aliis, diverſum eſſe ordinem in Jmperij Circulis ab eo, qui obſervatur in Comitiis Jmperij plenis, ubi nimirum conveniunt ſinguli ac univerſi in Jmperio Status, ut locum ſuum occupent, & ſuffragium ferant obſervato dignitatis ordine: in Comitiis quoque Comites in quatuor Ordines, ſeu Scamna diſtinguuntur, qualem ordinem aliàs neſciunt Circuli ſinguli. *Michael Münchſmayr, Lexicon Nobil. & alij* Comites in Circulo Suevico collocârunt ſequentes.

Comites Oettinganos & Fürſtenbergicos vide inter nominis hujus Principes.

I. Comites ſeu Barones de Freyberg, qui in Suevia poſſident Ditiones Juſtingen & Stauffenegg &c. Horum nobilem ſtirpem inchoâſſe ſeculo IX. creditur Curtius de Libero monte Eques Romanus.

II. Comites Fuggeri, quos Cæſares Maximilianus & Carolus V. permagni æſtimârunt, & demum in Comitum Jmperij numerum adſcripſerunt. Fuggerorum Ditiones facilè ſeptem milliaribus longæ, & ferè tribus latæ ab Ulmenſi territorio pertingunt uſque ad Epiſcopatum Auguſtanum.

III. Comites de Gravenegg & Eglingen, quorum author jam Seculo VIII. inclaruit. Comitatus eorundem haud procul Nördlinga diſtat.

IV. Comites de Hohenembs, quorum ſupremus parens fuiſſe traditur Theodoricus Seculi XII. Eques clariſſimus. Ditiones eorundem ſunt in Suevia Superiori non procul diſſitæ à lacu Acroniano.

V. Comites de Königſegg quorum author an. 650. prope Altorffium arcem Königſegg ædificâſſe fertur. Comitatus horum eſt

medius inter Principatum Fürſtenbergicū & Comitatum Waldburgenſem: pars Ditionum alia Epiſcopatui Auguſtano proxima eſt poſita ſupra Principatum Campidunenſem.

VI. Comites de Montfort inter antiquiſſimos, nobiliſſimos & ditiſſimos Jmperij Comites jam pridem numerati ſunt. Comitatus eorundem adjacet lacui Podamico.

VII. Comites de Pappenheim, quorum origo eſt admodum celebris & antiqua: ſunt ad Danubium intra Dilingam & Donavverdam ſita eorundem bona; alia verò in finibus Sueviæ prope Comitatum Oettinganum.

VIII. Comites de Rechberg, quorum Comitatus eſt adſitus Territorio Elvacenſi, & verſus Orientem ſimul ac Occidentem Ducatui Würtenbergico. Pars alia eſt in Algoja infra Abbatiam Campidunenſem.

IX. Comites de Sinzendorff, quorum ſtem̃a inchoavit vel continuavit Ethico frater D. Conradi Epiſcopi Conſtantienſis Seculo XI. In horum Ditionibus numerabatur olim Dominatus Thanhuſanus in Suevia, quem nunc poſſident Comites de Stadion.

X. Comites de Truchſeſſ, Waldburg, Wolffegg & Zeil authorem ſtirpis ſuæ dixerunt Heſſonem Comitem de Thaun, qui anno 955. in prælio contra Hunnorum copias commiſſo præclarè cecidit. Horum Comitatus ad Danubium ſitus longitudine ſua æquat ſex milliaria Germanica; Pars major eſt ſita inter Comitatum Königſeggenſem & Principatum Campidunenſem.

Inter Comites Sueviæ modò emortuos numerati ſunt prioribus Seculis Comites de Sulz, Geroldſegg, Eberſtein, Helfenſtein Cronberg, aliiq; plures &c, quorum Ditiones amplas Dux Bavarus & Würtenbergicus, duo Principes Fürſtenbergicus & Schvvarzenbergicus, Marchio Badenſis, Comites de Wolkenſtein, Cronsfeld, duæ urbes Jmperiales Spira & Ulma vendicârunt ſibi; Dux enim Bavarus de Comitatu Helfenſteinio poſſidet Wiſenſteigenſe Dominium; Princeps verò Fürſtenbergicus Möskirchium, Gundelfingam & Wildenſteinium; Ulma denique Geislingam & Helfenſteinium.

Dux

Dux Würtenbergicus de Comitatu Eberſteinio impetravit partem primam; Marchio Badenſis partem alteram; Comes Wolkenſteinius partem tertiam; Comes de Cronsfeld partem penultimam; Spira partem reliquam.

Princeps Schvvarzenbergicus de Comitatu Sulzenſi obtinuit partem majorem; Princeps verò Eürſtenbergicus minorem, aut fortè æqualem.

Marchio Badenſis Durlacenſis laborat hodie Comitatum Geroldſeggenſem ſibi vindicare, cui tamen obſtat Baro de Layen.

Comitatum Bondorffenſem emptionis beneficio vindicavit ſibi Præſul ad S. Blaſium in ſylva Hercinia.

§. VII.
DE URBIBUS JMPERIJ IN CIRCULO ET SCAMNO SUEVICO.

URbes Jmperiales ſunt in Scamno 37. ùt vocant Suevico Ratisbona Seculo Chriſti I. à Tiberio Cæſare condita, & Auguſta Tiberij nuncupata, quam temporis ſucceſſu maximam ſui partem dirutam Henricus Auceps Seculo IX. reſtauravit. Pertinet ad Circulum Bavaricum.

Auguſta Vindelicorum ab ipſo Cæſare Octaviano Auguſto ædificata, cum tempore ſæpiùs impugnata, & expugnata, & à diverſis Jmperatoribus reſtituta; laudem in eadem reſtituenda ſunt ante alios promeriti duo Friderici & Conradi ex ſtemmate Suevorum Jmperatores.

Norimberga jam Seculò Chriſti primô, vel ab Jmperatore Tiberio, vel à Druſo Nerone Tiberij fratre ædificata; vel ſi ritè ſcripſerunt alij, à Noricis adversùs Hunnos condita eſt. Ludovicus III. Jmperator eam Jmperij urbem jam creâſſe dicitur. D. Henricus eandem nova gubernandi methodo inſtruxit, & mœnibus novis magnam partem cinxit; Conradus verò II. eandem ampliorem reddidit &c. Numeratur in Circulo Franconico.

Ulma à non paucis Scriptoribus jam Seculo Chriſti IV. ædificata eſſe fertur. Carolus M. anno Chriſti 813. eandem Monaſterio Au-

giæ Divitis dono dedit. Lotharius II. Jmperator Ulmam expugnavit & magnam partem ſolo æquavit, quam tamen Conradus III. denuò reſtituit adjectîs multîs privilegiîs. Ludovicus Bavarus Ulmam pecuniis Jmperio vel emiſſe vel redemiſſe ſcribitur.

Eſslingam quoad originem ſuam ferè non notam Fridericus II. an. 1215. ex oppido vel pago urbem effecit, quamvis dicatur, Henricum IV. jam anno Chriſti 1077. Eſslingæ Comitia Jmperij celebrâſſe. Fridericus III. ſeu cognomentô Pulcher Eſslingam bis incaſſum obſidione preſſit.

Reütlinga an. 1215. ædificata à Friderico II. mœnibus fuit circumdata. Maximilianus I. dedit Reütlingæ tantum privilegium, ut homicida non proditorius totius vitæ tempore poſſit tutò latere & conquieſcere abſque detrimento bonorum temporalium.

Nördlinga à Claudio Tiberio vel ædificata, vel nobilitata; in eadem Veſpaſianus diis aras erexit. Bis incendiô ferè totam conſumptam Fridericus II. reſtituit & privilegiis ornavit; Ludovicus verò Bavarus ampliorem reddidit.

Rotenburgum ad Tubarim fluvium Seculo V. jam ædificatum, à Friderico Ænobarbo Jmperij urbs dictum, à Rudolpho Habſpurgico & alijs Jmperatoribus privilegiis donatum &c.

Hala Suevorum an à Romanis fuerit ædificata, dubitatur. Hoc ſatis certum, fontes ſalſos originem urbi dediſſe, cùm accolæ ejuſmodi fontibus allecti coquendo ſali cœperunt operam dare & ibidem habitare.

Rottvvila quo tempore ſit condita, ignoratur. A Conrado III. an. 1146. propter fidem & fidelitatem Cæſari exhibitam Judicio Aulico fuit honorata. *De hoc Judicio vide plura in Schvvedero & Quodlibet. Rottvvilano, ac alijs Authoribus multis.*

Uberlinga quo tempore & ipſa ſit extructa neſcitur. Seculo Chriſti VI. Duces Sueviæ Uberlingæ ſedem ſuam principem conſtituerunt. Seculo autem XIII. Jmperij urbibus eſt annumerata an. 1632. & an. 1634. à Suecis fruſtra fuit impugnata.

Heilbrunna ſub Friderico II. an. Chriſti 1240. mœnibus circumdata, & inter urbes Jmperij numerata.

Gemun-

Gemundia Suevorum anno 1090. cœpit ædificari, ab Jmperatoribus verò Conrado III. & Friderico Ænobarbo partim aucta, partim privilegiis eſt ornata.

Memminga creditur à Romanis eſſe ædificata, quamvis non deſint authores, qui anno 777. adhuc pagum fuiſſe aſſerant.

Lindavium Seculo IX. ædificari cœptum primò, ibidem condito Monaſterio erat ſubditum. Seculo X. fertur ab Hermanno Suevorum Duce flammis ſubjectum & Monaſterio fortè ereptum.

Dünckelſpila an. 928. ab Henrico Aucupe Jmp. adversùs Hunnorum impetus in urbem extructa & mœnibus circumdata; an. dein 1126. duplicatis vallis & muris eſt roborata.

Biberacum an. 800. adhuc pagus, temporis ſucceſſu augmentum accepit; Fridericus II. mœnibus circumdedit, & novis inſignibus ornavit. Maximilianus I. nondum Jmperator à ſuismet ſubditis Brugenſibus in Belgio inſtar captivi detentus, permovit Biberaci cives, ut milites legerint, & Maximilianum libertati reſtituere laborârint; unde ab eodem Maximiliano nobilioribus inſignibus & privilegiis ſunt honorati.

Ravenſpurgum olim Gravenburgum nuncupatum Saturninius Comes fertur ædificâſſe Seculo Chriſti fortè 11. In arce hujus urbis natus eſt Fridericus I. Jmperator.

Schvveinfurtum ad Mænum jam circa annum 217. dicitur eſſe ædificatum. Prioribus longè Seculis Comitibus Hennebergicis ſubjectum, dein Sueviæ Ducibus aſſertum, denique inter urbes Jmperij fuit collocatum.

Campidunum inter antiquiſſimas urbes meritò numeratum fuit Seculis priſtinis Sedes Ducum Sueviæ; inter quos Hildebrandus genitor D. Hildegardis Jmperatricis, Caroli M. conjugis eſt memorabilis. Hac ipſa in urbe aut ejusdem vicinia Hildegardis erexit Monaſterium totam per Europam celeberrimum. Princeps hic Abbas eſt Archimareſchallus Jmperatricis, qui eidem in Comitiis publicis ſceptrum præfert.

Weinshemium urbs in Franconia an. 425. à Windegaſto Francorum Principe fertur ædificata, *an. autem* 1428. adversùs Huſſitas majoribus foſſis & mœnibus præmunita.

Kauf-

Kauffburam Guido Jmperatoris Lotharij I. conſiliarius & aulicus circa annum 842. dicitur ædificâſſe. A Rudolpho I. Adolpho, Ludovico IV. Wenceslaô, Sigiſmundo, Friderico IV. & Maximiliano I. Jmperatoribus multis privilegiis eſt donata. A Teccio Principe Mindelhemienſi Dynaſta an. 1377. & an. 1388. à Ducibus Bavariæ fruſtra oppugnata; poſterioribus verò Seculis à Suecis & Gallis expugnata plurimas tulit injurias.

Wilam Fridericus II. ex pago in urbem convertit.

Wangenæ origo latet. Cives in eadem Orthodoxæ Doctrinæ addictiſſimi, ſtrenuè artibus & mercimoniis dicuntur admovere manus.

Jſna à ferro ſic dicta an. 1073. cœpit ædificari; à Carolo IV. Jmperatore inter Jmperij urbes numerata eſt, poſtquam prioribus ſeculis Comitibus Truchſeſſiis, ùt vocant, obedivit.

Pfullendorfium quo tempore conditum, neſcitur an. 1180. Fridericus I. Jmperaror à Rudolpho Comite Pfullendorffio venditam accepit.

Offenburgum anno 600. à regio Principe, Offo nomine, fertur ædificatum.

Leutkirchium qua ætate ſit conditum, non legitur.

Wimpfam neſcio quo tempore extructam celebriorem reddiderunt an. 1622. Joannes Tillius & Marchio Badenſis Durlacenſis, dum contra ſe prælium inierunt.

Weiſſenburgum Septentrionale non procul Euſtadio ſitum, quibus exordiis cœptum, & augmentis amplificatum, non fuit invenire.

Giengæ originem neſcimus; Carolus IV. conſentientibus Jmperij Proceribus an. 1354. Comitibus Helfenſteinianis tanquam Feudum conceſſit; ſucceſſu temporis verò Jmperio fuit reſtituta.

Gengenbachium an. 1224. ædificatum, habet Monaſterium inſigne, quod Priminius Argentorati Epiſcopus jam anno 724. condidit.

Zella in valle Kinzingana nec conditorem ſuum, nec alia memoratu digna in lucem Jmperio publicam edidit.

Buchor-

Buchornia, uti videtur, à ſuis Comitibus hoc ipſo nomine appellatis, jam lapſis ante Carolum M. Seculis eſt ædificata. An. 1291. & 92. ab Epiſcopo Conſtantienſi & Abbate Principe S. Galli fuit expugnata.

Alena, quondam Ducibus Würtenbergicis ſubjecta, à Carolo V. Jmperatore urbibus Jmperij eſt annumerata, dum Eberhardum ſeditioſum Principem oppugnavit.

Buchavia à vetuſtiſſimis Sueviæ Ducibus, uti fides eſt, ædificari cœpta & amplificata, Seculo IX. ſecundum magnam ſui partem incendiô vaſtata, à Ludovico I. Cæſare eſt reſtituta.

Bopfinga in Rhætia non procul Nördlinga, qualem conditorem nacta ſit, latet. Seculo XIV. à Dominio Würtenbergico ſe liberam conſtituit, & Jmperij urbibus annumeravit.

CIRCULUS VII. RHENANUS SUPERIOR.

TABULA TOPOGRAPHICA CIRCULI UNIVERSI.

§. I.

CIrculus Rhenanus Superior in duas partes dividitur, in Meridionalem & Septentrionalem; prior cis, poſterior trans Rhenum latè extenditur, ſi tamen Ditiones Lotharingicas & Alſatiam cum Suntgoja annumeremus, veluti olim annumerârunt tam Juriſperiti publici, quàm Geographi præſertim Germani. Hoc itaque modo intellecta tam pars cis, quàm trans Rhenana ſeorſim, longitudine ſua comprehendit milliaria Germanica 42. circiter; latitudine verò ſumma 34. milliaria. Si Lotharingiam & Alſatiam atque Suntgoiam demamus, trans Rhenum hoc in Circulo comprehenduntur ſolùm pars Epiſcopatûs Spirenſis, Wormatienſis,

 Terri-

Territorium Epiſcopatus Baſileenſis, Ducatus Bipontinus, Palatinatus Birckenfeldenſis, Comitatus Spanhemienſis, & Mons-Bellicardenſis, qui cùm ab invicem diſtent longiſſimè, eorum nec longitudinem nec latitudinem metiri licet facilè.

Circulus Rhenanus Superior more Circulorum aliorum conſtat Statibus Eccleſiaſticis & Secularibus; Status Eccleſiaſticos priori, Seculares poſteriori loco paucis accipe deſcribendos.

§. II.

DE EPISCOPATU WORMATIENSI.

Epiſcopatus Wormatienſis in utraque Rheni conſtitutus ripa circumcingitur undique Ditionibus Palatinis: ipſe ſex milliaribus circiter longus, quinque verò latus, ubi eſt latiſſimus; vix unum alterúmve milliare reliquis in locis ſua latitudine metitur. Urbes & oppida in Epiſcopatu ſunt ſequentes.

Dürnhemium, alijs Dürnſteinium. Ladenburgum. Nekerſhuſium. Strashemium. Altenbachium. Hinterbachium.

Düſſeldorffium inter Feuda Epiſcopi Wormatienſis numeratur; Wormatia annis ſingulis dicto ſacramento obedientiam ſpondet ſuo Epiſcopo; tributa tamen recuſat ſolvere.

Epiſcopatus hic ſicuti jure cenſetur inter Epiſcopatus antiquiſſimos, ita meritò numerandus eſt inter indigentiſſimos, in annos ſingulos difficulter numerans in proventibus ſuis 40000. florenorum.

Epiſcoporum omnium primum Wormatiæ ſediſſe Victorem nomine Hiſtorici referunt, quem anno 346. Synodo Colonienſi præſentem adfuiſſe, & contra Arianos pugnâſſe legimus. Wormatiæ primò Archiepiſcopatum erectum uſque ad Seculum VIII. perſeverâſſe ſuperiùs retulimus, ubi de Archiepiſcopatu Wormatiâ Moguntiam translato egimus. In Serie Archiepiſcoporum Wormatienſium præ reliquis nomen celeberrimum poſteris reliquerunt DD. Amandus, Rupertus & Burchardus &c. In Cathedrali Eccleſia Canonicos numerant alij novem, alij tredecim non annumeratis junioribus, quorum Epiſcopus eſt hodie ab anno 1694. Franciſcus Ludovicus Dux Palatinus Archiepiſcopus ſimul & Elector Treviren-

virenſis &c, cujus maxima in Eccleſiam & Jmperium merita poſteris deſcribenda relinquimus, ne vivi videantur blandiri vivis: eſt hic ipſe Epiſcopus Director, ùt vocamus, Circuli ad Rhenũ Superioris.

§. III.

DE EPISCOPATU SPIRENSI.

EPiſcopatus Spirenſis non minùs quàm Wormatienſis in parte Rheni Orientali & Occidentali conſtitutus circumdatur Palatinis Ditionibus. Pars Orientalis ſua longitudine 5. pars Occidentalis 6. milliaribus Germanicis eſt æqualis. Latitudo ſumma 4. milliaria non ſuperat. In Epiſcopatu Spirenſi urbes & oppida Epiſcopo ſubjacent,

Spira obedientiam ſolet ſpondere Epiſcopo, cujus in arbitrio ſunt poſita quædam officia ad magiſtratum urbis pertinentia. Tabernæ Rhenanæ, Rheinzabern. Bruchſala. Eppinga. Hershemium. Hornbachium. Lauterburgum. Meideburgum Rheinhuſium. Rottenburgum &c.

Epiſcopatui acceſſit princeps Abbatia Weiſſenburgica in Alſatia, quæ annuente Paulo III. Roman. Pont. à Carolo V. Jmp. Epiſcopo Spirenſi eſt aſſerta.

Epiſcopatus Spirenſis inter antiquiſſimos laudatus, utpote primo Chriſti Seculo ex multorum opinione jam inchoatus, multo tempore etiam inter Epiſcopatus Germaniæ ditiſſimos fuit æſtimatus. Verùm proventuum partem nimiùm magnam rapuerunt bella varia, & Lutheri doctrina multis Eccleſiaſticis bonis malè fundata. Epiſcopi proinde annui proventus centum florenorum millibus cenſentur nunc eſſe paulùm majores, nunc multò minores, pro varietate nimirum temporum & tempeſtatum, quales hactenus ita fuerunt frequentes, ut Spira, ſeu potiùs Spirenſis Epiſcopatus plurimis preſſus malis vix non penitus exſpiraverit. Quamvis Spirenſium Epiſcporum longa Series ferè nullum, aut admodum paucos numeret Epiſcopos in Divorum catalogum à Viſibili Eccleſia relatos, nihilominus multos eorundem commendavit poſteris inſignis morum probitas, rara in perferendis adverſitati-

bus patientia & conſtantia, excellens doctrina & ſcientia, perſpecta multis Jmperatoribus prudentia, & in rebus publicis componendis dexteritas aliæque virtutes multæ; Seculo namque IX. Gebhardus & Bernardus Epiſcopi à nobilibus ſunt oculis orbati & occiſi; Seculis reliquis Epiſcopi plerique à civibus ſuis bello domeſtico perpetuo ſunt vexati. Davidem & Ottonem I. permagni æſtimavit Carolus M. Reginobaldum & Odogarium conſiliis ſuis adhibuit Otto M. Baldericum humili loco natum; ſed literis apprime inſtructum Otto II. & III. quibuſvis alijs præhabuerunt. Waltherum Conradus II. inſigni liberalitate recreavit donando Ditiones novas & extruendo ædes ſacras, inter quas eminuit Cathedralis. Conradus I. ab Henrico III. & IV. Bruchſalam & Epingam donatas accepit, & ſic de alijs. Cæterùm Canonci tantùm novem Spiræ ſunt ſuſcepti, non annumeratis duodecim junioribus.

§. IV.

DE EPISCOPATU ARGENTORATENSI.

STatus Eccleſiaſticus in Circulo hoc tertius fuit Epiſcopus Argentoratenſis, & etiamnum erit, ſi bona in Jmperio Romano ad Epiſcopatum Argentinenſem pertinentia poſſideat, uti hodie cis Rhenum in Briſgoja & infra poſſidet,

Oberkirchium. Ettenhemium. Oppenaviam.

In Alſatia Molshemium. Tabernas Alſaticas. Ruffachium. Bennfeldam. Altorffium. Dachſteinium. Iſenburgum. Rochersbergam. Wangam &c.

Ditionum harum aliquot Joannes II. Epiſcopus Argentoratenſis à Joanne Comite Oettingano defuncti Landgravij, ut appellant, hærede emptionis beneficio accepit; unde Alſatiæ Landgravium etiam hodie dicunt Argentinæ Epiſcopum: Ditiones alias jam dederunt Dagobertus Franciæ Rex, & D. Henricus Jmperator; unde noſtra etiam ætate inter totius Franciæ Epiſcopatus ditiſſimos jure cenſetur Argentoratenſis, cui nimirum ex tot Ditionibus obveniunt quovis anno facilè centum florenorum millia.

Primus omnium Epiſcoporum Argentoratenſium D. Amandus Seculo VII. circa annum 640. auxilijs Dagoberti Regis ſuffultus, Epiſcopatui huic fundamento poſuit. S. Amando vitæ ſanctitate non inferiores Succeſſores fuerunt S. Arbogaſtus, S. Florentius, S. Juſtus, S. Maximus, S. Valentinus, S. Solarius, omnes miracaulis clariſſimi, quæ in ſanandis Dagoberti regiis liberis cooperante Deo patrârunt tres Epiſcoporum primi: Divus enim Amandus dum ſacro Baptiſmatis fonte lavit animam Sigeberti nati regii, quadraginta dierum parvulus tacente hominum concione tota addidit voce altiſſima ſanctiſſimis Divinæ Trinitatis nominibus in Baptiſmate adhiberi ſolitis clauſulam *Amen.* D. Arbogaſtus hunc ipſum Sigebertum inter venandum ab equo ſuo furioſo enectum, vivis reſtituit. Divus denique Florentius Rhodildin filiam regiam ex ſurda ſimul & muta fecit eloquentem & bene audientem. *Lege hac ſuper re Guillimannum, Sigebertum & alios.*

Cæterùm Canonici duodecim, aut fortè plures Nobilium proſapiâ maximè conſpicui conſtituunt unà cum ſupremò Capite ſuo Collegium Canonicum. Olim Catholicis mixti Lutherani chorum turbârunt, nunc inter ſolos Catholicos conſonat Muſica.

§. V.

DE EPISCOPATU BASILEENSI.

STatum Eccleſiaſticorum in Circulo hoc quartus Epiſcopus Baſileenſis Ditiones ſuas probè conjunctas poſſidet, quæ inter Suntgojam & Cantones Baſileenſem atque Solothoranum, nec non Burgundiæ Comitatum mediæ efficiunt ferè circulum ſex milliaribus circiter longum & totidem latum. Poteſtati Principis hujus ſubſunt urbes & oppida,

Bruntrutum Sedes hodie Epiſcopi. Biela. Jmmerthalium. Oppidum S. Urſicini. Delemontium. Granfeldum. Neoſtadium, Don vile. Arleshemium. S. Leodegarij oppid. in Liberis montibus. Lauffium. Schlienga in Briſgoja.

Quibus accedit Marchionatus Siſgojæ. Reditus Epiſcopales annui octoginta florenorum millibus nunc majores, nunc minores fuiſſe feruntur,

Inter urbes Epiſcopales loco primo collocata eſt quondam Baſilea non ſolùm Epiſcopi Eccleſiaſticæ, ſed & Politicæ Poteſtati ſubdita, quam denique legitimo ſuo Principi eripuit hominum iniquitas Seculo maximè XIV. & ſequentibus, Paſtores ſuos impugnans & expugnans violentiâ & Religionis arbitrio.

D. Henricus Cæſar augmentum dedit inſigne Epiſcopo Baſileenſi, dum relictas ab Hunnis ruinas Seculo XI. ſuſtulit, ædem Baſileæ principem reſtauravit, & varia Epiſcopo cis & trans Rhenum conceſſit bona & jura, inter quæ venit venatio per quaſdam Briſgojæ & Alſatiæ ſylvas Epiſcopo nunquam neganda.

In Epiſcoporum Serie quindecim capitibus ſupra quinquaginta conſtante primum obtinuit locum D. Juſtinianus Seculo Chriſti IV. Epiſcopatum feliciſſimè auſpicatus. Interfuit idem Epiſcopus Conciliis duobus, Colonienſi nimirum & Sardicenſi, in quorum primo reſtitit & ipſe Euphrati Atchiepiſcopo Arianis favente; in altero ſuffragatus eſt D. Athanaſio.

D. Juſtinianum in ſede Epiſcopi ſecutus eſt S. Pantalus (ſi Jacobo Mennels credimus) è Comitum Froburgenſium proſapia natus, & in numero Sanctorum Habſpurgici ſanguinis collocatus, quem apud Agrippinenſes Ubios extremum ſupplicium tuendæ fidei gratiâ fortiter tuliſſe, unà cum undecim Virginum millibus paris triumphi conſortem, teſtantur Bonfinius Decad 2. lib. 1. Petrus de Natalibus Epiſcopus Eſquilinus lib. 9. c. 87. Petrus Cratepolius lib. 1. de Germaniæ Epiſcopis, quorum teſtimonio accedit continuata hactenus traditio Baſileenſis Eccleſiæ &c. Hucuſque Baſilea ſacra.

Quatuordecim igitur Seculis minimùm Religio Romana Baſileæ jam floruit, ſed ita, ut Seculis duobus ultimis ſupra triticum ſua zizania copioſè ſeminaverit dœmon & homo inimicus; unde licet Principi ſuo ſolvant tributa Calviniani multi, animarum tamen eidem ſuarum ſubtraxerunt curam, ut paſtori mercenario propriam crederent ſalutem.

Canonici 17. exornant Eccleſiam Baſileenſem, ſeu ut veriùs dicam Arleshemienſem, quò venêre exules, primò Baſileâ Friburgum Briſgojæ fugati, & ibidem ſpe ſua duriùs à civitate habiti.

§. VI.

§. VI.

DE MAGISTRO EQUITUM S. JOANNIS MELITENSIUM S. R. J. PRINCIPE.

STatus Eccleſiaſticus in Circulo Rhenano Superiore quintus Magnus Equitum Melitenſium Prior per Germaniam etiam varias ſervavit ſibi & Ordini ſuo Ditiones. In Briſgoja Sedes Principis dicitur Heitershemium arx pervetuſta & magni nominis cum adſitis Dominiis pluribus; unde non rarò Principem Heitershemienſem appellare ſolemus Magnum Equitum Melitenſium Priorem.

Ordo Equitum Melitenſium jam Seculo XII. ab Honorio II. Romano Pontifice confirmatus, primùm Hieroſolymîs inſtitutus floruit. Fugere dehinc compulſi, in Inſula Rhodo contra Mahometanos ſtrenuiſſimè pugnârunt; verùm & hinc à copioſa barbarorum multitudine recedere coacti, pervenêre in Inſulam Melitam, quam Carolus V. Jmperator eisdem conceſſit eo pacto, ut nullo non tempore adversùs Turcarum inſidias ſtarent parati, quòd profectò multis jam modis præſtiterunt tanta ſui virtute ac fortitudine, ut univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ rem fecerint crebrò gratiſſimam.

Ditiones Equitum S. Joannis aliæ multæ ſunt diſperſæ per Franciam, Luſitaniam, Bohemiam, Hungariam, Daniam & quondam Angliam, ex quibus proventus ſuos annuos colligunt Præſides, quos Commendatores vulgò vocant; tales conſueverunt eſſe Equites annîs & meritîs graves. Nobilitas præſertim Weſtphalica Nobiliſſimo huic Ordini inſignem attulit honorem, ſed & ab eodem accepit ornamentum maximum; dum enim Comites, Barones aliíque Nobiles Weſtphali partim in Inſula Melita, partim aliis in locis virtutem ſuam exeruerunt, ex ijsdem multi fuerunt electi in ſupremos Equitum Germanicorum Præfectos ſeu Magiſtros. Olim diverſæ nationes octo, hodie ſeptem conſtituunt univerſi Ordinis Statum.

Ex natione prima ſunt Nobiles Galli in Provincia nati, quorum caput ex eadem natione electum inferioribus imperat & ſupremus omniũ Comẽndator appellatur. Ex natione altera ſunt Nobiles Alver-

niæ

niæ Lugdunenſes, quorum Magiſter dicitur Ordinis Mareſchallus. Nationem tertiam conſtituunt Nobiles ex Inſula Franciæ, quorum Principem vocant Supremum Hoſpitalis Magiſtrum. Nationem quartam efficiunt Nobiles Jtali, quorum Præſes appellatur Magnus Admiralis. Natio quinta conficitur ex nobilitate Aragonica, Catalonica & Navarrea, cujus Caput Magnus Conſervator audit. Sexto loco veniunt Nobiles Germani, inter quos Supremus Præfectus Magnus, ſeu Groß-*Balley* vocatur. Septimam denique nationem conſtituunt Nobiles è Regno Caſtellæ & Luſitaniæ, quorum Antiſtes tanquam Magnus Ordinis Cancellarius honoratur. Natio Anglicana deſeruit & Romam, & Ordinem hunc ex aſſe Romanum; promittunt enim Equites obedientiam ante omnes alios Romano Pontifici, dein Cæſari & Supremo Equitum Magiſtro.

§. VII.

DE PRINCIPATU ECCLESIASTICO FULDENSI.

PRinceps Abbas Fuldenſis poſſidet Provinciam inter Franconiam, Thuringiam & Haſſiam ferè mediam, quæ Buchovia, aut Fagonia vulgò conſuevit nominari: eadem longitudine ſua 12. latitudine verò æquat, aut ſuperat octo milliaria Germanica. Fulda à proximo flumine nomen trahens, eminet inter univerſa Principis hujus Dominia, cui accedunt urbes minores, oppida & præfecturæ ſequentes,

Hamelburgum. Biberſteinium. Rokenſtulium. Schildekium. Fürſtenekium. Salekium. Haſeſteinium. Brukenovium. Makenzella. Ulmbachium. Weidenovium. Hoſenfeldium. Burgovium. Mansbachium. Geiſa. Haunfeldium. Thaunium. Schlizium. Stokhuſium. Blankenovium. Ulrichſteinium &c.

Hæç aliáque jura & bona immobilia, ut cum Juriſperitis loquar, eo in ſtatu conſtanter conſervârunt Principem ſuum, aut veriùs Princeps conſervavit labore & dolore ſuo maximo bona & jura, ut is omnes in univerſo Jmperio Principes Abbates, imò Epiſcopos multos redituum copiâ ſuperâſſe abſque injuria hactenus fuerit creditus. Ducenta facilè florenorum millia hodie Eidem aſſignant;

nant, qui acu rem tetigiſſe ſe exiſtimant: alij verò qui duplum aut triplum aut omnino quadruplum addiderunt, non multùm à veritate aberrâſſe ſe autumant.

D. Bonifacius totius Germaniæ Apoſtolus & Patronus à Deo datus Principi huic ſedi ac Monaſterio fundum quæſivit & invenit feliciſſimè, D. Zacharia Pontifice, Pipino Genitore & Carolo M. filio votis reſpondente, quorum ultimus Fuldenſem Abbatem Epiſcoporum & Archiepiſcoporum poteſtate liberum ac exemptum voluit, quin per Germaniam ſaltem Abbates inter Primatem conſtituêre, ſi Scriptorum calami non errent: Jmperator verò Jmperatricis Archi-Cancellarium dixit; unde etiam inter Jmperij Principes eminet poteſtate, dignitate & privilegiis antiquiſſimis.

Abbatiam Fuldenſem jure quis nominâre poterit *Sedem Sapientiæ & Patientiæ*; ab octavo enim ſeculo uſque ad præſentem diem plurimos ab omni virtutum & ſcientiarum genere viros celebratiſſimos atque ſuæ multíſque aliis Eccleſiis educavit: unde in copioſa Principum Abbatum Serie, & copioſiſſimo Religioſiſſimorum ſimúlque Nobiliſſimorum ejus loci Virorum catalogo eſt numerare plurimos Autores & Doctores à virtute & doctrina meritò æſtimatos. Inter vivos ſi teſtes deſint, aperiantur libri, teſtes omnium fortè incorruptiſſimi, quos magno numero multorum bibliothecæ colunt, non niſi Fuldenſium Patrum partus doctiſſimos. Dolendum ſummopere, quòd Mars librorum oſor maximus Fuldenſis bibliothecæ partem optimam deſtruxerit, præſertim ea tempeſtate, qua furioſi agreſtes latè omnia furori ſuo conſecrârunt, & dein per annos triginta Seculo XVII. Germaniam univerſam, præſertim verò Fuldenſem provinciam ferro, igni & diris omnibus devoverunt: ſola certè librorum & Muſis ſacratarum rerum jactura aureorum millionem ſuperâſſe fertur. Armis acceſſerunt aquarum eluvies & incendia frequentia, quæ damna reliqueruut maxima.

Cæterùm nobilitas Germaniæ etiam vetuſtiſſima Fuldenſium Seminario ſe faſſa eſt obſtrictiſſimam; Caroli enim M. ætate numerati ſunt præcipuè Germanorum Nobilium ſexcenti, qui Fuldæ à virtutibus, literis & artibus variis ornamentum hauſerunt. Non mi-

nùs Nobilium, quàm Epiſcoporum & Abbatum Seminarium Fuldam quis jure dixerit; tot enim cenſuerunt jam novem ſecula Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates ab extraneis Eccleſiis & Monaſteriis poſtulatos, ut integris centuriis major ſit numerus univerſorum. Quare non immeritò pronuntiavit, quicunque dixit, portæ inferi non prævaluerunt adversùs eam; fundata enim erat ſupra firmam petram petris & ſacratis montibus latè circumcincta Fuldenſium Eccleſia.

§. VIII.

DE PRINCIPATU ECCLESIASTICO PRUMIENSI.

STatus Eccleſiaſticus in præſenti Circulo ſeptimus eſt Princeps Abbas Prumienſis, cujus dominia ſunt inter Electoratum Trevirenſem & Ducatum Luxenburgicum. Principi Monaſterio huic neceſſaria & utilia quæque ſubminiſtravit Pipinus Rex, Carolus M. & Lotharius Jmperatores, quorum poſtremus relictis Jmperij curis Monaſterium Prumienſe auguſto ſuo ingreſſu plurimùm nobilitavit, D. Benedicti Regulam non modò ambabus manibus ſed pectore toto amplexus. Ab anno 1576. Archiepiſcopus Trevirenſis Monaſterij Prumienſis & ditionum omnium jus ſupremum adeptus, eo etiam ex eapite inter Eccleſiaſticos Jmperij Principes cœpit numerari, quæ dignitas Archiepiſcopo Trevirenſi an. 1654. Ratisbonæ ab Jmperij Statibus annuente & concedente Cæſare eſt confirmata.

In Circulo Rhenano Superiore Status Eccleſiaſtici non ita pridem loco & ſede excelluerunt Princeps Abbas Ord. S. Benedicti Murbacenſis; item Abbates Monaſterienſis in valle Gregoriana, & Weiſſenburgenſis omnes in Alſatia dominiis divites; qui hodie in Eccleſia Gallicana numerantur.

TA-

TABULA TOPOGRAPHICA.

DE STATIBUS SECULARIBUS IN CIRCULO RHENANO SUPERIORE.

§. IX.
DE DUCATU BIPONTINO &c &c.

STatuum omnium Secularium hoc in Circulo primum veneramur in Electore Carolo hujus nominis II. Duce Palatino, utpote in quo jam reſidet omnis ferè poteſtas ac dignitas Comitum Palatinorum hodie etiam ſic dictorum; nimirum Bipontini, Birkenfeldenſis, Veldenſis &c, quorum ſtemma & res alias vide in Circulo Electorali ſeu Rhenano Inferiore. Hoc loco id ſolùm eſt advertendum, Ducatum Bipontinum, Comitatum Birkenfeldenſem, Spanhemianum, Veldentianum &c alióſque ad Circulum Rhenanum Superiorem pertinentes, & Ducibus Palatinis ſubjectos circumcingi vicinis provinciis ea ratione, ut verſus Septentrionem tangant Archiepiſcopatum Trevirenſem; verſus Orientem Moguntinum & Palatinatum Superiorem; verſus Meridiem Alſatiam Inferiorem; verſus Occidentem denique hunc ipſum Ducatum & Archiepiſcopatum Trevirenſem. Longitudine eædem ditiones omnes adæquant milliaria Germanica circiter 18. latitudine nunc 7. nunc pauciora. Cauſæ de his bonis ſunt Juriſperitis, quàm Topographis notiores.

§. X.
DE LANDGRAVIATU HASSIÆ.

STatuum Secularium ſecundus eſt Landgravius, quemadmodum Germani vocamus, Haſſiæ, cujus Majores in Brabantia Duces Seculo XII. provinciam Haſſiæ à reliqua Thuringia ſeparatam

dotis nomine impetrârunt; Henricus enim cognomento Infans ſecundô genitus Henrici V. Brabantiæ Ducis filiis Sophiam Rapſonis ultimi in Thuringia & Haſſia tunc conjunctâ Landgravij filiam Sophiam duxit, & Haſſiam dotis nomine accepit, Thuringiâ etiam nuptiarum vinculo ad Miſniæ Duces translatâ.

Stemma Haſſorum hodie diviſum eſt in quatuor diverſos ramos, nimirum

I. In Caſſellanum Calvino devotum,
II. In Darmſtadianum Luthero addictum,
III. In Rhenopetrinam ſeu Rheinfelſianum Catholicum,
IV. In Homburgicum Calvinianum.

Ramus I. poſſidet potiorem Haſſiæ inferioris partem, in qua ſunt

Caſſellæ, - - - -	Heſſen-Caſſel
Ziegenheina, - - -	Ziegenhein.
Homberga Haſſiæ, - -	Heßiſch Homberg.
Creuzberga, - - - -	Creutzberg.
Spanberga, - - - -	Spanberg.

Item poſſidet in Superiori Haſſia

Marburgum, - - -	Marburg.
Frankenbergam, - - -	Franckenberg.
Kirchhaynium, - - -	Kirchhayn.
Rauſchenbergam, - - -	Rauſchenberg.

quibus acceſſit Principatus Hirsfeldiæ quondam Princeps Abbatia Ordinis S. Benedicti. Item Comitatus Schaumburgenſis; Præfecturæ Uchtenſis & Freudenbergenſis in Comitatu Hoyæ; Schmalkaldia & Frankenſteinium in Principatu Hennebergico &c.

Ramus II. ſuam dicit Haſſiæ Superioris partem potiſſimam, in qua ſunt

Gieſſa, - - - -	Gieſſen.
Nidda Comitat. - - -	Nidden.
Butzbacum, - - -	Butzbach.

Comitatus Superior Catimelibocenſis, in quo Darmſtadium. Pars Comitatus Diezenſis & Dominium Itter.

Ramus

Ramus tertius poſſedit Comitatum Catimelibocenſem inferiorem, in quo ſunt Rhenofelda. Fanum S. Goaris. Cacium muniment, Catz. Catimelibocum, Catzen-Elenbogen. Schvvalbachium.

In inferiori Haſſia Rottenburgum. Wanfrida. Eſchvvega. Sontra.

Ramus quartus poſſidet Homburgum cum 15000. florenorum quotannis pendi ſolitorum.

Sunt in Haſſia urbes præterea

Frizlaria	} Moguntiæ Archiepiſ.	Fritzlar.
Amænoburgum	- - -	Ohmeburg.
Trefurtum.	ex parte Mogunt. -	Trefurth.

Landgraviatus hujus univerſum ſpatium inter Weteraviam, Weſtphaliam, Thuringiam, Franconiam & Brunſuicenſem Ducatum ſitus longitudine ſua circiter 22. latitudine verò 16. milliaria germanica nonnihil ſuperat, quæ provincia univerſa ſi uni ſubdita foret Domino, compareret eidem in annos ſingulos haud difficulter quinque florenorum milliones.

Landgravius Haſſiæ cum Saxoniæ Electore ligatur pacto confraternitatis, ùt vocant; eidem debetur jus, utì dicunt, exſpectantiæ in Comitatum Jſenburg & Budingen.

Cæterùm Haſſia multis ſeculis ex aſſe Catholica ſeculo XVI. dum Religioni bellum indixit, pacem ſibi abſtulit nullo facilè ævo penitus recuperandam, niſi majorum ſuorum priſtinis temporibus defunctorum mores & aras reſpiciat & reſipiſcat. Certè Religio Romana, Lutherana & Calviniana tam parùm tum in hac quàm alijs provinciis convenient, quàm parùm jungentur ſimul æſtas, autumnus & hyems frigida.

§. XI.

DE DUCIBUS ET S. R. J. PRINCIPIBUS SABAUDO ET LOTHARINGO.

QUamvis peculiarem locum non exprimant, non in infima tamen, nec etiam ſumma inrer Status Circuli hujus ſede collocant

cant Sabaudiæ & Lotharingiæ Duces jurium & ſtatuum in Jmperio periti, inter quos Hermannus Hermes Salisburgenſis Academiæ ornamentum in faſciculo Juris publici pag. 436. & 437. item 439. paucis indicat jura & genus antiquiſſimum utriuſque Ducis, dum de Sabaudo, & mox de Lotharingo pergit dicere in hunc modum: *quòd Dux Sabaudiæ Jmperio ſubſit, hinc patet, quòd ſe Vaſallum eſſe Jmperatoris profiteatur, uti maſculinum Jmperij Feudum eſſe probat Arum de jure maj. lib. 2. &c. Quod ad Comitia vocetur & compareat, ut ex ſubſcriptione Receſſuum an. 1542. 44. 51. 59. 66. 70. &c. Eſt item S. R. J. Vicarius (per* Italiam*) præcedit autem omnes Duces Italiæ ipſúmque Ducem Florentiæ; nam Pius V. in bulla, qua Coſmo Medices dignitatem magni Ducis contulit, hanc prærogativam Sabaudiæ Familiæ reſervavit, quæ etiam Comitum, Marchionum & Nobilium creandorum jus uſurpat.* Mox addit ſequentia: *hi Duces (*Sabaudi*) ex Witekindi M. Familia orti; ex quorum Majoribus Jmodus Amadæus VIII. Comes an. Chriſti 1414. à Sigiſmundo Jmperatore Dux creatus eſt. Vocantur Reges Cypriæ, quem titulum an. 1480, acceperunt. Vide plura, in cit. Faſciculo Juridico, & ſuperiùs, ubi de Sabaudia &c.*

Lotharingiæ ditio confinis eſt Alſatiæ: ſub Jmperij tutela eſt Princeps non quidem ut Dux Lotharingiæ, ſed ob Comitatum *Numani Status eſt, Vocem & Seſſionem in Jmperio habens: alij etiam propter alia Dominia & Feuda Statum eſſe contendunt; Ducatus autem nemini ſubjectus. Jmperium in contribut. pac. publ. agnoſcit, licèt à Camera Spirenſi privilegio exemptus ſit. Ducatus Baar Feudum Jmperij eſt &c. A Ferdinando Rege hos Duces in ſpecialem Jmperij protectionem ſuſceptos oſtendit Tranſactio Lotharing. erecta an. 1542 ubi præter alia conventum, quòd, quando Elector in communibus Jmperij neceſſitatibus 300. fl. contribuit, hic Dux 200. conferat &c.* Hactenus Hermannus Hermes & Juris periti alij ab eodem allati, quibus in Jmperio dubia aut litibus obnoxia penitus relinquo: ſit ſua cuique meſſis integra.

§. XII.
DE DUCATU LOTHARINGIÆ.

LOtharingiæ Ducatus unà cum Ducatu Barrenſi in tabulis Geographicis depictus longitudine ſua 30. & totidem latitudine

æquat

æquat milliaria Germanica. A Septentrione adjacet Archiepiſcopo Trevirenſi & Ducatui Bipontino; ab Oriente Alſatiæ; à Meridie Campaniæ & Comitatui Burgundiæ; ab Occidente provinciis Belgij.

Fluvij in Lotharingia univerſa ſunt tres præ reliquis nobiliores, ſcilicet Moſa, Moſella & Sara alijs Saravus.

Lotharingiam more aliorum dividimus I. in Ducatum Lotharingiæ preſſiùs ſumptum II. In Ducatum Barrenſem & III. in tres Epiſcopatus, ſcilicet Metenſem, Tullenſem & Verdunenſem.

Urbes in Ducatu Lotharingico ſunt Nanceium Sed. Ducis, Nancy. Marſalum muniment, Marſal. Mediovicus, Moyenvic. Mothæa, la Mothe. Valdemontium, Vaudemont. Fortalitium Ludovici, Sar Louys. Nomenium, Nomeny. Muſſipontum, Pont a Muſſon. Lunevilla, Luneville. Mons Romerici, Remiremont. Spinalium, Eſpinael. Blamontium, Blanckenburg. Vicus &c &c. Vic.

In Ducatu Barrenſi urbes ſunt Commercium, aliis Commeriacum, Commercy. Ligniacnm, Lignyen Barrois. Barroducum, Bar le Duc. Vallis coloris, Vaucouleur. Longovicum, Longvvick. Fanum S Michaelis, S. Michael.

Harum urbium pleræque unà cum ditionibus alijs tametſi Duci Lotharingiæ ad finem prioris Seculi pace Ryſvvickij inita ſint reſtitutæ, tamen earundem nonnullæ ſunt exceptæ, & clauſulæ adjectæ admodum validæ. Urbes Gallorum Regi ſervatæ ſunt Fortalitium, ùt vocamus, Ludovici & Longovicum; has pridem anteceſſerunt Metæ. Tullum. Verodunum.

A quibus nomen hauſiſſe Epiſcopos tres novimus, qui jam ſeculo XVI. in Gallicana Eccleſia numerari cœperunt an. 1552. incaſſum obſidione Metas premente Carolo V. Jmperatore

Quamvis Lothoringia magnam ſui partem ſit montibus ſubjecta, abundat tamen frumento, vino, pecoribus, præſertim equis, piſcibus, argento, ferro, ſtanno, plumbo, Sale &c. quibus accedunt Thermæ Germanis & Gallis notiſſimæ, ex quibus omnibus Duci ferè ſinguli anni colligere poſſunt facilè duos florenorum milliones.

Qui

Qui vel remotè Lotharingiæ Ducum ceras antiquiſſimas luſtrârunt oculis, apprimè capiunt, Duces Lotharingos generis ſplendore in Europa univerſa multis in Jmperio Principibus præcedere, vix ulli cedere. Albero nimirum Regis in Gallia Pharamundi nepos, Clodionis itidem Regis filius Carolingici author ſtemmatis Lotharingicam etiam arborem nobiliſſimam in ſuis nepotibus inchoavit, propagavit & extendit adeò, ut ſeculis etiam proximis, nempe XVI. & XVII. novem diverſi rami in Lotharingia & Gallia de ſtemmate Lotharingica fuerint numerati, fuit quippe

I. Lotharingicus. II. Vodemontius. III. De Mercoeur. IV. Guiſius. V. Omalius. VI. De Elboeuf. VII. Harcurtius. VIII. Lilibonnius & IX. Armanacanus.

Quot purpureos pileos, infulas & galeas Principes, tulerint hi rami per multa ſecula, conſtat abundè Romanæ Eccleſiæ, Romano Jmperio, Gallorum & aliorum Regum regnis univerſis; ſiquidem Lotharingorum & his ſanguine junctorum plurima facinora Martia maximi duxerunt in Europâ & Pontifices, & Jmperatores, & Reges, horum poſtremorum nomine & ſolio digniſſimi & ipſi Reges Lotharingi Bullionij, poſtquam ſacras expeditiones in Palæſtinam pro re Chriſtiana reſtituenda ante omnes alios inſtituerunt, & ſimul patriæ, vitæ & ſanguinis jacturam fecerunt minimi, ut terram ſanctam ijſdem redimerent. Bullioniorum præclara veſtigia magnam partem ſtrenuiſſimè renovârunt tum Lotharingorum Ducum alij, tum maximè Carolus Leopoldus & Carolus Thomas Vodemontius, quorum hic in Jtalia & Hungaria fortiſſimè pugnavit pro Eccleſia & Jmperio, ille verò Mahometanorum fulmen in Hungaria dici eſt promeritus, Ducum nulli ſecundus.

§ XIII.

DE PRINCIPIBUS ET COMITIBUS NASSOVIÆ.

HOc ordine veniunt Principes & Comites Naſſoviæ, quorum Majores antiquiſſimos jam tempore Julij Cæſaris in Suevia Præfectos extitiſſe memorant Authores Recentiſſimi; inde verò ad Rhenum translatos Romanorum partes amplexos eſſe referunt.

Verùm

Verùm fides ſit penes Authores & Lectores. Procul dubio jam ſeculo VII. Comites Naſſoviæ ad Rhenum floruerunt. Uſque ad annum 1020. una eademque ſtirps indiſtincta permanſit; tum verò in Lineam *Naſſovienſem* & *Geldricam* eſt diviſa: harum prior ſeculo XIII. in *VValramenſem* & Ottonienſem, *VValramenſis* in *Saarbrukenſem*, *Idſteinianam* & *VVeilburgenſem*; *Saarbrukenſis* duobus ramis eſt adaucta, nimirum *Ottvveileriano* & *Uſingenſi*. *Ottonienſis* diviſa eſt in *Uranienſem*, *Sigenſem*, *Dillenburgenſem*, *Diezenſem* & *Hadamarenſem*. Atque adeò vix ulla eſt inter totius Europæ Principes Familia, quæ pluribus conſtet frondibus aut capitibus, quàm Naſſovienſis. Verùm inter capita multa diverſæ fuerunt ſententiæ etiam de Religionis ſtatu: pars Siegenſis & Hadamarenſis Romanæ conſtanter adhæſit Eccleſiæ; reliquæ omnes vel Lutheri, vel Calvini doctrinam ſectatæ ſunt.

Familia Naſſovienſis partim in Weteravia inter Haſſiam & Weſtphaliam, partim in Auſtraſia (Weſtereich) inter Lotharingiam & Palatinatum Ditiones habet; in Weteravia nempe Sigenam. Dillenburgum. Schaumburgum. Dietzium. Hadamarum. Weilburgum. Jdſteinium. Herbornam.

In Auſtraſia ſeu vulgò Weſtraſia Ottvveileram. Saræpontum. Saræ vverdam. Uſingam.

Vides hìc Lector, vix totidem Ditiones modicas, quot diverſas Lineas numerat Naſſoviorum Genus nobiliſſimum; unde ne reditus deſint tantæ Familiæ digni, alij eorundem in aulis Regum & maximorum Ducum ſuprémos agere cœperunt miniſtros, vel in caſtris honores & divitias aucupati ſunt, bene gnari, hac methodo ſæpe conſervari, vel acquiri officia & dignitates unà cum divitiis Principe dignis.

§. XIV.

DE PRINCIPE COMITATU MONTIS BELLICARDI.

PRinceps hic Comitatus inter Lotharingiam, Comitatum Burgundiæ, Epiſcopatum Baſileenſem & Suntgojam ſitus, longitudine ſua ſex, latitudine quatuor implet milliaria Germanica.

Comitatui huic modò cœpit dominari Dux Würtenbergicus hæres;
ſunt urbes in eodem duæ,

Mons Bellicardus, - - - Mümpelgard.
Paſſavantum, - - - - Paſſavant.

Plura *vide in Circulo Suevico de Duce Wurtenbergico.*

§. XV.
DE PRINCIPATU SALMENSI.

COmites olim & hodie quidam, nunc etiam Jmperij Princeps de Salm creatus an. 1623. Ditiones ſuas partim conſervant in Weſteravia, uti ſunt Principatus Salmenſis & Dynaſtia Finſtringenſis; partim in Zutphania Belgica &c &c. Originem clariſſimam ſimul & antiquiſſiam auhorum nemo inficiatur; in eadem tamen aſſerenda non bene conveniunt; alij nimirum Comites de Salm inter Romanas cohortes Seculo V. jam inſigne nomen impetrâſſe; alij verò eodem ferme tempore Francorum Regibus placuiſſe ſcribunt.

§. XVI.
DE PRINCIPATU HANOVIÆ.

COmes olim, nunc Jmperij Princeps eſt creatus an. 1696. Philippus Rheinhardus, hactenus tamen, ùt ajunt, nondum promulgatus; cujus Principatus infra Fuldenſes Ditiones & Comitatum Jſenburgicum locatus, admodum longus eſt, non item latus; eminet in Principatu hoc urbs Hanovia. Ditionis ſuæ fecit etiam Comitatum Liechtenbergicum & Dynaſtiam Ochſenſteinianam; item Comitatum Scheinekenſem, aut potiùs hujus duntaxat, ſicut & Comitatus Bipontini partem, nec non Dominium Münzenbergenſe. Taceo Ditiones alias.

Quemadmodum verò ſunt magno intervallo diviſa Principum Hanoviorum bona, ita etiam eorundem ſtirps hodie in duos diviſa eſt ramos, nimirum in Liechtenſteinianum & Münzenbergenſem; alter in Weteravia, alter verò in finibus Alſatiæ bona poſſidet. Author generis hujus jam Seculo III. inter Romanos floruiſſe dicitur; at forſan verior eorum eſt aſſertio, qui Seculo X. initium datum eſſe Hanoviæ Comitibus, contendunt.

§. XVII.

§. XVII.

DE COMITIBUS IN CIRCULO RHENANO SUPERIORE.

I. Comitum de Cronberg Comitatus non procul Francofurto ad Mænum diſtat. Stemma eorundem poſuit Harmundus Seculo XIII. Tempus longè antiquius fortaſſis admittunt Genealogorum nonnulli.

II. Comes Falkenſteinius priori Seculo an. 1682. ſine hærede nominis ſui mortuus: mortuo ſucceſſerunt Comites de Manderſcheidt & Lœvvenhaupt: huc pertinet Comitatus Oberſteinius, qui unà cum Ditionibus reliquis Falckenſteinianis non procul Ducatu Bipontino diſtat.

III. Comites de Hazfeld bona poſſident haud procul Confluentiis remota, alia verò in Thuringia, Haſſia & Sileſia. Stemmatis Hazfeldiani authorem accepimus fuiſſe Eberhardum an. 1296. defunctum.

IV. Comitum de Jſenburg Comitatus Francofurto ad Mænum eſt propinquus. Supremum eorundem Comitum genitorem fuiſſe Henricum an. 1290. mortuis annumeratum, ſcribunt Genealogi.

V. Comites de Leiningen Dynaſtias varias in variis vendicârunt ſibi Provinciis, nimirum in Palatinatu inferiore, in Alſatia & Wetteravia. Horum auctorem jam Seculo Chriſti III. ſub Jmperatore Alexandro Severo Emiconem nomine præcelluiſſe tradunt.

VI. Comites de Sayn & Witgenſtein ad Rhenum prope Confluentias dominantur ſubditis in Comitatibns Witgenſteiniano & Hohenſteiniano. Generis authorem ferunt fuiſſe Joannem Comitem.

VII. Comites de Solms, quorum Dominia alia ad Mænum ſunt ſita; alia Haſſiæ ſunt proxima, alia in Weſteravia, in Voitlandia & Luſatia inferiori coluntur, è Naſſaviorum antiquo ſtemmate deſcendiſſe legimus; nam eorundem author Philippus Comes Naſſovius Seculo X. Magdeburgi haſtiludiis interfuiſſe ſcribitur.

VIII. Comitum de Waldek Comitatus inter Haſſiam & Ducatum Weſtphaliæ eſt medius. Seculo Chriſti VIII. Witikindum, à Rege Witikindo diverſum, inchoâſſe vel propagâſſe hoc genus legimus.

IX. Comitum de Wied Ditiones ad Rhenum prope Confluentias reperiuntur. De antiquitate generis præclari abundè conſtat poſteris, non item de prima origine. Seculo XI. adſcribunt Scriptorum aliqui.

X. Comitum de Wild & Rheingravenſtein Comitatus in Weſteravia non procul Lotharingiæ finibus eſt poſitus. Originem antiquiſſimam diverſi laudant authores, in authore tamen originis non conveniunt.

Comitum antiquorum de Finſtringen, Salm, Saarbruck, Saarvverden, Crichingen, Putlingen &c. genus & Ditiones vide in Principatibus & Comitatibus hujus Circuli hucuſque allatis.

§ XVIII.

DE URBIBUS JMPERIJ IN CIRCULO RHENANO SUPERIORE.

I. Francofurtum ad Mænum Seculo VIII. circa annum 774. ædificari, vel potiùs innovari cœptum, conditorem ſuum alterum veneratur Carolum M. Helenopolim priùs appellatum eſſe à D. Helena Conſtantini M. Matre refertur.

II. Fridberga in Wetteravia urbs poſt Chriſti natales brevì condita, à quo tamen authore, non exprimunt fortè Hiſtorici.

III. Gelnhuſium in Wetteravia urbs circa annum 1346. condita fortaſſis à Carolo IV. Jmp. vel tantùm inſtaurata. Ab eodem Jmperatore an. 1349. Comiti Günthero Schvvarzenburgico in emphytevſin datam fuiſſe, ſcribunt paſſim.

IV. Non minùs Spira inter antiquiſſimas totius Europæ urbes æſtimata eſt adeò, ut ante Chriſti incunabula annis 1500. jam feratur eſſe ædificata.

V. Wezlaria in Wetteravia urbs perantiqua, & hodie à Conſilio Jmperij Aulico celebre nomen ſortita, vix conditorem ſuum am-

pliùs

pliùs novit, Vulcano forſan, more urbium aliarum incendio deletarum, annales rapiente.

VI. Wormatia urbs eſt antiquitatis tantæ, ut ejusdem conditor Hiſtoricos vel penitus lateat, vel Trebeta Reginæ Semiramidis filius ex Aſia in Europam profugus fuiſſe credatur. Ab Hunnis & Wandalis ſolo propemodum æquata, à Clodovæo Francorum Rege cœpit reſtaurari.

Urbibus hujus Circuli Jmperialibus Seculis prioribus annumeratæ ſunt etiam ſequentes in Alſatia ſitæ, & nunc Francorum Regi ſubditæ.

I. Argentoratum urbs ampliſſima, nobiliſſima, & ipſis Romanis vetuſtiſſimis jam celebrata; de authore ejusdem, ſi Romani non fuerint, conſtat neutiquam. Ab Hunnorum tyrannis propemodum ſolo æquatum erexerunt denuo Jmperatores, aut veriùs Francorum Reges.

II. Hagenoa priùs jam condita, an. 1164. à Friderico I. mœnibus eſt circumdata.

III. Colmariam tempore Friderici II. Jmp. ædificatam, aut ſaltem mœnibus cinctam fuiſſe à Wolfelino ejusdem Jmperatoris præfecto Hagenoæ ſedem habente, ferunt.

IV. Schlettſtadium olim oppidum Fridericus II. adjectis mœnibus validis in urbem convertit.

V. Weiſſenburgum vel urbem, vel oppidum antiquiſſimum Dagobertus Francorum Rex coronâ argentea à magnitudine & arte admodum laudata donavit, unde à corona cognomen urbi eſt inditum. Mœnibus cinxiſſe Weiſſenburgum anno 1262. fertur Fridericus Princeps Eccleſiaſticus, Ord. S. Benedicti Abbas, cui urbs hæc tandem adempta bellis, Jmperio fuit adjecta: demum Archiepiſcopo Trevirenſi relicta, ſed denuo erepta, & Jmperij urbibus primùm vel ſecundùm annumerata.

VI. Mons Cæſaris, vulgò Kayſersberg / teſte Hermanno Hermete non minùs, quàm Colmaria, Seliſtadium & Neoburgum ad Rhenum, Türckemium, nec non Ebenhemium Superius imperante Friderico II. à prædicto Wolfelino ſunt muris ornata & munita.

Landavium priſtinis omnino Seculis ſub Francorum poteſtate fuit; ubi ab Hunnis vaſtatum, à Duce autem Suevorum Landfrido eſt reparatum.

Tandem ſequuntur hoc etiam in Circulo S. R. J. Equites Nobiles, qui potiſſimùm in Rhenanis Provinciis Ditiones ſuas diverſorum Dominorum Ditionibus interſitas habent, de quorum communibus privilegiis *vide ſuperiùs &c.*

Equites hujus Circuli dividuntur in tres claſſes, quarum prima in Gas- & Waſgoja; altera in Wetteravia, Weſtervvaldia & Rhenogoja; tertia in ripa Rheni Inferioris, in Tractu Hunnorum (Hundsrucke) & vulgò Ebevvaldia Sedem erexerunt.

CIRCULUS VIII. WESTPHALICUS.

TABULA TOPOGRAPHICA CIRCULI UNIVERSI.

§. I.

CIrculus Weſtphalicus 50. circiter milliaribus Germanicis longus, latus verò latitudine variis in locis varia, nunc 36. nunc 26. nunc pauciora numerat milliaria. A Septentrione alluitur à mari Germanico; ab Oriente cingitur ferè à Viſurgi fluvio, ubi tangit Ducatum Brunſuicenſem & Bremenſem &c. A Meridie ambitur Archiepiſcopatu Colonienſi & Comitatu Naſſoviæ; ab Occidente verò Provinciis confœderatis, vulgò Hollandicis. In Circulo Weſtphalico non minùs, quàm in Circulis prioribus diviſionem Canonicam ſimul ac Politicam obſervavit Romanorum Jmperator Maximilianus, dum Status Eccleſiaſticos priori conſtituit loco. Cùm verò olim fuerint Epiſcopatus Sex, hodie tantùm quatuor; hac de cauſa æqui bonique conſulet Lector, ſi tantiſper relictis duobus quatuor veniant ſequenti ordine.

§. II.

§. II.

DE EPISCOPATU MONASTERIENSI.

EPiſcopatus Monaſterienſis facilè 24. Germanicis milliaribus longus, dividitur in partem ſuperiorem & inferiorem. Pars ſuperior latitudine ſua propemodum 20. pars verò inferior 14. æquat milliaria; in medio in anguſtias redigitur. Intra hunc Epiſcopatum continentur Epiſcopatus Oſnabrugenſis & Comitatus tres, ſcilicet Lingenſis, Tecklenburgenſis & Stenfordenſis. A Septentrione jungitur Comitatibus Embdenſi & Oldenburgico; ab Oriente Comitatibus Diepholdiano & Ravenſpergenſi; à Meridie Comitatui, ùt vocant, Marchiæ, Ducatui Clivenſi, & Archiepiſcopatus Colonienſis parti, in qua Dorſta & Recklinghuſium. Ab Occidente Comitatui Benthemiano & confæderato Belgio. In Epiſcopatu hactenus deſcripto ſunt urbes,

Monaſterium Sedes Epiſcopi, urbs Jmperij an. 1661. ſuis privata privilegiis. Cosfeldia. Vechta. Meppena. Stromberga. Aarhuſium. Ala.

Quibus accedunt oppida, præfecturæ & ditiones aliæ ſanè plurimæ. Paucis accipe multa. Centum millia partim urbium, partim oppidorum, partim pagorum & villarum dicunt eſſe ſubjecta Epiſcopo; unde redituum copia in annos ſingulos ſuppetit tanta, ut divitiis & potentiâ ipſis in Jmperio Electoribus par, absque ſubditorum ſingulari detrimento armare, & armata conſervare conſtanter poſſit duodecim militum millia. Quin Epiſcopus Bernadus anno 1671. triginta virorum armatorum millia numerâſſe dicitur, quibus confæderatis Belgis aliiſque ſuis hoſtibus ſtrenuè ſeſe oppoſuit. Cæterùm Epiſcopus Monaſterienſis eſt Præſes in ſuo Circulo.

§. III.

DE ORIGINE ET PROGRESSU EPISCOPATUS MONASTERIENSIS.

EPiſcopatus hic olim Mimingardenſis, aut Mimingarderodenſis appellatus nomen ſuum amiſit, aut meliùs mutavit, primùm

mùm Seculo X. aut XI. Monaſterienſis Epiſcopatus vocari cœptus. Monaſterium nempe Mimingarde à Carolo M. poſt debellatos Seculo VIII. Saxones extructum, & erectus ea in Provincia Epiſcopatus, adeò ſuo nomine & re moverunt ac traxerunt & incolas & advenas, ut exoleto veteri, nomen novum paſſim in ore hominum invaluerit. Fortaſſis in nomine Monaſterij latuit omen, quo prædixêre vates, diu ſtare non poſſe urbem in Epiſcopatu hoc maximam, niſi urbs in Monaſterium convertatur, feros adversùs hoſtes Religione & armis munitiſſimum, utì ſera nimiùm quantùm experta ſunt Secula. Epiſcopatum Monaſterienſem à Carolo M. jam ritè fundatum fundis ampliùs inſtruxerunt Conradus II. Henricus Sanctus & Carolus IV. Jmperatores. Hermannus II. Epiſcopus ſtemmate Catimelibocenſis, *ſubditorum pater* dictus, à Friderico II. Jmp. S. R. J. Princeps eſt renuntiatus. Maximilianus I. etiam maximi æſtimavit Monaſterienſes Epiſcopos; unde eosdem in Circulo Weſtphalico Præſides conſtituit. Maximiliani I. exemplum clariſſimumum ſunt ſecuti Jmperatores Auſtriaci, dum Epiſcopatum hunc integrum conſervare etiam ipſi fortiter laborârunt. Epiſcoporum omnium primus D. Ludgerus an. 788. initium dedit rebus ſecundiſſimum; Ludgerum ſecuti ſunt Succeſſores duodecim ad annum uſque 1025. qui Archiepiſcoporum nulli eo tempore ſubjecti Romano Pontifici ſacramentum dixerunt. Tum verò more Epiſcoporum aliorum Colonienſi Archiepiſcopo obedientiam promiſerunt, ita imperante Romano Pontifice. Providè prorſus fecerunt Canonici Monaſterienſes, quòd ultimis noſtris Seculis è Ducibus Bavaricis ſuos ſelegerint Epiſcopos; hac enim ratione curârunt bene rem ſacram & profanam. Cæterùm in Eccleſia Monaſterienſi numerantur Canonici è Nobilium ſanguine 40. quorum ſingulos ſaltem prioribus Seculis Lutetiæ Pariſiorum annum unum & aliquot hebdomades literarum ſtudiis conſecrare oportebat. Vid. *Münchſmayr*, *Zeiler &c.*

§. IV.
DE EPISCOPATU LEODIENSI.

EPiſcopatus Leodienſis inter Limburgum, Brabantiam, Namurcum, Luxenburgum & Geldriam medius, Dominium habet ſat am-

amplum, par nimirum longitudine 20. latitudine verò quibusdam in locis ſex milliaribus Germanicis. Urbes in Epiſcopatu Leodienſi ſunt

Leodium, Lüttich. Hujum Sed. Epiſc. Dinantum. Maſſacum. Trajectum, Maſtrich. Stokemium. Viſetum. Haſſeletum. Tongri. Franchimontium. Thuinum. Hornanus Comitatus. AbbatiaStabulenſis, (Stablo.) dequa inferiùs. Lotſia, aliis Los, caſtrum. Hasbania.

His quondam acceſſit Ducatus Bullionius inter Luxenburgum & Campaniam ſitus, noſtro primùm tempore à Gallorum Rege vel emptus, vel redemptus, annumeratur Galliæ Provinciis.

Authores, qui Epiſcopi Leodienſis ſingulas & univerſas res ſibi perſpectas eſſe exiſtimant, aſſerunt, eundem dominari 24. urbibus 50. Abbatiis, & 1200. pagis. Verùm talia de Dominio potiùs Eccleſiaſtico, quàm Seculari oportere intelligi reor. Redituum annuorum tantam computant ſummam, quanta longè ſuperat unum alterúmve florenorum millionem. Epiſcopi Leodienſes vocantur S. R. J. Principes, Duces Bullionii, Marchiones Franchemontenſes, Comites de Loos & Masban.

§. V.

DE ORIGINE ET PROGRESSU EPISCOPATUS LEODIENSIS.

Epiſcopatus Leodienſis ad initium Seculi II. à D. Materno inſtitutus eſt primùm Tongris; Hunnis dein omnia Seculo V. latè vaſtantibus, Trajectum translata eſt Sedes Epiſcopi. Tandem circa annum 709. D. Hubertus Leodij Epiſcopus ſedere cœpit.

Inter Leodienſes Epiſcopos laudatiſſimos, eósque verè maximos eminent D. Maternus ter vitâ donatus, ter mortuus, utì habent annales & libri varii: item D. Servatius annis 373. inter vivos ſervatus, ſi credere fas ſit. Monulphus & Gandolphus tempore Caroli M. dum Aquiſgrani D. Leo III. templum maximum conſecravit, convocatis 365. ſed 363. tantùm de convocatorum numero comparentibus, è tumulo tantiſper relicto adveniſſe dicuntur, ut deſide-

ratum à Pontifice numerum adimplerent. Inſigne nomen fortiti non minùs ſunt DD. Amandus & Hubertus uterque Aquitanus nobiliſſimus, quorum prior Gandavum ad Orthodoxa Sacra convertit, & Sigebertum Dagoberti I. Regis filium baptizavit omiſſa clauſula *Amen*; (vide Epiſcopatum Argentoratenſem) quam tamen continuò adjecit legitimæ formulæ infans non ita pridem in lucem editus. Poſterior die Paraſceves venationi intentus, cervum omnis innatæ feritatis oblitum, & inter cornua Crucifixi Dei ſignum geſtantem conſpexit; Romæ verò D. Lamberti pedum operâ cœleſtis genii translatum à D. Sergio I. clavem verò auream à Divorum Apoſtolorum & Pontificum Principe D. Petro accepit, Præſul ſanè miraculis clariſſimis conſpicuus. Haud ſilentio prætereundus eſt D. Notkerus natus Oettingæ in Suevia Comes, cui Leodium obſtrictum eſt magnopere, utpote quod mœnibus circumdedit, & ſuis hoſtibus liberavit, ſuis verò virtutibus implevit. Sileo plures alios Leodienſes Epiſcopos miraculis, virtutibus, nobilitate, doctrina &c &c maximè conſpicuos. Canonici dicuntur eſſe 60. Vid. *Münchſmayr, Henric. Scherer. Zeilerum & alios.*

§. VI.
DE EPISCOPATU PADERBORNENSI.

Epiſcopatus Paderbornenſis inter Ducatus Brunſuicenſem & Weſtphaliæ, nec non Comitatus Lippienſem, Pyrmontanum & Dietbergenſem atque Waldekenſem medius, duodecim milliaribus Germanicis longus, decem eſt latus. In Epiſcopatu dicuntur eſſe urbes 25. Præfecturæ 20. Monaſteria 16. Parochiæ 54. inter urbes veniunt

Paderborna Sed. Epiſc. Salkota. Lippiæ fontes. Nienhuſium ad Lippiam. Beverunga. Horſtalla. Borcholta. Borentricum. Bura. Wevelsburgum. Brakela. Driburgum. Luda. Peckelshemium. Warberga. Aliſo. Fons Amiſij. Delbruggum. Stadberga. Brunsberga. Lada.

His temporis ſucceſſu acceſſerunt Ditiones variæ donationis, hæreditatis & emptionis beneficio acquiſitæ, quæ omnia ſimul in an-

annos ſingulos ter centies millies florenos facilè comparant Principi ſuo.

§. VII.
DE ORIGINE ET PROGRESSU EPISCOPATUS PADERBORNENSIS.

CAroli M. Jmperatoris zelo maxima ex parte debetur origo hujus Diœceſis, quàm devictis Saxonibus ad finem Seculi VIII. fundavit, principem vero ejus ædem D. Leo III. Pontifex conſecravit: proventus auxerunt Jmperatores natione Saxones, præſertim verò Otto II. & D. Henricus, cujus poſterioris Auguſta Conjux D. Cunegundis Paderbornæ an. 1002 fuit coronata.

Inter Epiſcopos Paderbornenſes ſingularem ſui memoriam Epiſcopatui præſertim ſuo reliquit Meinvvereus in Saxonia natus Comes è genere M. Witikindi oriundus, qui Epiſcopatum ſuum ad illud uſque tempus in comparatione Monaſterienſis egenum, multis bonis ac donis locupletavit, à geminis Jmperatoribus D. Henrico & Conrado II. inſignes, eáſque complures Ditiones emendicans. Emendicatis Dominiis adjecit ipſe ex paterna hæreditate novem partim oppida, partim pagos. Noſtris Seculis optimè meriti ſunt de Diœceſi Paderbornenſi Epiſcopi è ſtemate Fürſtenbergico & Metternich, utrique natione Weſtphali. Horum enim ultimus Hermannus ad annum ætatis ſuæ 79. plurimos collegit fructus, Princeps pacis amantiſſimus; Theodorus verò & Ferdinandus Fürſtenbergij poſt proſcriptos Lutheri aſſeclas Academiam Paderbornenſem poſuerunt, & conſervârunt, quin ſuiſmet exemplis & literis illuſtrârunt. Exemplum certè illuſtriſſimum doctrinæ ſuæ nobis præbuit Ferdinandus libro ſuo, cui titulus: *Monumenta Paderbornenſia.* Canonici in Cathedrali Eccleſia ſunt 24.

§. VIII.
DE EPISCOPATU OSNABRUGENSI.

INter primos hujus Circuli Status venit etiam Epiſcopus Oſnabrugenſis, cujus territotium 12. milliaribus Germanicis longum, 7. & quibuſdam in locis 5. milliaribus latum, à Septentrio-

trione jungitur Epiſcopatui Monaſterienſi; ab Ortu Principatui Mindenſi; à Meridie Comitatibus Ravenſpergenſi & Tecklenburgico; ab Occidente demum Comitatui Lingenſi & Epiſcopatui Monaſterienſi. Urbes Epiſcopo ſubditæ ſunt

Oſnabruga. Jburgum Sed. Epiſc. Honteburgum. Mella. Forſtenoa. Quakenbruga. Vorda. Witlaga. &c.

Hæc aliáque bona & jura in annos ſingulos Epiſcopo ſuo dicuntur parere circiter 200000 floren.

§. IX.

DE ORIGINE AC PROGRESSU EPISCOPATUS OSNABRUGENSIS.

ETiam Oſnabrugenſis Epiſcopatus Carolo M. Saxonum victori Catholico ſuam adſcribit originem, utpote à quo circa annum 776. eſt fundatus & dotatus, atque à Romano Pontifice confirmatus. Si ullus alius, Epiſcopatus hic certè mira & dura ſuſtinuit fata, nunc à domeſticis, nunc ab externis hoſtibus in anguſtias redactus. Dum tamen Epiſcopi Mindenſis & Verdenſis aliíque Boream verſus penitus ſuis valedicere Eccleſiis ſunt coacti, Lutheri aſſeclis in Weſtphaliæ finibus Marte ſtabilitis, id demum inita pace, utì vocant, Weſtphalica pepigit fœdus, ut inaudita per ſedecim Secula methodo alternis vicibus Oſnabrugenſem infulam ferret nunc Præſul Catholicus, nunc Præſes Lutheranus. An. 1633. Oſnabruga à Suecis expugnata, viciſſitudinis novæ initium duriſſimum experiri cœpit; nam Franciſcus Wilhelmus Bavariæ Comes Wartenbergicus jam anno 1625. Oſnabrugæ electus Epiſcopus, an. 1634. Sedem ſuam occupari à Guſtavo Guſtavi Suecorum Regis filio haud legitimo, obortis præ dolore lacrymis aſpexit. Annis duodecim ab Ovili ſuo Paſtor abſuit vi & armis repulſus; anno demum 1648. Philippeorum 80000. Rex Suecorum filio ſuo ſolvi poſtulavit, ut relinqueret legitimo ſuo Antiſtiti maximè oneratum novis debitis Epiſcopatum. Eo ex tempore annis 13. Franciſcus Wilhelmus oves ſibi ſubditas cuſtodivit ſedulò. Mortuum ſecutus eſt Erneſtus Auguſtus Dux Brunſuicenſis Elector Hanoveranus, per annos 30. Oſnabru-

nabrugæ fictus Epiſcopus, quo temporis intervallo Archiepiſcopus Colonienſis Catholicorum cauſas & curas in ſe ſuſcepit. Cæterùm nomen Oſnabrugæ innotuit magìs Europæ eo etiam ex capite, quòd inter Jmperij Status & Suecos iniri cœperit, & Monaſterij abſoluta fuerit pax, dicta Monaſterienſis, cui conſtanter contradixit Innocentius X. Pontifex Romanus, quòd eadem Eccleſiæ Romanæ plurimis & maximis in rebus eſſet ſummè noxia, quam neceſſitas omni conſilio potentior extorſit. Canonici in æde ſumma numerantur 25. inter quos veniunt tres Luthero devoti. Vid. *Pac. Monaſterienſ. Münchſmayr. Chron. Oſnabrug. &c.*

§. X.
DE ABBATIA PRINCIPE CORVEJENSI.

SEquitur in Circulo Weſtphalico Epiſcopos Princeps Abbas Corvejenſis Ord. S. Benedicti, cujus Ditiones ſitæ ſunt ad Viſurgim fluvium juxta Epiſcopatum Paderbornenſem, & ſunt ferme ſequentes,

Corbeja Sedes Principis. Huxaria. Walbazena. Blankenaria. Gelema. Tanneberga.

Monaſterium Corbejenſe in Weſtphalia ad imitationem Monaſterij Corbejenſis in Gallia à Ludovico Pio Jmperatore fundatum, & bonis ampliſſimis inſtructum, inſulam Rugiam (Rügen) ſuam jure dixit. Eandem Suecorum Rex, & Hoſtium priorum vis jam eripuit ſuo Principi. Bona alia ademit temporum iniquitas adeò, ut vix decima Ditionum pars ſuperſit Corbejenſi Monaſterio, olim ditiſſimo, doctiſſimo & verè Apoſtolico, utpote ex quo prodiêrunt viri non pauci, qui Provincias Boreales ritè credere docuerunt. Alij eorundem ſcribendis libris & explicandis ſeverioribus ac manſuetioribus Muſis intenti non modò Weſtphaliam, ſed & alias Regiones atque Regna doctrinæ radiîs illuſtrârunt.

§. XI.
DE ABBATIA PRINCIPE STABULENSI.

Abbati Principi Corvejenſi junge proximum Abbatem Principem Stabulenſem, Ord. S. Benedicti, cujus peranguſtum terræ ſpa-

tium inter Epiſcopatũ Leodienſem, item inter Ducatus Limburgenſem & Luxenburgum eſt medium. Urbs Stabletum ſubjacet Abbati Principi. De origine Abbatiæ hujus recenſet Hermannus Hermes ſequentia: *Abbatia Stabulenſis nomen ſortita à ſtabulo luporum, quorum magna ibi copia fuit tempore S. Remacli, unde hodie lupus in inſignibus Abbatis. S. Remaclus Epiſcopus Trajectenſis relicto Epiſcopatu primus hic Abbas fuit, qui in extructione Eccleſiæ uſus eſt opera aſini ad portandum lapides, quem lupus voravit; unde ex mandato S. Viri lupus operam aſini ſupplevit. Mortuus eſt S. Remaclus an. 991.*

§. XII.

DE RELIQUIS IN CIRCULO WESTPHALICO STATIBUS ECCLESIASTICIS.

HOrum primus eſt Abbas Monaſterij à S. Cornelio nomen habentis, quod Aquiſgranô non procul diſtat; fundum dedit D. Benedicti filiis Carolus M. & Ludovicus Pius Jmperatores.

Huic proximus ſit Abbas Werdenſis Ord. S. Benedicti, cujus Dominium eſt adſitum fluvio Ruræ in Ducatu Montenſi. Author Monaſterij hujus eſt D. Ludgerus.

Sequntur Princeps Abbatiſſa, utì dicimus, Eſſendiæ Nobilium Virginum, cujus Ditiones ſunt intra Ducatum Montenſem ad fluvium Emſer. Conditor Collegij hujus fuit D. Alefridus Hildeſienſis Epiſcopus circa annum 877.

Abbatiſſa Burſcheidenſis, cujus Domus Religioſa cum bonis adſitis in Ducatu Juliacenſi extructa authorem ſuum agnoſcit D. Gregorium Nicephori in Oriente quondam Jmperatoris filium, qui primò D. Norberti Monachis locum dicâſſe ſcribitur. Verùm an. 1220. in ejusdem Ordinis Monalium Domũ converſum eſt hoc Cœnobium.

His quondam annumerabatur Abbatiſſa Herfordienſis. Hodie Domui huic præeſt princeps fœmina, cui ſubduntur Nobiles filiæ Calvinianæ, aut potiùs Lutheranæ. Collegium hoc quondam Catholicum fundatione beavit Seculo IX. Walterus Dynaſta; Ludovicus Pius verò ampliùs confirmavit.

TABULA TOPOGRAPHICA.

DE STATIBUS SECULARIBUS IN CIRCULO WESTPHALICO.

§. XIII.

DE DUCATU JULIACENSI.

SEcularium Statuum hoc in Circulo primus, aut certè ſupremo æqualis eſt Dux Juliacenſis, Elector ſcilicet Palatinus, cujus Ducatus cis Moſam & trans Rhenum inter Colonienſem Archiepiſcopatum & Belgium Auſtriacum atque Epiſcopatum Leodienſem ſitus, longitudine ſua complectitur circiter 14. latitudine 7. milliaria Germanica. In Ducatu urbes eminent

Juliacum caput Ducat. Jülich. Aquiſgranum urbs Jmper. Acken. Marcodurum. Duren. Berckhemium. Betbura Briſiacum. Aldenhovium. Erkela. Euskirchium. Gelnkirchium. Gladbachium. Rada Ducum, Hertzogen Riedt. Linnichium. Monaſterium Eifliæ. Nidekium. Rimagus. Sinziga. Sittartum. Titium. Wieda. Suſtera.

Addunt quidam hoc compendium: in Ducatu Juliacenſi minora Dominia numerantur 84. item Præfecturæ 24.

Seculo Chriſti X. Comes Gerardus Henrico Aucupi Jmperatori fortiter contra Hunnorum turmas adſtitit. Hujus Gerardi nepotes Comitatu Juliacenſi & Bergenſi inter ſeſe jure hæreditatis diviſo genus ſuum propagârunt. Ex Eorundem ſtemmate Wilhelmus IV. à Ludovico Bavaro Marchio, à Carolo autem IV. Dux an. 1356. Metis eſt creatus. Wilhelmus VI. unicam reliquit filiam Mariam, hæredem ſimul Ducatus Juliacenſis & Bergenſis, eò quòd Linea Bergenſis penitus emortua conjunxerit utrumque Ducatum. Eadem Maria Joanni III. Clivenſium Duci deſponſata, Ducatum geminum do-

dotis nomine ſponſo ſuo attulit: unde tres Ducatus velut in unum converſi, diviſionem dein litibus multis & bellis ſubjectam dolore ſuo maximo ſuſtinuerunt: Joannes enim Wilhelmus ſine hærede mortuus ſorores quatuor numeravit, ſcilicet

I. Mariam Eleonoram, quam duxit Albertus Fridericus Marchio Brandeburgicus.

II. Annam, quæ nupſit Philippo Ludovico Duci Neoburgico.

III. Magdalenam, quæ matrimonium celebravit cum Joanne Comite Palatino Bipontino, unde deſcenderunt Reges Sueciæ.

IV. Sybillam ſponſam Philippi Marchionis Badenſis, & hoc mortuo Caroli Archiducis, Burgavienſis Marchionis.

Ducatum Juliacenſem jure hæreditatis ſibi deberi etiam dixerunt Duces Saxoniæ tam ex Linea Albertina, quàm Erneſtina nati. Quin etiam ſibi jus eundem in Ducatum vendicare laborârunt Dux Niverniæ Gallus, & Comes Manderſcheidenſis. Inter tot competitores Marte & morte rem totam tranſigendam rati maximè Duces Neoburgicus & Brandeburgicus, poſt pugnas varias & tranſactiones minùs ſecundas anno tandem 1666. inter ſeſe ita convenêre, ut Brandeburgico Ducatus Clivenſis & Comitatus Marchiæ ſimúlque Ravenſpergicus in parttem ceſſerit; Duci autem Neoburgico Ducatus Juliacenſis & Bergenſis, ſeu Montenſis cum Dominiis &c Winterthal & Breſqueſand fuerint adjudicati: Ravenſteinium etiam 50000. Philippeorum Dux Neoburgicus redemit, tantâ pecuniarum ſummâ Brandeburgico ſolutâ. Atque tranſactio hæc anno 1678. à Leopoldo Cæſare rata eſt habita, invitis ferè partibus omnibus reliquis, ob pacem tamen publicam nunc contentis.

§. VIII.

DE DUCATU MONTENSI.

DUcatui Juliacenſi jungatur itaque à nobis etiam hoc loco Ducatus Montenſis, cis Rhenum inter Ducatum Clivenſem, Ducatum Weſtphaliæ, Archiepiſcopatum Coloniæ & Comitatum Naſſoviæ ſitus; qui longitudine 15. circiter, latitudine verò quoad partem ſuperiorem par eſt 7. milliaribus Germanicis. Quamvis

vis permultis diſtinguatur montibus (unde montenſis dicitur) tamen etiam ſuus & quidem longè major eſt locus planitiei, quæ omnis generis frumentum gignit. Urbes in eodem Ducatu ſunt

Diſſeldorpium. Mülhemium. Sigeburgum. Solinga. Ratinga. Lennepa. Evervelda. Rada, alijs Raida. Wipperfurtum. Hoinberga.

Atque hi Ducatus gemini, nimirum Juliacenſis & Montenſis Electori ſuo annis propemodum ſingulis ſupra Philippeorum millionem parere creduntur; imò majorem ſummam præſumunt alij, qui exactorum nôrunt induſtrias, & variorum Ducatuum fertilitatem ſtudiosè explorârunt.

§. XV.
DE DUCATU CLIVENSI.

Inter Status hujus Circuli Seculares Electori Palatino tanquam Juliacenſi ac Montenſi Duci æqualis habetur Elector Brandeburgicus, utpote Dux Clivenſis; unde in convocandis, vel aliàs dirigendis Statibus locum principem alternis occupant vicibus.

Ducatus Cliviæ ad Rhenum conſtitutus maxima ſui parte Septentrionem, Meridiem & Occidentem verſus circumdatur Ducatu Brabantiæ, Geldriæ & Comitatu Zutphaniæ. Orientem verſus contingit Epiſcopatum Monaſterienſem & Comitatum Marchiæ, ùt appellant. Longitudine ſua circiter 12. latitudine 4. aut 5. æquat milliaria Germanica. Urbes in Ducatu numerantur

Clivia Caput Ducat. Burikum. Calcaria. Dinslaka. Teutoburgum, aliis Duisburgum Embrica. Gritta. Murſa, aliis Meurſium. Orſoya. Reſa. Xantum. Veſalia inferior &c.

Comites Cliviæ ab Jmperatore Sigiſmundo Conſtantiæ fuerunt creati Duces Jmperij. Qua autem ratione Ducatus hic translatus ſit ad Electorem Brandeburgicum, *vide §. 13.*

§. XVI.
DE DUCATU VERDENSI

Ducatus hodie, olim Epiſcopatus Verdenſis, Seculo VIII. à D. Bonifacio Germanorum Apoſtolo eſt erectus, adjutore maximo

Carolo M. Epiſcopi hac in Sede omnium primi, virtutis ſuæ radiis latè populos illuſtrârunt D. Suibertus, D. Patto, D. Tanco. Quin Verda multis Seculis gratulata eſt ſibi Epiſcopum ſuum Brunonem, Jmperatoribus Ottoni I. II. & III ſanguinis propinquitate conjunctum, creatum Romæ Supremum Epiſcopum, Gregorium hujus nominis V. appellatum.

Octo itaque Seculis more Epiſcopatuum aliorum ſub Romana poteſtate conſtitutus, tempeſtates quaſvis ſuperavit; verùm inita pace Weſtphalica Orthodoxæ Eccleſiæ ereptus, & Suecorum Regi permiſſus, temporis ſucceſſu Duci Hanoverano tributa ſolvit. Is inter Ducatum Bremenſem, Luneburgicum & Comitatum Hoyenſem medius, & longitudine & latitudine ſua complectitur circiter 6. milliaria Germanica. Sunt in Ducatu urbes

Verda cap. Ducat. Rotenburgum &c.

§. XVII.
DE DUCATU WESTPHALIÆ.

INter primos in Circulo Weſtphalico Duces jure meritiſſimo cenſetur & ſuſpicitur Elector Colonienſis, cujus poteſtati adjecit, uti ſuperiùs memoratum, Fridericus I. Imperator Ducatum Weſtphaliæ, dum Henricus Leo Saxoniæ & Bavariæ Dux fuit proſcriptus, & ſuis exutus Provincijs. Archiepiſcopi munere eadem ætate ſingulari ſui encomio functus eſt Reinoldus II. & hoc mortuo Philippus I. uterque Comes; prior Luneburgicus, poſterior Heinsbergenſis, uterque Cæſari gratiſſimus, & ideo tanto beneficio honoratus.

Ducatus Weſtphaliæ longitudine 14. circiter, latitudine potioribus in partibus 6. aut 7. numerans milliaria, à Septentrione adjunctum ſibi habet ſuperiorem Comitatum Marchiæ & Lippienſem; ab Oriente Epiſcopatum Paderbornenſem & Comitatum Waldekenſem; à Meridie Comitatum Witgenſteinianum & Naſſoviæ, nec non partem Archiepiſcopatus Colonienſis; ab Occaſu Comitatum inferiorem Marchiæ. In Ducatu urbes ſunt

Arenſ-

Arensberga. Menda. Nehemium. Ervelta. Haka. Melſcheda. Frienothum. Gravenſteinium. Oldendorpium. Anſruncæ. Ruda. Beelika. Neohuſium. Werla. Stadberga. Kaldehartum. Brilonium. Mosbacum. Hallenberga. Droshaga. Olepa. Biſteinium.

Hæ aliæque urbes & oppida plura ſupra unum florenorum millionem quotannis Archiepiſcopo ſuo colligunt.

§. XVIII.
DE PRINCIPATU MINDENSI.

INter hujus Circuli Status Seculares numerantur hodie Princeps Mindenſis (quondam Epiſcopus) & Comes Marchiæ Weſtphalicæ ſimúlque Ravenſpergi, quorum nomen, poteſtas ac dignitas, cùm in uno Electore Brandenburgico hodie reſideat; hinc de his agendum eſt hoc loco.

Principatus Mindenſis ad Viſurgim viſendus jungitur Epiſcopatui Oſnabrugenſi, & quatuor Comitatibus, ſcilicet Diepholdiano, Hoyenſi, Ravenſpergico & Schaumburgenſi; milliaribus 7. longus, & ferè totidem latus eſt. A Witikindo M. ad Aras Romanas converſo Principatus hic in Epiſcopatum mutatus, uſque ad Seculum XVI. ſub Romanis Pontificibus floruit. Tum verò evertendis Aris præbuit anſam urbs Minda, à Saxonum Duce & Haſſiæ Landgravio ad defectionem pellecta, eo ex tempore crebriùs oppugnata & expugnata, multis defuncta eſt periculis. Poſt varias rerum viciſſitudines Epiſcopatus hic perantiquus in Principatum Secularem tranſverſus, an. 1649. Electori Brandeburgico tanquam Feudum Jmperij more aliorum Principatuum eſt conceſſus, poſtquam is Suecorum Regi Pomeraniam ceſſit Citeriorem. In Principatu hoc urbes ſunt

Minda. Berga. Lubeka. Haga Petri. Renneberga. Schlitelburgum.

§. XIX.
DE COMITATU MARCHIÆ WESTPHALICÆ.

COmitatus Marchiæ inter Rhenum & Albim Comitatuum omnium maximus, Ducatu Clivenſi, Montenſi & Epiſcopatu

Monaſterienſi cingitur, atque trianguli inſtar porrigitur, longitudine ſua & latitudine 14. milliaria Germanica adæquans. Urbes in eodem ſunt

Marchia. Hammona. Kama. Lynia. Suſatum. Unna. Dortmunda, alijs Tremonia urbs Jmp. Gaſtorpium. Bokum. Eſſena. Werda. Hattinga. Hardenberga. Brekenfelda. Werdoela. Neoſtadium &c.

Comitatus hic anno *1666.* partem hæreditate, partim tranſactione Electori Brandeburgico adjudicatus, cùm abundet frumento, pecoribus, ſylvis frugiferis, metalli fodinis & lapicidinis; hinc proventibus annuis facilè aureorum millionem poſſet æquare, niſi lucro obicem poneret tempeſtas varia, fortuna diverſa, & omnium Regnorum ac Regionum mutatio crebra.

§. XX.
DE COMITATU RAVENSPERGICO.

COmitatus Ravenspergicus longitudine 10. latitudine ſecundum potiorem partem 5. par milliaribus Germanicis, circumcingitur Epiſcopatibus Monaſterienſi, Paderbornenſi, & Oſnabrugenſi, necnon Principatu Mindenſi & Comitatu Lippienſi.

In Comitatu Ravenspergico ſunt

Ravenſperga. Bilefelda. Sparenberga. Herfordia. Angria ſepultura Witikindi M.

Comitatus Ravenspergicus eodem modo, quo Comitatus Marchiæ an. *1666.* Electori Brandeburgico eſt aſſertus.

Atque ex dictis hactenus apparet, quam amplam Weſtphaliæ partem Elector Brandeburgicus hodie poſſideat: longitudo enim Ditionum harum univerſarum 50. circiter, latitudo 40. milliaria complectitur, quæ colligendis 10. florenorum millionibus annuatim videntur abundè ſufficere.

§. XXI.
DE PRINCIPATU EMBDANO, SEU FRISIÆ ORIENTALIS.

DUces in Circulo Weſtphalico ſequitur proximè Princeps Friſiæ Orientalis, quem Fridericus IV. Jmperator Auſtriacus anno

no 1458. ob præclara in Romanum Jmperium merita Comitatu Embdano, hodie Principatu donavit. Anno 1654. Enno Ludovicus à Ferdinando III. Cæſare in numerum Jmperij Principum eſt adſcriptus. Cæterùm ejusdem Principatus inter mare Germanicum, Comitatum Oldenburgicum, Epiſcopatum, Monaſterienſem & Gröningam medius, longitudine ſua 11. latitudine 7. ſuperat ferè milliaria Germanica. Urbes in Principatu ſunt

Eſſena. Witmunda. Fredberga. Remda. Auricum. Oldarſum. Emda. Norda.

Reditus annui ſuperare creduntur centum florenorum millia.

§. XXII.

DE COMITATIBUS VARIIS IN CIRCULO WESTPHALICO.

Comitatus Hoyæ Viſurgi adjacens meridiem verſus attingit Principatum Mindenſem; verſus Occidentem Comitatum Diepholtianum. Comitatum hunc poſt emortuos Comites inter ſe diviſerunt Elector Hanoveranus & Landgravius Haſſo-Caſſelius. In Comitatu ſedes ſunt celebriores

Hoya. Novoburgum. Barenburgum. Libenavia. Vechtum. Freudenburgum. Steigeberga. Stoltenaugia.

Comitatus pariter Diepholtianus nunc Electori Hannoverano eſt ſubjectus; qui inter Epiſcopatum Monaſterienſem & Comitatum Hoyenſem locum obtinuit.

Comitatus Benthemienſis ſat amplus inter Epiſcopatum Monaſterienſem & Confæderatas Provincias, præſertim Zutphaniam & Tranſiſalanam intermedius habet urbes præ reliquis nobiliores Benthemium. Northemium.

Comitatus Teklenburgicus Epiſcopatum Monaſterienſem habet à ſiniſtris, Oſnabrugenſem verò à dextris.

Comitatus Steinfortenſis ferè circumcingitur parte Epiſcopatus Monaſterienſis Meridionali. Eſt is ipſe medius inter Comitatum Benthemienſem & Tecklenburgicum. Atque hi Comites ejusdem ſtemmatis & originis in tres excrevêreramos his ipſis nominibus hoc loco expreſſos, & hac de cauſa conjunctos.

Co-

Comitatum Cronsfeldenſem vide in Ducatu Limburgenſi.

Comitis de Holzapfel jura & bona in Comitatu Naſſovienſi Hadamarenſi ſunt ſita.

Comitatus Lingenſis in Monaſterienſi Epiſcopatu medius, ovi figuram exhibet. Verſus Orientem jungitur Epiſcopatui Oſnabrugenſi. Eſt Ditionis Brandeburgicæ.

Comitatus Reckemienſis in Epiſcopatu Leodienſi eſt inquirendus.

Comitatûs de Sayn partes tres poſſident Elector Trevirenſis, Dux Saxo-Eiſenacenſis & Burggravius Kirchbergenſis. Comitatus hic Confluentiis haud procul diſtat.

Comitatum de Styrum & Brock in Ducatu Montenſi eſt videre.

Comitis de Vehlen Ditiones ſunt per Weſtphaliam variis in locis diſperſæ.

Comitatus Lippienſis proximè adjacet Epiſcopatui Paderbornenſi, Comitatui Ravenſpergico & Schaumburgico verſus Orientem. Elector Brandeburgicus & Comites Lippienſes in duas diviſi Lineas, ſcilicet Dethmoldicam & Bükenburgicam poſſident Lippiam. Dethmoldiam. Lembgoviam. Bükenburgum.

Secularibus Statibus hactenus recenſitis accedunt Comes Oldenburgicus & Delmenhorſtanus, cujus gemini Comitatus inter mare Germanicum, Viſurgim fluvium, Comitatum Diepolthianum, Epiſcopatum Monaſterienſem, & Principatum Embdanum ſunt medij; longitudine 15. ſumma latitudine 12. milliaria Germanica circiter complectuntnr. Urbes in eisdem ſunt

Oldenburgum. Jevera. Kniphuſia. Wildhuſium. Delmenhorſta &c.

Uterque Comitatus hic priori Seculo Anthone Günthero abſque liberis mortuo ceſſit denique Danorum Regi, poſtquam lis de ſucceſſionis jure inter ipſum & Ducem Holſatiæ aliquo tempore fervebat.

Comitatus Schaumburgicus in finibus Circuli Weſtphalici verſus Orientem ſituseſt. Comitatum hunc ſecundum partem potiorem jure hæreditatis adeptus eſt Landgravius Haſſo-Caſſelius, præ reliquis in eodem eminent

Schaum-

Schaumburgum. Rintelia. Saxenhaga. Rotenberga. Oldendorpium. Brukenburgum & Stathaga Comiti Lippiæ ſubduntur.

Comitatus Spiegelbergenſis inter Principatum Hildeſienſem & Hameliam in Ducatu Hannoverano eſt medius ; hujus ipſius Ducis Feudum eſt Comitibus Naſſoviæ olim collatum.

Comitatus Pyrmontanus eſt prope Ditiones Corbejenſes, quæ ſubduntur Comiti de Waldek.

Comitatus Rietbergenſis juxta Epiſcopatum Paderbornenſem verſus Orientem conſpicitur.

Comitatus Sternbergenſis non ita pridem dicitur eſſe conjunctus cum Comitatu Lippienſi.

Tot Comitum ſtirpes,aut ſingulorum in Circulo Weſtphalico locum ac ſedē aliáque jura, vix ritè in Juriſperitis publicis, aut Hiſtoricis inveniet Lector ſolertiſſimus; cùm diverſorum diverſa ſint his etiam in rebus capita & ſententiæ, quas qui diſcutere velit, præſertim noſtra ætate, cribro hauriet aquam, & ipſe vapulabit à multis. Sufficiat nobis omnium Circulorum nôſſe Præſides, ſeu Capita, & membra; ordinem prioris aut poſterioris inter ſeſe componant & tranſigant prior & poſterior, major & minor, ſenior & junior &c.

§. Ultimus.

DE URBIBUS JMPERIJ IN CIRCULO WESTPHALICO.

URbes Jmperij in Circulo Weſtphalico ſunt tres duntaxat, nimirum Colonia ad Rhenum, Aquiſgranum & Tremonia, de quarum prima, cùm mentio fuerit facta in Circulo Electorali, hinc ejusdem hoc lōco multīs non meminiſſe oportet.

Aquiſgranum inter Rhenum & Moſellam Jmperij urbs, tantò eſt celebrior, quantò ab ipſis Jmperatoribus eſt frequentata magìs. Granus Neronis Jmperatòris frater, ſi tamen hujus nominis quiſpiam Seculo I. vixerit, eam urbem condidiſſe à nonnullis creditur. Authores alij Carolum M. Aquiſgrani credunt authorem, utpote de quo, cùm ex Hiſtoricis permultis conſtet, quanto eam & vivus amore proſecutus fuerit, & ſibi morituro aliiſque Jmperatoribus ſepulchrum in ea elegerit, longè fortius argumentum ſibi ſuppetere credunt.

Tre-

Tremonia, vulgò Dortmunda, Weſtphaliæ urbs in Comitatu Marchiæ ſita, circumcingitur Regione perquam fertili; cujus fertilitatis causâ Carolus M. duos pagos aut oppida ibidem extructa dudum, in urbem Jmperij convertiſſe legitur, ut haberet Jmperator Sedem tanto hoſpite & tanto conditore dignam. *De univerſo hoc Circulo vide authores ſuperiùs ſæpe citt.*

CIRCULUS IX. SAXONIÆ INFERIORIS.

TABULA TOPOGRAPHICA CIRCULI UNIVERSI.

§. I.

CIrculus Saxoniæ Inferioris longitudine ſua ferè 58. latitudine 48. par milliaribus Germanicis, verſus Septentrionem jungitur Daniæ, ſeu Ducatui Schleſvicenſi & mari Balthico; verſus Orientem Circulo Saxoniæ Superioris, præſertim verò Pomeraniæ & Marchionatui Brandeburgico; verſus Meridiem Principatui Anhaltino & Superioris Thuringiæ parti; verſus Occidentem Circulo Weſtphalico, atque in hoc maximè Comitatui Schaumburgenſi; Hoyenſi & Oldenburgico. In Circulo Saxoniæ inferioris ex Statibus Eccleſiaſticis compluribus relictus eſt ſolus Epiſcopus Hildeſienſis, unde de Epiſcopatu more Circulorum priorum ſit.

§ II.

DE EPISCOPATU HILDESIENSI.

EPiſcopatus Hildeſienſis inter Ducatum Luneburgicum & Brunſuicenſem omnino medius eſt ita, ut priori verſus Septentrionem, poſteriori verſus Orientem, Meridiem & Occidentem ſit

ſit incluſus, ſimúlque magnas in anguſtias redactus; Ditiones poſſidet quatruplici in loco poſitas, quæ ſi uno tractu forent conjunctæ, latitudine & longitudine facilè æquarent duodecim milliaria Germanica. Urbes Epiſcopo ſubjectæ ſunt

Hildeſium, alijs Hildeſia. Alefeldia. Bockena. Elza. Gronovium. Sarſtedium. Peina. Popenbergum. Daſſela. Binderla. Hunnorum tractus minor. Leinenburgum. Liebenburgum. Rutha. Schladeshemium. Winzenbruckum. Woldenbergum &c

Sufficiunt urbes hæ ſeptem Comitatus & Præfecturæ colligendo in annos quosvis facilè dimidio florenorum millioni. Ita multi, ſalvo quæſtorum in Hildeſienſi Epiſcopatu judicio aut arbitrio.

§ III.

DE ORIGINE AC PROGRESSU EPISCOPATUS HILDESIENSIS.

EPiſcopatus Hildeſienſis authore Principe EpiſcopoRomano (more Epiſcopatuum in Germania aliorum) Adjutoribus Carolo M. & hujus filio Ludovico Pio circa annum 796. eſt inchoatus. Fundamento firmamentum addiderunt Epiſcopi, tum coemptis novis Ditionibus, tum loco pulſis jure optimo adverſarijs, tum ſuperatis periculis alijs profectò plurimis, quod teſtati ſunt noſtris maximè Seculis ultimis Erneſtus II. Ferdinandus & Maximilianus Henricus, tres Duces natione Bavari, qui Epiſcopatum Hildeſienſem ab hoſtibus vaſtatum reſtituerunt maximopere.

In numeroſa Serie Epiſcoporum Hildeſienſium Archiepiſcopus Colonienſis tenet nunc locum quinquageſimum ſextum. Eminuerunt inter eosdem maximè D. Bernvvaldus ex ſtemmate Comitum Somersburgicorum; D. Gothardus Comes Schyrenſis Bavarus, quorum hic Monaſterium Salzanum, ille S. Michaelis erexit. Epiſcopatui huic favebant etiam Otto III. Henricus II. cognomento Sanctus, Fridericus Ænobarbus, Philippus, & noſtro tempore Imperatores natione Auſtrij; D. Bernvvardi enim conſtanter propugnavit partes Otto III. Cum D. Gothardo Henricus Sanctus commu-

municavit conſilia, & utrique multa communia fuerunt bona. Hermannum & Adologum permagni æſtimavit Jmperavit Ænobarbus; Epiſcopo Ferdinando nato in Bavaria Duci partim conſervârunt, partim reſtituerunt Ditiones jam ſeculo XVI. circa annum 1520. ereptas Ferdinandus II. & III. Jmperatores. Canonici in Cathedrali Eccleſia ſunt 40.

DE STATIBUS SECULARIBUS
IN CIRCULO SAXONIÆ INFERIORIS.

§. IV.
DE ORTU ET PROGRESSU DUCUM BRUNSUICENSIUM.

IN Circulo Saxoniæ Inferioris inter Seculares Status primum, aut certè primos inter occupat locum Dux Brunſuicenſis Hannoveranus, nunc nonus & novus Jmperij Elector à Leopoldo M. Jmperatore an. 1692. creatus, & an. 1708. à Joſepho Cæſare confirmatus, conſentientibus denique Jmperij Statibus univerſis.

Duces Brunſuicenſes, utì in Circulo Saxoniæ Superioris memoravimus, ex ſtemmate antiquiſſimo & nobiliſſimo, nimirum Welfforum prognati, primum generis ſui authorem eundem ſortiti ſunt cum Electoribus & reliquis Saxoniæ Ducibus ex Wernicke Witikindi M. & fratris Brunonis genitore, atque ex hujus & Majorum Serie longa oriundi omnes. Quamvis verò Cunigunda inferioris Bavariæ hæres nupſerit Azoni Eſtenſi Marchioni Jtalo, Welphus tamen III. Cunigundæ frater Dux Bavariæ Lineam Welphorum ſeu Welforum continuavit, & inſuper in Henrico Nigro nepote ſuo Duce pariter, Bojorum Billingorum Lineam conjunxit, ducta in thalamum Henrici Nigri Wulphilde Billinga, Magni Saxonum Ducis filia. Quamvis etiam Henrici Nigri filius Henricus Superbus, & ex hoc nepos Henricus Leo fuerint proſcripti à Friderico I. atque adeò Ducatus Bavariæ fuerit translatus ad Comites Witelſpachios, & Ducatus Saxoniæ Superioris ad Lineam Aſcaniorum; nihilominus inter tres Henrici Leonis filios ea methodo ſunt bona diviſa, ut filius primus

mus Henricus Junior fuerit Dux *Zellenſis & Comes Palatinus Rheni*, cujus filia Jrmengardis cùm nupſiſſet Hermanno IV. Marchioni Badenſi; hinc etiam hujus nominis Marchiones Welphorum ſanguine cœperunt nobilitari. Filius Henrici Leonis alter *Otto Brunſuicenſis* eſt dictus, & tandem Cæſar electus, qui ſine hærede eſt mortuus. Fratrum tertius Wilhelmus inchoavit *Lineam Luneburgicam*, cujus filius Otto cognomento *Puer*, denuo conjunxit Brunſuicenſes & Luneburgenſes Duces, ſed & diviſit iterum in filio primo Alberto M. *Brunſuicenſi*, & *Joanne* filio altero Luneburgenſi. Alberti M. filij tres unà cum Brunſuicenſi tres conſtituerunt Lineas; ſcilicet *Henricus Mirabilis Grubenhagenſem*, *Albertus Pinguis Göttingenſem*, & *Wilhelmus Brunſuicenſem*. Grubenhagenſi dein Seculo XVI. abſque hærede maſculo emortua, & Wilhelmo pariter abſque liberis defuncto, Albertus *Göttingenſem* & *Brunſuicenſem* rurſus conjunctam in *Erneſto* & *Magno I.* filiis diviſit; quin in filijs tribus ita auxit, ut *Otto* Dux *Göttingenſis*, Ludovicus *Luneburgenſis* & Magnus II. *Brunſuicenſis* Dux fuerit appellatus. De Luneburgenſi poſtea: nunc hoc loco ſolùm Brunſuicenſem proſequemur; cùm Göthingenſis etiam ſit in Ottone Coclide extincta.

Magnus II. cognomine Torquatus relinquens Henricum filium, in hujus nato Wilhelmo Seniore fundavit Lineam Brunſuicenſem *Colenbergicam*, & in filio altero Henrico Pacifico *Brunſuicenſem Wolfenbütelianam*. Harum prior Seculo XVI. abſque maſcula prole eſt finita; Wolffenbüteliana pari ratione in Friderico Ulrico an. 1634. abſque liberis mortuo eſt terminata, ſed ita, ut Auguſtus Brunſuicenſis hæres Friderici Ulrici effectus in filiis tribus, ſcilicet in *Rudolpho Brunſuicenſem*, in *Antonio Ulrico Wolffenbütelianam* continuaverit; & in *Ferdinando Alberto Bevernienſem*, ſeu vulgò *de Bevern* inchoaverit. *Brunſuicenſis Wolfienbüteliana* floret hodie.

Jam hoc loco notandum eſt Magno II. Torquato tres filios ſuperſtites fuiſſe, quorum primus Fridericus Cæſar ad modiciſſimum tempus creatus, & mox gladiô percuſſus an. 1400. Lineam *Limbeckenſem* inchoàvit & finiìt, non niſi duas numerans filias. Filiorum tertius *Henricus Brunſuicenſem* propagavit, utì percepimus; filiorum alter

alter *Bernardus Luneburgicam* altiùs evexit, & ampliùs diviſit; in abnepote enim ſuo *Henrico Juniore*, qui tres genuit filios, initiavit *Lineam Harburgenſem*, ſcilicet in *Ottone Seniore*; in *Erneſto Lineam Zellenſem*; in *Franciſco Lineam Giffhornenſem.* Harum ultima abſque filiis eſt terminata ſeculo XVI. Prima verò Seculo XVII. *Erneſtus Zellenſis* Dux in filio *Henrico Lineam Dannebergicam* inſtituit, ex qua enati ſunt Duces Guelpherbytani, vulgò *Wolffenbüteliani moderni*, & *Bevernenſes* extincti.

Lineam *Luneburgicam* in Wilhelmo Juniore auxit pater filiorum ſeptem & filiarum octo. Filij duo primi Chriſtianus Ludovicus & Georgius Wilhelmus ſucceſſu temporis finiêrunt *Lineam Zellenſem*; filius tertius *Joannes Fridericus Lineam Hannoveranam* inchoavit, Fidem Romanam amplexus, & Auguſtæ an. 1679. mortuus, cujus frater Erneſtus Auguſtus an. 1692. Elector, utì dictum, creatus in filio & nepote propagavit genus ſuum.

Atque ex hactenus recenſitis elucet, Ducum Saxonum genus per Brunſuicenſes in duodecim Lineas ſucceſſu temporis fuiſſe diviſum, ſcilicet.

1. InZellenſem 2. Brunſuicenſem 3. Lunburgicam 4. Grubenhagenſem 5. Göttingenſem 6. Calenbergicam 7. Wolffenbütelianam 8. Limbeckenſem 9. Harburgenſem 10. Güfſornenſem. 11. Dannebergicam 12. Nivernenſem. Ex quibus nominibus hodie ferè trium duntaxat meminit Geographica, nimirum Ducum *Brunſuicenſium*, *Wolffenbütelianorum* & *Bruncuicenſ-Luneburgico-Hannoveranorum.* Atque hos inter maximam ferme partem Saxoniæ inferioris diſtribuemus, poſtquam Lineam Luneburgicam paucîs conſideraverimus, cujus Ditiones ſuis jam conjunxit Elector Hannoveranus poſt Julium Franciſcum an. 1689. ſine hærede maſculo extinctum.

Superiùs memoratum fuit, ab Ottone Divite Aſcaniæ Comite in ſponſam electam fuiſſe Eliken è ſtirpe Billungorum natam, atque adeò Welffos & Billungos affinitatis vinculo connexos, cauſam dediſſe novæ inter Saxoniæ Duces Lineæ, dictæ *Aſcaniæ*, ex qua ſucceſſu temporis deſcenderint Electores Saxoniæ primi, Electores

ctores Brandeburgici, Duces Lauenburgici & Anhaltini: de Ducibus proin Lauenburgicis hæc accipe. Inter Electores Saxoniæ Albertus I. Ottonis Divitis pronepos, Bernardi primi Electoris filius Seculo XIII. reliquit filios duos Albertum II. & Joannem; hic Inf. Saxoniam hæres adeptus Lauenburgi ſedem fixit; unde Duces Lauenburgici dicti filij Joannis uſque ad annum 1689. genus ſuum propagârunt; hoc enim anno Julius Franciſcus Ducum Lauenburgicorum ultimus mortalem clauſit vitam relictis duabus filiabus, quarum primam Annam Mariam Franciſcam duxit Philippus Wilhelmus Comes Palatinus Neoburgicus anno. 1693. mortuus. Alteram Franciſcam Sibyllam Auguſtam deſponſavit ſibi Ludovicus Wilhelmus Marchio Badenſis an. 1707. defunctus. Hinc Maſculo hærede deficiente Ducatus Lauenburgicus poſt lites varias inter Electorem Saxoniæ, Ducem Luneburgicum & Anhaltinum agitatas, Duci Luneburgico Hannoverano eſt conceſſus.

§. V.
DE DUCATU LUNEBURGICO.

Elector Hannoveranus in Circulo Saxoniæ inferioris poſſidet Ducatum Luneburgicum, qui tum longitudine, tum latitudine ſua circiter 20. milliaria Germanica adæquans, à Septentrione attingit Ducatum Holſatiæ & partem Ducatus Lauenburgici; ab Oriente partem alteram Ducatus hujus; Comittatum Dannenbergenſem, & Marchionatum Brandeburgicum; à Meridie Ducatum Brunſuicenſem & Epiſcopatum Hildeſienſem; ab Occidente demum Ducatum Verdenſem & Bremenſem. In Ducatu Luneburgico urbes ſunt

Luneburgum. Danneberga. Hizgera. Schnaggenburgum. Berga, Triera. Berdovium. Harburgum. Ulza. Dalenburgum. Dodendykum. Wittinga. Giffhornia. Fallerslebia. Meinerſa. Utſa. Borgdorffium. Zella. Winſa. Walſroda. Soltavia. Stipshornia.

§. VI.

DE DUCATU LAUENBURGICO.

DUcatui Luneburgico ſubjungimus meritò Ducatum Lauenburgicum, utpote vicinitatis & jurisdictionis vinculo priori conjunctus eſt poſterior, uterque hodie ſub poteſtate Electoris Hannoverani conſtitutus. Ducatus itaque Lauenburgicus inter Ducatum Luneburgicum, Mechlinianum & Holſatiæ medius, & ad Albim fluvium ſitus, longitudine ſua circiter 12. latitudine ſumma 8. milliaria Germanica numerat. Urbes in eodem ſunt

Lauenburgum. Damum. Neohuſium. Wirtenberga inferior. Weninga. Razeburgum. Molla, aliis Mollhemium.

Ducatui Lauenburgico junge Regionem Halderlandiam in angulo Ducatus Bremenſis ad mare Germanicum ſitam, vix quinque milliaribus longam, vix quatuor latam, in qua urbem magni nominis invenire vix datur. Halderlandiam ſuam dixit quondam Dux Lauenburgicus: nunc quis poſſideat & impoſterum, forſan ſub judice lis eſt.

§. VII.

DE DUCATUS BRUNSUICENSIS PARTE.

DUcatus Brunſuicenſis totus in tres partes à medio Hildeſienſi Epiſcopatu diviſus, ex parte Orientali jungitur Marchionatui Brandeburgico & Magdeburgico quondam Archiepiſcopatui; ex parte Septentrionali Principatui Anhaltino, Eichfeldiæ & Ditionibus Haſſo-Caſſelianis, nec non Epiſcopatui Paderbornenſi; ex parte Occidentali Comitatui Schaumburgenſi & Hoyenſi. Longitudinem & latitudinem ob partium diſperſionem vix licet metiri.

In Ducatu Brunſuicenſi *ex parte Occidentali* poſſidet *Elector Hannoveranus* Hannoveram. Neoſtadium. Wunsdorffium.

Ex *Parte Meridionali.* Hameliam. Grondam. Bodenvverdam. Oldendorffium. Principatum Grubenhagenum. Embeccam. Oſterodam. Herzbergam. Elbingerodam. Montem S. Andreæ.

In *Principatu Sylveſtri Superiori* Northemium. Göttingam. Mundam. Wolpam. Lutherbergam. Eberſteinium &c.

Tot Ditionibus ſi jungas Ducatum Verdenſem, olim Epiſcopatum, item Comitatum Hoyenſem & Diepholtanum, aliáque bona per varios Jmperij Circulos diſperſa, non miraberis, ſi legas Electorem Hannoveranum non minùs, quàm Duces alios, ex ſuis Ducatibus, Principatibus & Comitatibus ſingulis ac univerſis colligere quotannis ſeptem aut octo florenorum milliones.

Cæterùm in Collegio Electorum S. R. Jmperij 1. Occupat Sedem ultimam. 2. Eſt Archiſignifer in Romano Jmperio. 3. Gaudet ijsdem privilegiis communibus, quibus donati ſunt Electores reliqui. 4. Eſt Præſes in Circulo Saxoniæ Inferioris. Vide multa alia in Juriſperitis publicis.

§. VIII.

DE DUCATUS BRUNSUICENSIS PARTE ALTERA.

IN Ducatu Brunſuicenſi in parte Occidentali poſſidet *Linea Guelpherbytana* urbes Goslariam, urbem equidem Jmperij, Duci tamen Brunſuicenſi ſubjectam ex parte. Item Beveram. Cellerfeldiam. Wildemannam. Grundam. Lauthenthallium, Dux uterque poſſidet jure comuni. Homburgum. Harzburgum.

In parte Orientali poſſidet Brunſuigum. Guelpherbytum. Helmſtadium. Luteram. Luteram regiam. Schöningam. Walckenriedam. Supplinburgum. Blankenburgum.

Dux Guelpherbytanus, quamvis poteſtate & Ducatibus minor ſit longè Electore & Duce Hannoverano Brunſuicenſi, non minor tamen felicitate & benedictione cœleſti, habet cur gratuletur ipſe ſibi, & eidem Jmperium præcipuè Germanicum, cujus ſolatio maximo dedit Familia Guelpherbytana ſtemmate vix ulli Germanorum etiam Ducum ſecunda, Eliſabetham Chriſtinam Jmperatricem, Dominam Noſtram Auguſtiſſimam, quæ divitiis terræ quibusvis major, dum Jmperio fert fructus omni pretio pretioſiores, Familiæ Guelpherbytanæ parit honores nulli pretio comparandos.

§. IX.

§. IX.

DE DUCATU BREMENSI QUONDAM ARCHIEPISCOPATU.

DUcatus Bremenſis hodie, quondam Archiepiſcopatus, inter Albim & Viſurgim medius, à Septentrione proximum ſibi habet mare Germanicum & Ducatum Holſatiæ; ab Oriente Ducatum Luneburgicum & Verdenſem; à Meridie Comitatum Hoyenſem, & partem Ducatus Lauenburgici. Longitudine ſua ferè 16. Latitudine complectitur milliaria 12. In Ducatu Bremenſi urbes &c ſunt Brema, urbs Jmperij, quod vix concedunt Sueci. Stada, Buxtetuda. Freiberga. Bremervoerda &c.

Ex his aliíſque urbibus & oppidis cæteríſque annexis Ducatui bonis, unum florenorum millionem extorquebunt facilè quæſtores ſeduli.

§ X.

DE ORIGINE ET PROGRESSU ARCHIEPISCOPATUS BREMENSIS, ET HUJUS IN DUCATUM SECULAREM MUTATIONE.

EPiſcopatus quondam Bremenſis ſuam ob originem plurimùm fuit obſtrictus Carolo M. cujus potentiſſimis auxiliis adjutus & animatus D. Bonifacius annuente Romano Pontifice Willehadum natione Anglum, parem ſibi inter Germanos Apoſtolum, primum Bremenſibus dedit Epiſcopum. Annis ſuæ ætatis ultimis idem Jmperator Carolus ſecum ſtatuit Hamburgi Archiepiſcopatum erigere. Opus à genitore cœptum proſecutus denique filius Ludovicus Pius ad finem perduxit; pallium enim mittente Gregorio IV. Pontifice Archiepiſcopus omnium primus creatus D. Anſgarius Hamburgi haud longo ſedit tempore: à Danis namque & Normannis hoſtibus ex urbe ſua ejectus, annis pluribus in villa Ramſol ab Jbia vidua ſibi oblata Epiſcopi munus obibat. Tanti tandem exulis miſertus Germanorum Rex Ludovicus cognomento Germanicus eò rem perduxit, ut tam Hamburgenſium Archiepiſcopatus, quàm Bre-

men

menſium Epiſcopatus ita coaleſcerent, ut Archiepiſcopo Bremæ novo utriuſque ſpes & res cederentur. Etſi verò mutationi huic ſeſe fortiter opponeret Colonienſium Archipræſul, utpote cujus Suffraganei olim fuerunt tam Hamburgenſium, quàm Bremenſium Antiſtites, nihilominus rem ratam habuit an. 858. D. Nicolaus M. Pontifex. D. Anſgarius itaque Hamburgi ſimul & Bremæ Archiepiſcopus conſtitutus & confirmatus, ejusdem nominis Succeſſores eſt nactus uſque ad Seculum XII. Cùm verò non Hamburgi, ſed Bremæ plerique eorundem ſedem fixiſſent ſuam, eam ob rem in Archiepiſcopis ſuis Hamburgi nomen penitus evanuit. Suffraganei Archiepiſcopo Bremenſi à D. Nicolao fuerunt ſubjecti Lubeccenſis, Schleſvicenſis, Razenburgenſis, Schvverinenſis, Lebuſenſis & Caminenſis Epiſcopi. Archiepiſcoporum Bremenſium omnium ultimus Chriſtophorus, natus Dux Brunſuicenſis Henricum Zutphanienſem præconem Lutheranum ſuſtulit an. 1525. ut Lutheri dogmatis obex poneretur: verùm Bremenſium civitas more aliarum in Jmperio civitatum excuſſo omnis obedientiæ fræno, à forenſi tumultu prolapſa temere in Eccleſiam, pro arbitrio diſponebat omnia, & nova doceri ſacra poſtulabat, poſito in ſede Archiepiſcopi ſacerdote apoſtata, quem *Superintendentem* nominâvit. Interea Chriſtophoro Archiepiſcopo in Fide Romana conſtantiſſimo ſucceſſit denique frater Georgius Dux Brunſuicenſis; qui Eccleſiæ Orthodoxæ deſertor factus, poſt ſe traxit Succeſſores ſibi haud diſſimiles. Unde hic etiam Archiepiſcopatus pace anno 1648. Monaſterij inita in Ducatum Secularem mutatus, eo ex tempore Suecorum Regi collum ſubdidit; igitur ob Ducatum hunc aliáſque Ditiones in Saxoniæ Inferioris Circulo ſitas Suecorum Rex unà cum Electore nunc Hannoverano, nunc Brandeburgico vices mutantibus, Supremus eſt Præſes in eodem Circulo. Cæterùm Regum Suecorum Genealogiam & jura eorundem alias vide inferiùs de regno Sueciæ.

§. XI.
DE DUCATU MAGDEBURGICO, QUONDAM ARCHIEPISCOPATU.

DEſcripto per Synopſim Bremenſium Archiepiſcopatu, per Albim fluvium

fluvium ad Archiepiſcopatum Magdeburgicum & Epiſcopatum Halberſtatenſem, hodie Secularem Ducatum geminum aſcendimus. Horum prior, nempe Magdecburgicus ſemi-circulo non multùm abſimilis, à Septentrione includit partem Occidentalem Marchionatus Brandeburgici; ab Oriente jungitur alteri ejusdem Marchionatus parti; à Meridie Principatui Anhaltino; ab Occidente Ducatui Halberſtatenſi & Brunſuicenſi. Longitudine ſua ſemi-circulari par eſt 36. latitudine pleriſque in ſuis partibus 6. milliaribus Germanicis. Urbes ſunt in Ducatu

Magdeburgum. Burgum. Roſenburgum. Salza. Sandavia. Alchslebia. Calba. Hala Saxonum. Volmerſtadium.

§. XII.

DE ORIGINE ET PROGRESSU ARCHIEPISCOPATUS MAGDEBURGICI, AC HUJUS IN DUCATUM SECULAREM MUTATIONE.

ARchiepiſcopatus annitente plurimùm Ottone M. Cæſare erectus Seculo X. numeravit Archiepiſcopos Romanis Aris addictos 42. inter quos Adalbertus primus, ultimus verò Albertus IV. Marchio Brandeburgicus anguſtias multas pro Religione conſervanda ſuſtinuit, ſeditionibus ſubditorum & Martis tumultibus admodum obnoxius. Inter univerſos morum ſanctitate, animarum Zelo, doctrinâ & miraculis clariſſimis numerô XIII. Archiepiſcopus D. Norbertus Ordinis Præmonſtratenſium Author, eminuit, jam ſuo tempore, ſeculo nimirum XIII. teſte Jmperatore Lothario II. à civibus Magdeburgi ſeditioſis durè habitus. Cæterùm tam Magdeburgicus Archiepiſcopatus, quàm Halberſtatenſis Epiſcopatus metamorphoſin triſtiſſimam perpeſſi, & habitum profanum induere coacti, ac denique Electori Brandeburgico ſubjecti, tributorum copiam eidem ſolvunt permagnam: florenorum millionem unum alterúmve ſiquis annis ſingulis colligi dicat, à veritate non procul aberrat; ſolus enim Ducatus Magdeburgicus ad Albim optimè locatus, tum ſuamet natura fertilis, tum tractandis mercimoniis peraccomodus, tum etiam magnum implens ſpatium, copioſos Duci ſuo gignit conſtan-

ſtanter proventus. Ducatus verò Halberſtatenſis tametſi longè minor; ſuis tamen minimè caret fructibus; Martem proinde priori Seculo non tam accendit Religionis novæ, aut, uti, ajunt melioris ardor, quàm bonorum Eccleſiaſticorum amor & auri ſacra fames, qua inflamati Boreales præſertim Viri Principes ardentiſſimè pro focis novis certârunt, ut aras Antiquas everterent. Cæterùm Archiepiſcopo Magdeburgico à Romano Pontifice olim ſubjiciebantunr Epiſcopi Merſeburgenſis, Naumburgenſis, Miſnienſis, Brandeburgenſis & Havelbergenſis.

§. XIII.

DE DUCATU HALBERSTATENSI, QUONDAM EPISCOPATU.

DUcatus, Epiſcopatus quondam, Halberſtatenſis inter Ducatum Brunſuicenſem, Archiepiſcopatum Magdeburgicum, Principatum Anhaltinum medius, Longitudine 10. latitudine nunc 3. nunc 4. nunc 5. milliaribus æqualis eſt. Numerantur in eodem urbes Halberſtadium, alijs Hemipolis. Aſcherlebia, alijs Aſcania. Gatterslebia. Gruinga. Oſtervvikum. Hornburgum.

§. XIV.

DE ORTU ET PROGRESSU EPISCOPATUS HALBERSTATENSIS, AC HUJUS IN DUCATUM SECULAREM MUTATIONE.

EPiſcopatus Halberſtatenſis, antea Selingſtadienſis appellatus, adjutore maximo Carolo M. circa annum 780. eſt inchoatus. Numeravit eo ex tempore Epiſcopos univerſim legitimos 48. quos inter omnium primus Hildegrinus natione Gallus, Catalauni natus, D. Ludgeri frater, per Annos 47. Diæceſin perbene curavit. Celebre nomen poſteris præter alios Epiſcopos reliquerunt Heymo & Ditmarus uterque editis libris clariſſimus. Epiſcoporum omnium Halberſtadij ultimus Leopoldus Wilhelmus Auſtriæ Archidux Ferdinandi II. Cæſaris filius, fata profectò ſuſtinuit graviſſima, odiis expoſitus hoſtium plurimorum maximis; qui denique Epiſcopatum in

Principatum, ſeu Ducatum Secularem immutârunt, parùm ſolliciti de incremento vel damno Eccleſiæ. Elector Brandeburgicus loco amiſſæ Pomeraniæ Citerioris eundem denique impetravit inita pace Weſtphalica tali pacto, quale Canonicis maximopere diſplicere potuit, quibus partim Orthdoxis, partim Heterodoxis permanere conceſſum eſt, redituum notabili parte Electori Brandeburgico aſſerta, in cujus poteſtate etiam eſſet deinceps pro arbitrio in Ducatu hoc novo diſponere, adempta propemodum omni diſponendi copia Canonicis ſuo Epiſcopo, ſuo Capite deſtitutis.

§. XV.

DE DUCATU MEGALOPOLITANO.

DUcatus Megalopolitanus inter Ducatus in Romano Jmperio maximos numerandus, utpote longitudine ſua ultra 30. latitudine verò nunc ultra 20. nunc 12. milliaria Germanica emetiens, à Septentrione alluitur à Mari Balthico; ab Oriente adjacet Pomeraniæ & Marchionatui Brandeburgico; à Meridie eidem Marchionatui & Comitatui Dannebergico; ab Occidente Ducatui Lauenburgico & Holſatiæ.

Dividitur Ducatus Megalopolitanus in VII. partes, nimirum

I. In Ducatum Megalopolitanum, qui adjacet Holſatiæ & mari Balthico. II. Principatum Vandaliæ. III. Principatum Suerinenſem IV. Comitatum Suerinenſem. V. Principatum Raceburgicum. VI. Dominium Roſtochienſe. VII. Dominium Stargardienſe.

Septem has partes poſſident hodie duo diverſi ex Ducum Megalopolitanorum ſtirpe rami, alter *Suerinenſis*, alter *Strelizenſis* dictus. Quæ omnia ut uberiùs intelligantur, tabulam Megalopolitanorum Ducum Genealogicam præmittimus.

Si ritè meminerunt Veterum Annales & Regum obſervatores, tunc jam ante Chriſtum natum Seculis tribus Megalopolitanorum Ducum majores latè dominabantur populis ad mare Balthicum: Anthyrius enim Herulorum Rex circa annum mundi 3700. ſtirpem propagavit Regiam, ex qua deſcenderunt Reges Vandalorum Seculo

lo

lo Chriſti V. in Germaniam, Jtaliam, Hiſpaniam & Africam ipſam perlati, ubi partim omnia expilârunt, partim ſedes Regias erexerunt. Uſque ad Seculum Chriſti V. Reges Herulorum & Vandalorum ſanguinis cognatione conjuncti, tam ad mare Balthicum, quàm in Africa perdurârunt, quo eodem Seculo VI. à Juſtiniano I. fuerunt expugnati Gilimere ultimo Vandalorum Africanorum Rege in triumphum Conſtantinopolim abſtracto. Reges Vandalorum ad mare Balthicum abſque ſucceſſionis interruptione ad Seculum XII. aſcenderunt, quo tempore Miſtevoius Vandalorum Rex in filio *Andracho & Udone Regium ſanguinem propagavit*, in filio autem III. *Bugislao* initium dedit Ducibus Pomeraniæ.

Bugislai nepotes ad finem ejusdem Seculi XII. Pomeraniam in Citeriorem & Ulteriorem jam diviſerunt: ſucceſſu temporis enati ſunt rami *Wolgaſtinus* & *Stetinus*, *Rugianus*, *Bartianus*, *Rugenwaldenſis* &c. Ex parte altera Pribislaus ab Henrico Leone Saxonum Duce poſt variæ fortunæ pugnas tandem ad internecionem deletus, depoſito Regis titulo Vandalorum Dux I. eſt nuncupatus, ſimúlque dicto Pontifici Romano ſacramento Orthodoxa Sacra quà exemplis, quà auxiliis propagavit: profectus etiam cùm Henrico Saxone in Palæſtinam; redux verò Monaſteriis pluribus & urbi Roſtochio angularem lapidem poſuit.

Bribislai filius Henricus Burevinus cognomento Senior in filio primo Henrico *Lineam Giſtrowenſem* ſeu *Werlenſem* inchoavit; in filio altero Nicolao Lineam Megalopolitanam continuavit, ita tamen ut hic mortuus ſine hærede Joanni ex fratris Henrici filio primo bona Megalopolitana reliquerit: fratres verò Joannis tres reliqui Lineas, *Güſtrowenſem*, *Roſtochienſem* & *Parchinenſem* partim propagârint, partim inchoaverint. Tam Roſtochienſis, quàm Parchinenſis brevì absque hærede maſculo ſunt emortuæ; Megalopolitana verò & Güſtrovvenſis ampliùs floruerunt; de harum priori nunc, de poſteriori poſtea.

Henricus Leo Henrici Burevini junioris pronepos ultimus Princeps Megalopolitanus Dux creatus à Carolo IV. Cæſare in Alberto I. filio Lineam *Megalopolitanam* conſervavit; in filio Joanne I. *Stargardienſem*

dienſem fundavit. Stargardienſis tres generationes in filiis non ſuperavit; Megalopolitana verò in Joanne IV. in *Lineam Suerinenſem* & *Güſtrovvenſem* fuit diviſa: Adolphus namqne Dux Suerinenſis, frater verò Joannes Albertus II. Dux Güſtrovenſis dictus, Ditiones inter ſeſe diviſerunt. Güſtrovvenſis Linea an. 1695. in Guſtavo Adolpho finita, Lineæ Suerinenſi ceſſit omnia. Verùm hæc priori Seculo in *Suerinenſem*, *Mirovenſem*, *Grabovvenſem* & *Strelizenſem* diviſa, tali modo denique Ditiones diſtribuit, ut *Suerinenſis* & *Strelizenſis* ferè æquales partes hodie poſſideant, Mirovenſibus & Grabovenſibus modico relicto.

§. XVI.

CArolus Leopoldus itaque Dux Megalopolitanus Suerinenſis poſſidet hodie

IN DUCATU MEGALOPOLITANO

Megalopolim. Gadebuskum. Greviſmœllam. Buckovium. Wiſmaria Metropolis eſt ſub Ditione Suecica

IN PRINCIPATU VANDALIÆ

Guſtrovium. Parchimum. Domitium, aliis Domizam. Graboviam. Sternbergam. Varenos. Malchovium. Plaviam. Stavenhagam. Jvenacum. Malchinum &c.

IN PRINCIPATU SUERINENSI ET COMITATU

Buzovium olim Epiſcopi Sedem. Suerinum. Wittenburgum &c.

IN DOMINIO ROSTOCHIENSI

Roſtochium. Ribnitium. Sulzium. Warnemundam.

IN DITIONIBUS ADOLPHI FRIDERICI DUCIS STRELIZENSIS SUNT

Stargardia vetus. Brandeburgum novum. Strelizium Sedes Ducis. Nemorovia. Miravia, Feldberga. Fridelandia, accedit & Principatus Razenburgicus.

Atque

Atque univerſæ Ditiones hæ unà cum mercimoniis terrâ marique frequentibus pariunt in annos quoſvis aliquot florenorum milliones.

§. XVII.

DE DUCATU HOLSATIÆ.

Ducatus Holſatiæ longitudine ſua 22. latitudine 16. milliaribus Germanicis par aut major, verſus Septentrionem Lauſatiam attingit; verſus Orientem mare Balthicum; verſus Meridiem Ducatum Lauenburgicum, Bremenſem & mare Germanicum.

Ducatus Holſatiæ in quatuor provincias dividitur, nimirum I. In Holſaticam propriam, II. Wagrienſem, III. Stromarienſem, IV. Dithmarſienſem.

§. XVIII.

DE ORIGINE DUCUM HOLSATIÆ.

Reges Daniæ ſimul & Duces Holſatiæ Ducatum Holſaticum & Schleſvicenſem, diviſo tamen Dominio poſſidentes, originem ſuam trahunt non minùs, quàm Saxoniæ Duces à Witikindo M. Wigbertus enim Witikindi filius in Brunone filio primo ſtemma Saxonicum propagavit, in filio autem altero Walperto Comitum de Ringelhaim Lineam inchoavit: Walperto huic tres nati filii tres inchoârunt Lineas diverſas, Dietricus nimirum Comitum de Oldenburg & Dolmenhorſt, Witikindus junior Marchionum & Ducum Montisferrati; Beroaldus Ducum Sabaudiæ. De Comitibus Oldenburgicis & Delmenhorſtiis hoc loco duntaxat erit dicendi campus.

Joannes X. ex Linea Oldenburgica, ſeu Ringelhemiana ortus, in filio primo Joanne XI. Comitum Oldenburgicorum genus propagavit Seculo XIV. In Chriſtiano autem IV. Delmenhorſtiorum Lineam inchoavit. Seculo dein XV. Theodoricus Fortunatus Oldenburgicus in filio primo Chriſtiano modernorum Regum Daniæ ſtirpem fundavit; in Mauritio autem Comitum Delmenhorſtiorum genus nuper ex parte emortuum propagavit. Gerardus filius medius Comi-

tes

tes Oldenburgicos in filijs & nepotibus uſque in diem hodiernum conſervavit.

Chriſtianus I. Theodorici Fortunati filius, Rex ſimul Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ coronatus, jure hæreditatis vendicavit ſibi Ducatum Holſatiæ & Schleſvicenſem; unde Chriſtiani I. filius primogenitus Joannes patri in ſolio triplici ſucceſſit; Fridericus verò I. filius ſecundogenitus primò Dux Schleſvicenſis & Holſatiæ, poſt varios tumultus denique etiam Rex Daniæ & Norvvegiæ eſt creatus, depoſito Chriſtiano II. Chriſtiani I. filio. In tres dein Lineas diſtributa eſt ſtirps Schleſvico-Holſatica; Fridericus enim II. Chriſtiani III. filius Regum *Danicorum* propagavit *progeniem*; Joannes frater Holſatico-*Sunderburgicam*, inſtituit Lineam; Adolphus Friderici I. *Holſatico-Gottorpienſem* fundavit. Holſatico-Sunderburgica miris excrevit incrementis: Joannes enim Sunderburgicus 23. liberorum genitor in Alexandro filio *Sunderburgicam Lineam*, in Friderico *Neoburgicam*, in Philippo *Glicksburgicam*; in Erneſto *Plönianam*. Alexandri dein filij inchoârunt *Lineam Franzenhagianam*, *Catholicam aliam*, ùt vocârunt; *Auguſtoburgicam*, *Beckenſem & VVîſenburgicam*, ex quibus omnibus ſola Catholica habetur pro finita & mortua, utpote hærede unico maſculo ſuperſtite, quem in Eccleſiaſtica dignitate Uratislaviæ & Olomucij conſtitutum novimus. Ex Plöniana & Gottorpiana enatæ ſunt Lineæ novæ complures, ita ut ferè filijs ſine numero ex ſtirpe Witikindiana prognatis, præſertim in Holſatica & Schleſvicenſi vix ſuperſint Ditiones antiquæ & nova nomina; unde futurorum commodorum & incommodorum providi Reges Danorum & Duces Schleſvicenſes eo pacto inter ſeſe convenêre, ut Ditiones in Ducatibus Holſatiæ & Schleſvicenſi inter duas duntaxat partes principes dividerent; partes verò reliquæ vel ex bonis Eccleſiaſticis reditus quærerent, vel divitias Martis beneficiô impetrârent, vel fauſtis nuptiis augerent, vel denique de conſanguineorum menſa victum acciperent. Tantas anguſtias patitur multiplicata nobilitas!

In Provincia Holſatica poſſidetur à Danorum Rege Rensburgum. Jzehoum.

A Du-

A Duce Holſatiæ Gottorpienſi poſſidetur Chilonium. Bordisholmium.

In Wagrienſi Provincia Regis Danorum ſunt Plona, quam ceſſit Lineæ Ploenſi. Segeberga. Oldesloum. Heiligenavium.

Ducis Holſatiæ ſunt Oldenburgum. Ranzovia. Eutinum.

In Provincia Stormarienſi Regis Danorum ſunt Glükſtadium ſeu Tychopolis. Altenovia. Krempa. Pinneberga cum Comitatu.

Gottorpii Ducis ſunt Trittovia. Rhenobecca. Barmſteda.

In Provincia Ditmarſienſi Regis Danorum ſunt Meldorpium. Brunsbütelia.

Gottorpii Ducis ſunt Heyda. Lunda.

§. XIX.

DE DUCATU SCHLESVICENSI.

DUcatum Schleſvicenſem jungimus Ducatui Holſatiæ, utpote vicinitatis & ſanguinis vinculo in Ducibus utriſque conjunctum. Ducatus Schleſvicenſis à Septentrione ad Meridiem excurrit milliaribus Germanicis 15. ab Oriente verò ad Occidentem milliaribus 8. Eſt inter Germanicum mare & Balthicum, Regnum Daniæ & Ducatum Holſatiæ medius.

In Ducatu Schleſvicenſi Regis Danorum ſunt Flensburgum. Glücksburgum. Haderslebia. Urbs Chriſtiani. Alſena inſula. Sunderburgum. Norburgum. Arroa inſula verſus mar. Balthic. Roma inſula verſus mar. Boreale. Amroma inſula verſus Boream. Fora Inſula verſ. Bor.

Ducis Holſatiæ eſt pars media, & urbes ſequentes: Schleſvicum. Gottorpium. Appenrada. Tundera. Huſumum. Tonninga. Fridericopolis. Ecklenforda. Strandia Septentrionalis. Sylta. Inſula ſancta. Fimiera inſula verſ Orient. Inſulæ verſ. Bor.

Tam Holſatiæ, quàm Schleſvicenſis Ducatus gemino vicinus mari & Albi fluvio, promovendis mercimoniis eſt à natura adaptatus; unde vectigalia & alia variæ notæ & nominis tributa ex mercibus ſimul & piſcibus, pecoribus, lignis & artefactis omnino di-

verſis admodum augent tam Danorum Regis, quàm Ducis Holſatiæ proventus annuos; hinc ſi ritè divinârunt nonnulli, ex Ducatu utroque ſupremus Dominus uterque annis ſingulis unum alterúmve florenorum millionem poterit hoc tempore haud difficulter colligere.

§. XX

DE PRINCIPATU OLDENBURGICO SEU LUBECENSI, QUONDAM EPISCOPRTU &c.

IN Ducatu Holſatiæ ab Ottone I. circa annum 952 divitiîs abundè eſt inſtructus & erectus Epiſcopatus Oldenburgicus, quem Dux Henricus Leo an. 1163. annuente Romano Pontifice Alexandro III. Lubecam transtulit, unde nomen obtinuit Epiſcopatus Lubecenſis, qui Seculo XVI. ſecundum potiorem ſui partem Lutheri doctrinam eſt amplexus, longo tamen tempore inter Principatus Seculares non eſt numeratus. Canonici in Cathedrali Eccleſia dicuntur eſſe 30. è quorum numero quatuor Orthodoxi ſtationem ſuam conſervârunt multo minimùm tempore. Ab anno 1535. ſedere cœperunt Præſules (ita appellare non nefas ſit) Lutherani, quorum primi non auſi ſunt publicè nuptias contrahere, hoc etiam titulo glorioſi, ut uxoribus ſaltem ad ſpeciem deſtituti potiùs inter Principes Eccleſiaſticos, quàm Seculares cenſerentur. Joannes verò X. Dux Holſatiæ Juliam Felicitatem Würtenbergicam duxit circa an. 1634. ex quo tempore cœperunt ſibi Epiſcopi Lubecenſes religioni ducere non nubere. Cæterùm Canonici Lubecenſes libertatem in Epiſcoporum electionibus nunquam non ſervandam ſibimet ademerunt eo pacto, quo promiſerunt Holſatiæ Ducibus ex Gottorpiana Linea natis & naſcituris, ſe ſucceſſu temporis ſex filios ex Gottorpiana Familia electuros in ſuos Epiſcopos, cujus promiſſi jam multos ſeriò ſed ſerò pœnituit.

Ditiones Epiſcopi Lubecenſis ſunt per Holſatiam & Schleſvicam diſperſæ, amplæ tamen, & alendis multis etiam Lutheranorum Epiſcoporum uxoribus & liberis pares.

In Ducatu Schleſvicenſi & Holſatiæ fuerunt Epiſcopatus Schleſvicenſis & Razenburgenſis, quos maxima ex parte elapſis multis ſeculis erexit Adelbertus Hamburgenſis ſeu Bremenſis Archiepiſcopus: iidem

dem verò Epiſcopatus unà cum alijs Seculo XVI. cœperunt mutari in Principatus Seculares.

Huc pertinere videtur Abbatiſſa quondam Lubecenſis ad S. Joannem, cujus tamen ordinem turbavit nova religio.

Ducatibus & Principatibus in Circulo Saxoniæ inferioris junguntur duo duntaxat Comitatus, nimirum Ranzavienſis, & Reinſteinienſis, de quorum poſteriori jam ſuperiùs eſt mentio facta, ubi de Comitatibus Ditioni Brandeburgicæ ſubjectis dictum.

De Comite Ranzau ſequentia narrat Hermannus Hermes: *Comites de Ranzau originem deducunt à Wiperto II. Comite de Groitz & Marg. Lauſniz an. 1124. mortuo, cujus majores in Holſatia ſedem habuerunt. An. 1650. Chriſtianus de Ranzau Regius locum tenens in Holſatia, & Legatus ad Cæſarem à Ferdinando II. Cæſare Comes creatus eſt an. 1554. Ex hac Familia 120. in vivis fuerant, & 73. arces, oppida, vicos præter diverſa alia ædificia ſplendida poſſederunt.* Hactenus *Hermes.*

§. Ultimus.

URbes Jmperij in Circulo Saxoniæ Inferioris ſunt ſex, quæ veniunt hoc ordine:

Hamburgum ad Albim fluvium urbs Jmperij à mercimoniis celebre admodum nomen habet. An. 787. dicitur eſſe condita ab Uthone Duce quopiam, cui ob ſingularia merita regionem huic urbi adſitam, dono dediſſe ajunt Carolum M. Jmperatorem.

Lubecam in littore maris Balthici ædificâſſe circa annum 1140. imperante Conrado III. dicitur Adolphus Dux Holſatiæ.

Brema ad Viſurgim extructa authorem alterum Seculo XI. habuiſſe dicitur Umanum Epiſcopum, dum hic priùs ædificatam mœnibus cinxiſſe traditur.

Goslaria in Ducatu Brunſuicenſi quondam pagus aut oppidum ab Henrico Aucupe Jmperatore creditur eſſe circumdata.

Mülhuſium in Thuringia ad fluvium Inſtrut erectum, conditorem ſuum vix bene prodidit. Rex Thuringiæ Herminfridus Seculo Christi VI. urbis nomine & privilegiis donâſſe exiſtimatur.

Nordhuſium in Thuringia prope Miſniæ fines ſita Merovingum Francorum Regem ſuum agnoſcit conditorem.

Cæterùm dictos Romani Jmperij novem Circulos Geographorum multi nequaquam dignitatis, ſed regionum ordine conſiderârunt ea ratione, ut tres Circulos ad Danubium, tres alios ad Rhenum, & tres reliquos inter Danubium & Rhenum medios, ad Mænum Albim, Viſurgim & Viadrum ſitos numeraverint, nimirum cernitur in eorundem ordine Circulus ad Danubium Auſtriacus, Bavaricus, & Suevicus; ad Rhenum Rhenanus Superior, Inferior & Weſtphalicus; intermedij Circuli ſunt Franconicus, Saxoniæ Superior & Inferior.

TABULA CHOROGRAPHICA TOTIUS BOHEMIÆ.

§. I.

Regnum Bohemiæ inter nobiliſſimas totius Germaniæ partes numerandum meritò, hoc primùm venit loco, tametſi Bohemorum Rex dignitate præcellat in Romano Jmperio Electoribus quibusvis Secularibus; Maximilianus enim I. Jmperator quamvis univerſam Bohemiam more Provinciarum aliarum meditatus ſit dividere in duos Circulos, atque adeò univerſum Jmperium Germanicum in duodecim Circulos diſtinctum deſiderârit intueri, nunquam tamen Auguſto deſiderio reſpondit eventus, quoniam Bohemorum Rex & Status non admodum propinquam cum Jmperio Romano conjunctionem admittere ratum fixum habebant, remotiori vinculo & fœdere contenti. Eſt item Bohemia in Corpore totius Europæ hactenus deſcriptæ eum in modum locata, ut hunc ſibi ordinem ipſa depoſcere videatur; nam infra Europæ pectus Geographicum

cum quadantenus ſita eſt, vicina maximè infimis, hoc eſt, Borealibus Regnis & Provinciis: Bohemia enim à Septentrione junctam ſibi attingit Luſatiam & Sileſiam; ab Oriente Poloniam & Hungariam; à Meridie Auſtriam; ab Occidente Palatinatum Superiorem, Franconiam & Voitlandiam, numerans ſua longitudine circiter 50. latitudine verò 40. milliaria, imò ſi Moraviæ Marchionatum additum velimus, ferè 50. Ab hoc verò Marchionatu ſeparata Bohemia conſuevit dividi in octodecim Circulos minores, quorum duæ ſint claſſes; Circuli nimirum eorundem alij ſunt in Bohemia intermedij, alij verò limitanei. Omnium primus in medio eſt

I. Pragenſis, in quo ſunt urbes Praga nova, Praga vetus & urbs minor.

II. Raconizenſis, in quo ſunt Raconicum. Burglicium.

III. Slanenſis, in quo Slana. Velvvaria. Domaſinum.

IV. Beraunenſis, in quo Berona, alijs Beraunum. Caroloſteinium.

V. Chaurzimenſis, in quo Chaurzimum. Broda Bohemica.

VI. Czaslavienſis, in quo Czaslavia. Cutna. Colinum. Broda Germana.

VII. Moldavienſis, in quo non ſunt urbes.

CIRCULI LIMITANEI.

VIII. Chrudimenſis, in quo Chrudima. Bamberga. Brandiſium. Litamislia.

IX. Glacenſis, in quo Glacium. Havelsvvertha. Mittevvalda.

X. Gradicenſis, in quo Reginæhardecum, alijs Reginægradecium. Jaromitia. Chlumnitia. Trantnovium. Nachoda eſt inter Ditiones Principis Picolominij.

XI. Litmerocenſis, in quo Litomericum, alijs Litomericia. Auſtia, alijs Auſtiga. Teplicium. Melnicum.

XII. Boleslavienſis, in quo Boleslavia vetus. Boleslavia nova. Fridlandia. Nimburgum. Tornovium.

XIII. Egranus, alijs Egrenſis, in quo Egra.

XIV. Cubitanus, in quo Cubitus.

XV. Ziattenſis ſeu Zatenſis, in quo Zatecium. Comotovium, Cadanum.

XVI. Pilnenſis, in quo Pilſna, alijs Pilſenum. Glatovium. Tachovium. Tauſa.

XVII. Pracenſis, in quo Piſecum. Crumlavium, alijs Crumlavia. Prachatiza.

XVIII. Bechinenſis, in quo Budoviſſa. Thabor, alijs Taborum. Bechinum. Vitigenoa.

§. II.
DE PROVENTIBUS EX BOHEMIA COLLIGENDIS.

BOhemia ferè quarumvis rerum abundantiâ vix cedit ulli in univerſa Europa Regno, ſi tamen ſpatij magnitudinem excipias; nam & Hiſpania, & Gallia, quin & Hungaria Bohemorum Regno ſunt majores longè: abundat ſiquidem Bohemia tritico, ſiligine, hordeo, avena, & multiplicis alterius in agris colendi fructus genere: ſunt ibidem in collibus & montibus fodinæ variæ, ex quibus eruitur aurum, argentum, ſtannum, cuprum, ferrum, plumbum, mercurius, quin etiam adamantis adeſſe dicunt copiam.

Spatium permagnum vendicant ſibi ſylvæ & prata, quibus paſcuntur greges copioſi equorum, boum, ovium, imò cervorum etiam, & aprorum &c. Eſt ſuus quoque arboribus ingens fructus, quibus accedunt lupuli exteris nationibus, quàm Bohemis pretioſiores. Aere fruuntur aves, & aquis aluntur piſces maximo numero: viſuntur adhæc thermæ maximè ſalutares. A mercimoniis abhorrent minimè Bohemi; hinc Hebræis etiam plurimis ſuus conceditur habitationi idoneus locus ſat carò emptus, crebrò redemptus, & meritò redimendus. Ex tanta rerum abundantia, etſi non minimam ſibi copiam vindicatam ſciat Nobilitas Bohemorum ampliſſima; quamvis etiam partem abundè magnam poſſideat Status Eccleſiaſticus, ultra duodecim tamen florenorum milliones jure deberi quotannis ſibi aſſerit Bohemorum & Rex & Jmperator Carolus.

§. DE

§. III.

DE BOHEMIÆ STATU ANTIQUO ET MEDIO.

TErram, quam hoc tempore colunt Bohemi, coluêre multis ante Chriſti incunabula Seculis Suevi; Suevis ſucceſſerunt Boij, Boijs ultra Danubium translatis Marcomanni; Marcomannis ſedem deſerentibus Slavi, qui quondam Moſcoviæ ampliſſimum tractum tenuerunt, dein verò ſpatium iſtud ingens occupavêre, ubi nunc eſt Hungaria, Sclavonia, Bohemia, Sileſia, Polonia &c. An verò Slavorum inde migratio contigerit Seculo V. VI. vel VII. à Servatoris noſtri nativitate, lis eſt inter Scriptores litem parturiens alteram, quam de origine & antiquis Bohemorum ſacris ſimúlque moribus moverunt authores, litem ſanè nunquam facilè decidendam. Id communiùs traditum eſt, circa annum 640. Bohemis cœpiſſe leges ferri à Ducibus duodecim uſque ad Jmperium Ottonis M. qui D. Wenceslaum Regem regno dediſſe primum noſcitur. Secuti ſunt Wenceslaum partim Reges, partim Duces numero XX. quorum ultimus Uladislaus III. fratri Primislao conceſſit ultro Bohemiæ faſces ea lege, ut ſibi Moraviam Rex frater ſartam tectam relinqueret. Primislaus itaque cognomento Ottocarus à fratre Dux conſtitutus, dum partes Philippi Jmperatoris adversùs Ottonem æmulum defendit, ab eodem Jmperatore Bohemorum Rex creatus an. 1200. fundamenta jecit Regibus in Bohemia deinceps perpetuis, ſi demas modica interregnorum intervalla. In tres claſſes eos ferè diſtinctos novimus: claſſis prima dicatur *Bohemica*, altera *Lüzelburgica*, poſtrema *Auſtriaca*; eos tamen hìc Reges exceptos cupimus, quos ſuis intervallis elegerunt Bohemi, quales fuerunt Reges Henricus Carinthiæ, & Ludovicus Bavariæ Dux, Jmperatoris Ludovici filius, Georgius Bodiebrodus, & Mathias ſimul Bohemiæ & Hungariæ Rex. Ex claſſe Bohemica erant Reges Primislai duo, dicti Ottocari, & Wenceslai tres: ex claſſe altera Joannes, Carolus, Wenceslaus, & Sigiſmundus: ex claſſe reliqua Rudolphus Alberti I. Jmp. filius, Albertus II. Ladislaus Alberti hujus filius &c. Vide *plura inferiùs*.

Quan-

Quantis verò tumultibus fuerint ſubjecti, aut veriùs ſponte ſua ſe ſubjecerint Bohemi à Wenceslai hoc nomine ultimi Regis ſui ætate ad annos uſque Ferdinandi II. Jmperatoris & glorioſiſſimi Bohemiæ victoris, dum apprime nôrunt plurimi, avent fortaſſis multi alij paucis intelligere.

Wenceslaus Bohemorum Rex, & denique Romanorum Jmperator haudquaquam Carolo IV. patri par filius, dum Norimbergæ eſt natus, omen multiplex prodidit, Copronymo ſimilem natum eſſe Succeſſorem. Pubes factus Joannam è Bavariæ Ducum ſanguine natam duxit conjugem, cui thori fidem ſervavit parùm. Reginæ multis virtutibus ornatæ à confeſſionibus erat D. Joannes Nepumocenus, quem de ponte Pragenſi in Moldavam dedit præcipitem, quòd Reginæ labes divini ſigilli ſacramento munitas Regi ſacrilego non prodidiſſet. Defuncta anno 1388. ex animi veriùs, quàm corporis dolore conjuge prima, duxit alteram è Bojorum gente natam Principem Sophiam, quam inter hiſtrionum greges ex Bavaria in Bohemiam tranſtulit. In Aula Regia alere ſolebat prægrandes moloſſos, qui incondito latratu & canino dente hoſpites terrebant, & mordebant, cacchinnos addente Wenceslao. Ædificium quoddam aulæ propinquum extrui ſuper præterfluentem aquam curavit eo fine, ut illuc introducti viri fœminæque undis immergerentur, & cum aquis luctantes Regi riſum moverent. Carnificem ſibi pro liberis Regiis in patrinum deligebat, quem lateri Regio adhærere mandavit, ut obvios multos etiam non dicta causâ capite plecteret: quin uno eodémque equo vehebatur ſæpe & Rex & carnifex, ſpectatoribus multis ſpectaculum hoc inauditum riſu proſequentibus, plurimis verò lacrymas affundentibus. Aliquando parieti dum inſcripta legit verba: *Wenceslaus alter Nero*, mox ipſe verbis verba addidit: *ſi non ſum, adhuc ero.* Cùm hac ratione & verbis & factis ferocire non deſtitiſſet tyrannus, an. 1329. conjuratione facta à ſexdecim ſimul armatis captus in carcerem eſt datus. Menſibus ferè quatuor cùm inter cuſtodes delituiſſet, ſimulatis precibus impetravit è cuſtodia educi, & ſordibus ablui; ſed tum ita luſit cuſtodum oculos & manus effugit, ut in Moldavam deſcendens operâ cujusdam ancillæ flumen ſupe-

ſuperârit, & ſociis tyrannis ſe reſtituerit. Aliàs inter venandum interceptus Viennam uſque perductus venit, ubi cùm multo tempore inter cuſtodias fuiſſet ſervatus, piſcatoris cujusdam conſilio & ope evaſit, ſub cujus fimeto diem alterum latuit, ut exploratorum inſidias eluderet. Eodem piſcatore comite in Bohemiam clam rediît, quò ubi pervenit, nihilo minùs, quàm antea ſæviît, demeſſis multorum nobilium capitibus; piſcatorem verò Bohemiæ nobilem creavit, Joannem Gründel de Vienna cognominatum.

Wenceslai tempore Pragæ numerabantur è ſtudioſa juventute quadraginta quatuor millia, inter quæ cùm Germanorum pars magna floreret, & inter diſſidia literis & armis crebrò vinceret, ea de cauſa Joannes Huſs in Academia turbator veriùs quàm Doctor, popularium ſuorum, ſcilicet Bohemorum partes plùs æquo defenſurus, operâ Sophiæ Reginæ à Rege extorſit ſententiam literariæ juventuti permoleſtam: igitur eadem die excedere ex urbe ſunt viſa quadraginta juvenum millia; qui finis rerum Lipſienſi Academiæ in Miſnia, ſed & Wicleffianæ hæreſi initium fecit; eadem enim ætate libri Wicleffiani in Bohemiam ex Anglia translati, ſuſque deque vertebant omnia, Wenceslao malum vel promovente vel permittente, & inuſitata identidem gaudia tyrannorum veterum more adornante; evenit namque is etiam inter multos Rege indignos rerum eventus, nimirum cùm carnificum & lanionum amicus Rex nullo non tempore ſanguinem ſitiret, & ipſe experiri vellet, quo maximè modo ſe haberent illi, quibus mors carnificis infligenda manu immineret, vocavit mox patrinum ſuum gladiô armandum, ut Regi amputaret caput; patrinus itaque ad obſequia paratus, cùm abſque mora Wenceslao oculos obligaret, & vaginâ duntaxat collum feriret, tum verò Rex gravi periculo defunctum ſe ratus, juſſit æquali periculo defungi percuſſorem ſuum, cui ita ligavit oculos & caput gladio percuſſit Rex factus carnifex, ut in proverbium abiêrit: cave ne ludas cum Wenceslao, ſed nec rem ſeriam agas. Tandem anno 1419. apoplexiæ morbo poſtratus Wenceslaus inter ejulatus vitam finiît, poſtquam pluribus abhinc annis ab univerſis Jmperij Statibus Jmperatoria Majeſtate eſt privatus, ſuffecto in Jmperij

rij ſolium Sigiſmundo Wenceslai fratre; qui cùm Conſtantienſe Concilium quà conſiliis, quà auxiliis conſtanter ſuffulciîſſet, ſimúlque Joannem Huſs & Hieronymum Pragenſem è medio ſuſtuliſſet, Bohemorum inde plurimorum adeò incurrit odium, ut paſſim Regi Sigiſmundo obedientiam negarent; quin an. 1418. in apertas flammas erupit non unius duntaxat hæreſis incendium maximum. Hæreticorum & ſeditioſorum dux ſupremus Joannes Ziſca monoculus intra ſex annorum ſpatium 550. Monaſteria ſolo æquavit. Haud ſatìs erat rebelli populo ſævire in Bohemos ſuis partibus contrarios, ſed in Miſniam, Sileſiam, Lauſatiam, Auſtriam, Bavariam &c frequentes tentârunt impetus, ubi urbes & oppida non modò ſpoliârunt, ſed magnam earundem partem demoliti ſunt, nec incendiis, nec prædationibus, nec lanienis ponentes modum. Ultimo vitæ ſuæ triennio orbatus erat utroque oculo Ziſca, ſupremi tamen ducis munus non relinquebat, non ſemel tantùm copioſorum exercituum, quos Germania miſit, haud cæcus victor. An. 1414. per Pragæ viciniam graſſante peſtilentiæ morbo plurimi cadebant: eodem correptus malo Ziſca decumbebat; igitur rogatus in agone, qua ratione ſepeliretur, reſpondit: pellem meam corpori demite, & eam in tympani modum extendite: carnes verò meas feris & avibus in pabulum projicite. Brevì moriturus munus ſuum cedebat ſuo ex ſorore nepoti Procopio, qui cum avunculo ter ſupra decies contra varios hoſtes victoriam reportavit, & ſolus deinde victoriarum numerum auxit Miſniæ, Franconiæ & Bavariæ maximè infeſtus, unde aliquando in Bohemiam reducem victorem ſequebantur equitum 22000. peditum 52000. plauſtra auro, argento aliiſque rebus prætioſiſſimis gravata trecenta, quorum ſingulis quatuordecim equi fuerunt alligati. Sileo plura victoriæ teſtimonia ſuo tempori mæſtiſſima. Anno demum 1434. inter Procopii exercitum, & hujus hoſtes Nobiles Bohemos amicitiâ & armis conjunctos acre certamen commiſſum fuit, in quo Huſſitæ victoriam, & horum dux Procopius amiſit vitam plurimorum malorum compendium & ferè terminum; nam paulò poſt ad incitas & anguſtias redacti Huſſitæ, nec aurum ùt antea, comparare, nec virum conducere valebant ampliùs,

pro-

probè & ipſi illius dicti memores, quod adhibere ſolebat Bohemorum Rex Sigiſmundus, nimirum tunc denique vincendos eſſe Bohemos Huſſitas, quando vellent vincere Bohemi non Huſſitæ. Anno 1437. abſque hærede maſculo valedixit Jmperio & Regno Sigiſmundus, & ſtemmati Luxenburgico impoſuit finem, alium ſibi haud depoſcens Succeſſorem, quàm Albertum II. Auſtriæ Archiducem generum ſuum, de quo ſæpe dicere ſolebat, *Regna fore beata, quibus talis Princeps imperaret.* Imò fatis immaturis extinctum proſequebantur univerſi his encomiis: *mundus in maligno poſitus tanto Cæſare & Rege dignus haud erat.*

§. IV.

DE STATU BOHEMIÆ ULTIMO.

REgnante breviſſimi temporis ſpatio Alberto Rege, res multæ in Bohemia compoſitæ, eodem mortuo ſunt diſſolutæ continuò; unde denuo diverſa ſacra, & diverſa capita partes in diverſas traxerunt ſententias, quarum alia hunc, alia alium ſibi Regem poſtulabat, nullius damno majore, quàm illorum, qui ita decernebant. Anni circiter nonaginta fluxerunt ab Alberti I. obitu uſque ad Ferdinandi I. annum in regno Bohemiæ primum, quo temporis intervallo hæc ferè rerum erat facies:

Alberti I. filius poſthumus Ladislaus multis placuit, multis diſplicuit; unde pars alia Fridericum IV. Jmperatorem, pars alia Albertum Bavariæ Ducem deſideravit Regem; verùm ab utroque repulſam tulit, ut Ladislaus in ſolio ſtaret firmior. Tum verò tres Duces à partibus delecti inter ſeſe de Regno Bohemiæ decertare ſtatuerunt, nimirùm Birchenſteinius, Mainhardus, & Georgius Podiebradus, quorum ultimus dum Ladislaum poſthumum in throno collocare, vel collocatum conſervare videri poterat, permultis ſublato morte Ladislao eſt præhabitus æmulis coronam Bohemiæ quà armatis, quà deauratis precibus avidè poſcentibus. Inter æmulos tunc denique numerabantur Fridericus Jmperator, Albertus & Sigiſmundus Auſtriæ Archiduces, Carolus VII. Gallorum, & Caſimirus Polonorum Rex, Ludovicus Bavariæ Dux, Albertus Brandebur-

burgicus, Wilhelmus & Fridericus Miſniæ Marchiones. Rex Georgius Huſſitis apertè favens expertus eſt meritò hoſtes in ſuomet Regno Bohemiæ ſubditos, quorum pars potior elegit Regem Uladislaum Caſimiri Polonorum Regis filium, cui hoſtes armati occurrerunt Mathias Corvinus Hungarorum Rex, & Wilhelmus Thuringiæ Marchio. Tandem ita pax inter Uladislaum & Mathiam eſt firmata, ut uſque ad vitæ terminum Bohemiam Uladislao ceſſerit Mathias, Mathiæ verò Moraviam, Sileſiam & Lauſatiam Uladislaus. Mortuo citiùs Mathia, Uladislaus à Bohemis confirmatus, Hungaris pariter Rex placuit, cujus denique filius Ludovicus ſimul Bohemorum & Hungarorum Rex in flore juventutis prope Mohatium in prælio cecidit an. 1526.

Ludovici ſororem dum duxit Ferdinandus I. Jmperator & Bohemorum Rex, feliciſſimo vinculo Bohemiam junxit Auſtriæ, à qua deinceps nuſpiam eſt avulſum Bohemiæ ſceptrum; nam perpaucos unius hyemis menſes, quibus Fridericus Palatinus regnare magis deſiderabat, quàm regnabat, haud attendendos eſſe putamus. Ferdinandus nimirum à tribus Bohemiæ Regiis Statibus, Eccleſiaſtico, Equeſtri & Urbium conſenſu unanimi electus Bohemorum Rex partim cunctando, partim properando reſtituit rem, ſollicitus maximè de Bohemorum Eccleſia Romanæ ſervanda. An. 1558. dum Pragam triumphantis more eſt ingreſſus, occurrerunt Regi triplicis Status tria hominum millia ex nobilitate potiſſimùm delecta. Civium octo millia eodem tempore in armis ſtabant Regi placitura, mille quinquenti parvuli albis induti veſtibus dum occurrerunt Ferdinando, ſpectatorum maximè in ſe rapuêre oculos: parvulorum duces erant octo pygmæi. Hos ſecuti mille ſenes omnes canitie venerabiles. Senibus proximæ erant octingentæ pauperes viduæ; & denique agmen clauſêre duo millia virginum honeſtiſſimo cultu ornata, quarum princeps Latina eáque eleganti oratione Ferdinandum Regem excepit inter feſtiva urbis, quin Regni univerſi gaudia. Pacis optatiſſimæ fructibus frui poterant ſub Ferdinando I. Rudolpho II. Mathia & Ferdinando II. Regibus Bohemi, niſi libertatis & religionis novæ larva exteriùs ſpecioſa, interiùs fœdiſſima ad ſeditionem

nem denuo concitâſſet plebem maximè, cujus furioſi duces Cæſaris & Regis ſui miniſtros Jarolaum Martinizium, Wilhelmum Slavatam, & Philippum Fabritium ex editiori loco dederunt in profundum præcipites, ut bello triginta annis longo & aliàs difficillimo mæſta darent initia. Libertatem itaque dum anhelârunt nimiùm, libertate priſtina magnam partem haud immeritò privati ſunt, municipij nomine mutato in mancipium, quale nimirum non reſpuit Chriſtianum nomen. Hoc ipſum nomen & jugum non grave nimiùm, Bohemiæ accidit maximè ſalutiferum; ad Aras enim Romanas & obedientiam Regi debitam ſic reducti plurimi, præ ulla alia natione Germana ſerviunt in pace Deo & Cæſari jam ultra Seculum, incrementum accepturi, utì ſperamus, identidem majus, imò maximum. *Foreſtius, Florimund. Raimund. Hubner.* &c &c.

§. V.

DE DIGNITATE AC POTESTATE REGIS BOHEMORUM.

I. Rex Bohemorum inter Electores Jmperij Seculares principem tenet locum.

II. In electione Romanorum Jmperatoris aut Regis ſuffragium fert loco tertio.

III. In Actibus ad Curiam Jmperij pertinentibus præcedit Auguſtæ Jmperatrici.

IV. Vocatur Archipincerna Romani Jmperij; unde

V. Jmperatori menſæ publicæ accumbenti ſcyphum argenteum vino aquâ mixto plenum porrigit.

VI. Quamvis Coronam Regiam, dum potum Cæſari porrigit, aut Feudum ab eodem accipit, capiti impoſitam non ferat, fert tamen eandem in functionibus publicis alijs.

VII. Sedentis ſuper thronum Cæſaris occupat dexteram.

VIII. Conveniri in judicio non poteſt, niſi in regno ſuo à Statibus ſibi ſubditis.

IX. Iisdem ſuis in Bohemia Statibus poteſt concedere copiam cudendi aureas & argenteas monetas, & quidem cudendas etiam Hebræorum operâ.

X. Jm-

X. Jmperatori Romam petenti &c, tametſi copias ſuas numero definitas mittat, non tamen obligatur ipſe eſſe perpetuus Cæſaris comes.

XI. Rex Bohemorum à Romanorum Jmperatore inſignibus propriis indutus, eadem inſignia reſtituta ſibi recipit integra.

XII. Inſignia hæc non extra, ſed intra limites Regni ſui petere & induere poteſt.

XIII. Si Rex Bohemorum necdum annos majorum, utì vocamus, attigerit, curatores Regis non alios, quàm Bohemiæ Status habet.

XIV. Si de Bohemorum Regum ſanguine nullus ſuperſit hæres ſceptro idoneus, iisdem Regni Statibus competit libertas eligendi Regem.

XV. Inter inſignia Regni hujus eminet *leo duplici cauda* in altam erectâ inſignis tanquam eximiæ fortitudinis teſtimonium, quam Fridericus Ænobarbus & Jmperatores Succeſſores multi multis encomiis & privilegiîs exornârunt. *Vide plura in Juriſperitis puplicis. cit.*

TABULA TOPOGRAPHICA I.

§. VI.

DE MARCHIONATU MORAVIÆ.

PRoximè, utì dictum, adjacet Bohemiæ Marchionatus Moraviæ, qui quoad maximam ſui partem cingitur Sileſiâ, Hungariâ & Auſtriâ. Milliaribus Germanicis ferè 30. eſt longus & quindecim latus. Urbes nobiliores ſunt in Marchionatu

Olmutium. Brinnum. Hradiſca. Znoimum. Iglava.

Urbes

Urbes his minores ſunt Sternberga. Neoſtadium. Tribovia. Gevvitium. Proſnitium. Auſterlitium. Gödinga. Straſnitium. Fratinga. Evvantium. Trebitium. Maſeritium. Polna. Krumlovium poſſidet Princeps Lichtenſteinius. Nicoloburgum habet Princeps Dietrichſteinius.

Marchionatus Moraviæ fertilitate par aut ſuperior eſt Bohemiæ Regno, pene nullius rei inopiam patiens; unde meritò numeratur inter Marchionatus totius Europæ nobiliſſimos, ditiſſimos & maximos, fructus ſanè ex hoc Marchionatu annuatim collecti ſuperârunt ſæpe Ducatus in Romano Jmperio à proventuum copia permagni æſtimatos; namque tres florenorum milliones vel jam ſæpe ſolverunt, vel ſolvere potuiſſent facilè in annos ſingulos ſupremo ſuo Domino, niſi tamen ſpes anni, quod ſæpe ſolet, decipiat multos. Alia Moravorum propria ferè ſunt communia cum Bohemis; unde ſi hos laude dignos cenſeas, illos encomiis digniſſimos dicas.

TABULA TOPOGRAPHICA II.

§. VII.

DE DUCATU SILESIÆ.

Sileſiæ Ducatus ſecatur Viadro fluvio in partes propemodum æquales, numerans longitudine ſua maxima ferè 50. & latitudine ſumma 20. milliaria Germanica. Boream verſus jungitur Marchionatui Brandeburgico; verſus Orientem Poloniæ; verſus Meridiem Moraviæ & Hungariæ; verſus Occidentem Luſatiæ & Bohemiæ. Fluviis minoribus rigatur admodum multis, qui rarâ abundant piſcium copiâ.

Sileſiæ Ducatus dividitur in duas partes, quarum Superior una, Inferior altera dicitur; hæc pars Luſatiæ & Marchionatui Brandeburgi.

burgi.

burgico, illa Moraviæ & Hungariæ eſt proximior. Atque partes hæ geminæ comprehendunt XVII. Principatus & VI. Dynaſtias; nimirum in Superiori Sileſia ſunt

I. Principatus Teſchenenſis, in quo ſunt urbes Teſchena. Jabelüncka.
II. Princip. Oppavienſis, in quo Oppavia. Engelberga, & alia huc pertinentia ſubjacent Equitibus Teutonicis.
III. Carnovienſis, in quo Carnovia.
IV. Ratiborienſis, in quo Ratiboria. Sora. Oderberga &c.
V. Oppolienſis, in quo Oppolia. Roſenberga. Koſelium. Glokavium &c.
VI. Grottkovienſis, in quo Grottkovia. Niſſa.
VII. Münſterbergenſis, in quo Münſterberga. Frankenſteinium. Quibus accedunt Dynaſtia Pleſſenſis, in qua Pleſſia. Dynaſtia Bethanienſis.

IN SILESIA INFERIORI.

I. Principatus Wratislavienſis, in quo Wratislavia. Namslavia.
II. Schvveidnizenſis, in quo Schvveidnitium. Strigavia. Landishutum.
III. Jauravienſis, in quo Jauria, alijs Javera. Leoberga. Hirſberga. Vallis amoris. Boleslavia. Gryphimontium &c.
IV. Lignitienſis, in quo Lignitium. Goldberga. Lubena &c.
V. Brigenſis, in quo Briga. Olavia.
VI. Oelſnenſis, in quo Oelſna, alijs Oelſa. Bernſtadium. Julioburgum.
VII. Wolavienſis, in quo Wolavia. Leobuſium. Steinavia. Hernſtadium &c.
VIII. Glogavienſis, in quo Glogavia major. Sprotavia. Grunberga.
IX. Saganenſis, in quo Saganum. Prybuſium. Princeps Lobkovvicenſis eſt in poſſeſſione.
X. Groſnenſis, in quo Groſna. Zullichavia. Sommerfeldia. Principatibus accedunt
I. Wartenbergenſis Dynaſtia. II. Militienſis. III. Trachenbergenſis. V. Bethavienſis.

Tot

Tot Principatuum & Dynaſtiarum ſummam multi *aurifodinam*, aut *terræ pinguedinem* dixêre non pauci, qui cominus naturam Sileſiæ explorârunt; affirmârunt enim, quamvis noſtro tempore auri & argenti fodinæ non ita venas auri feraces fortè aperiant, ut quondam, adeſſe tamen metalla alia multa minoris pretij. Quin inter fluvios minores reperiri ajunt uniones non contemnendi pretij. Eſt etiam lini, lanæ & canabis in Sileſia ingens copia adeò, ut tam vicinæ, quàm remotiores etiam Provinciæ exinde lucrum quærant non modicum. Pecorum variorum armata in campis herbiferis cernuntur numeroſiſſima, quibus deeſt minimè pabulum, ſicut nec hominibus frumentum. In Sileſiæ montibus ſcaturiunt fontes ſaluberrimi. Paucis multa. Locorum natura eſt talis, ut bonitate ſua plurimos faciat non bonos; certè Sileſiorum multi in Eccleſiam Romanam & Romanorum Jmperatorem dicuntur eſſe fide nuſpiam conſtanti: id ipſum experientia teſtis docuit majores noſtros, & nos paucis abhinc annis, dum imperavit Ferdinandus II. & Joſephus Auguſtiſſimi. Non iniquo proin animo ferendum eſt, ſi jugum imponatur gravius, & tributorum pondus exigatur in annos quosvis Jmperatori ſolito majus; nam ferendis ſeptem florenorum millionibus Sileſia eſt par, tametſi nunc partem de Sileſia vindicârit ſibi Rex Boruſſiæ. Seculo primùm X. Orthodoxa Sacra dicuntur admiſiſſe Sileſij. Sat ſerò; nec ſat bene: elapſis enim Seculis incolarum non paucis dum non diſplicuit Ziſcka & Procopius, placere cœpit Wicleffus, Huſſius, Calvinus, Lutherus & Libertinus. Cum Bohemis nimirum Sileſiorum pars cœpit deſipere; utinam cum ijsdem reſipiſcerent. Cæterùm inter Catholicos tamen eſt tantò major conſtantia, quantò major in adverſariis pertinacia. Ita *teſtati ſunt Sileſij inter vivos ſuperſtites.* Cæterùm, de Regno Bohemiæ univerſo videatur *Fuggerus*, *Foreſtius*, *Scherer*, *Münchſmayr & Pockius &c.*

TABULA CHORO-GRAPHICA
HUNGARIÆ REGNI UNIVERSI.

§. I.

HUngariæ Regnum à Septentrione jungitur Regno Poloniæ ; ab Oriente Tranſylvaniæ & Wallachiæ ; à Meridie Serviæ & Sclavoniæ ; ab Occidente demum Stiriæ , Auſtriæ & Moraviæ. Longitudine ſua æquat ferè 90. latitudine verò ultra 54. milliaria Germanica. Fluvij in Hungaria celebriores ſunt

Danubius , ſeu Jſter. Tibiſcus. Savus. Dravus. Rabus. Hernathus. Waga.

Hungariam diviſêre Majores in Comitatus ſeu Palatinatus plures , quàm ſeptuaginta , quorum nomina etiam hodiedum legere eſt in quibusdam chartis Geographicis. Hodie plerumque Geographi contenti duabus totius Hungariæ diviſæ partibus , partẽ earundem alteram Superiorem , alteram Inferiorem Hungariam appellârunt.

§. II.
DE URBIBUS HUNGARIÆ SUPERIORIS.

SUperiorem eámque majorem Hungariam dicimus, quam inter Danubium , Auſtriam , Moraviam , Poloniam & Tranſylvaniam eſſe ſitam intuemur ; in Superiori itaque Hungaria ſunt urbes

Poſonium. Commorinum. Vivarinum, alijs Neoſelium. Leopoldinum. Tirnavia. Neoſelium. Leutſchium. Vetus Soleum. Trenſchinum. Nitria. Novigradum. Haduanum. Vacia. Agria. Eperiæ. Caſſovia. Tockæum, alijs Tockajum. Munchatium. Zatmaria. Gyula. Varadinum. Debrezinum. Zolnochium. Peſtum. Segedinum. Zentha. Temeſvaria. Aradum. Salan-

kemum

kemum. Bathonia. Bathoria. Biſtricia. Cremnicium. Frey-ſtadium. Schemnitium. Sigethum &c.

§. III.
DE URBIBUS HUNGARIÆ INFERIORIS.

INferiorem eámque Minorem Hungariam appellamus, quam inter Jſtrum, Stiriam, Sclavoniámque comprehenſam videmus, urbes in eadem ſunt

Sopronium, vulgò Edenburgum. Jaurinum. Strigonium. Vicegradum. Buda. Alba Regalis. Caniſia. Fanum S. Gothardi. Pappa. Quinque Eccleſiæ. Mohatium. Colocia. Sabaria. Titulum. Veſprinum.

§. IV.
DE HUNGARIÆ ET HUNGARORUM DOTIBUS ALIJSQUE REBUS.

HUngariæ Regnum orienti ſol i obvium, fertilitate ſua certat cum quibuſvis in univerſa Europa Regnis; cùm eidem terra ſit adeò facilis atque fœcunda, ut etiamſi non colatur ferè, ipſa tamen fructum ferat copioſiſſimum; nimirum omnis generis frumentum, vinum generoſiſſimum &c: unde & hominibus & equis imbibuntur ſpiritus ad audaciam, fortitudinem, velocitatem, & ſæpe etiam felicitatem maximè idonei. Equis pernicibus miſcentur crebrò armenta boum & ovium pinguiſſima, quibus accedunt animalia ſylvis, pratis & montibus magìs, quàm præſepibus aſſueta. Non deſunt piſces fluviis, inter quos Tibiſcum copiâ admodum magnâ abundare dicunt. Rebus his pretio permagno digniſſimis accedit ipſum pretium, nimirum, aurum, argentum, cuprum, ferrum, mercurius & uniones in Hungaria velut in matris utero nati. His accenſenda ſunt commercia, quæ Hungaros inter & vicinos circumquaque populos tractantur. Singula hæc ac univerſa, tametſi Hungarorum Regi & hujus populo ferant fructus ingentes, nihilominus perexiguum eſt pretium, quod hodie Jmperator ſimúlque Hungariæ Rex Carolus VI. quotannis percipit: graviſſimam namque proventuum ſummam abſummunt urbes, arces & munimenta per Hungariam fre-

quentia, & in ijsdem hodie conſtitutus vigil miles magno numero. Vendicant & ſibi magnam redituum copiam Hungariæ Palatini, ſeu Comites & Status Regni. Inter eos, qui multa capiunt & rapiunt, numerandi veniunt collocati per univerſum Regnum præfecti, conſiliarij, quæſtores & alij varijs nominibus diſtincti collectores Regij haud pauci. Partem non minimam tribuit etiam ſibi Status Eccleſiaſticus.

Quemadmodum natura loci, ita etiam Hungarorum indoles aut genius neutiquam eſt vituperandus. Sanguis vividus & calor nativus prædominantur ea ratione in Hungaris, ut perinde ad ardua quæque ſuâmet naturâ non ſint inhabiles. Id potiſſimùm dolent Hungarorum amici, quòd eorundem Regnum nobiliſſimum eam ſibi à perpetuis Seculis impoſitam ſciat neceſſitateem, ut inter arma oporteat naſci & educari. Docuit verò experientia, quòd inter perpetuos armorum ſtrepitus Regiones & Regna conſueverint mutari adeò, ut haud longo temporum intervallo mores hominum ſenſim ſine ſenſu evadant omnino diverſi ab iis, qui placebant pacis tempore. Inter arma nimirum ſilent Leges, Muſæ & Merces, quibus tanquam inſtrumentis habiliſſimis finguntur, formantur & ornantur homines ita, ut ex multis etiam truncis prodire poſſint multi Mercurij. Cùm itaque Hungarorum pars magna, præſertim turcarum finibus propinqua, nunquam non in armis ſtare didicerit, parùm ad leges civiles ſeſe adſtringi paſſa, plerumque & Muſis & mercimoniis multo temporum ſpatio interdixit uſum Reipublicæ perneceſſarium: inde enati mores Germanorum moribus multùm diſſimiles, parùm probantur ferè hactenus Politiæ aſſuetis populis, qui ab Hungaris deſiderârunt haud paulò majorem in rebus minimùm paucis modeſtiam, manſuetudinem, conſtantiam & obedientiam, præſertim erga ſuos Reges; nullam item amicitiam cum Mahometanis Legis Chriſtianæ hoſtibus pertinaciſſimis.

Inter Hungaros principem tenet locum Religio, quam Romanam appellamus; cernuntur tamen etiam plurimi pſeudodoctores, qui inter triticum Zizania ſeminant; Lutherani, Calviniani, Ariani, Anapaptiſtæ, Mahometani & Hebræi Agrum Domini invadere

vadere non ceſſant. Cultus in Deiparam eximius à multis omnino Seculis viget in Hungarica Eccleſia, quam in duodecim Diœceſes more Regnorum aliorum Orthodoxorum conſentiente Romano Præſule Reges diſtinxerunt Geyſa, & hujus filius D. Stephanus Hungarorum dictus Apoſtolus. Epiſcopis Hungariæ univerſis præſidet Strigonienſis Archiepiſcopus eam inter gentem Primas. Inter inſignia Eccleſiæ Hungaricæ decora præter D. Stephanum eminent D. Martinus Turonenſium Antiſtes in Hungaria natus & educatus; Emericus S. genitoris Stephani filius Sanctus, & D. Ladislaus Belæ I. Regius natus.

Sceptrum Hungaricum olim eligentium ſuffragiis eſt conceſſum Regibus: hodie verò ob Auguſta in Hungariam merita Auſtriacis hæreditarium eſt factum. Statuum in Regno tres ſunt Ordines, nimirum Eccleſiaſticorum, Nobilium, & Civitatum, quibus incumbit poſt Regem Regno proſpicere. Suus multis temporibus fuit Hungaris Palatinus Supremus maximæ authoritatis ac dignitatis. In urbibus Senatus jura dicit ſuis civibus; in circulis Judices præſident Provinciales. Cauſas leviores in oppidis & pagis decidunt Nobiles. In Comitatibus conſtituuntur etiam Vaivodæ, ùt vocant, & Capitanei, à quibus fas eſt appellare ad Regni Palatinum & Judicem Curiæ, atque ab his omnibus ad Regem.

Hungaricæ militiæ tres ſunt claſſes, quas Huſſarorum, Heidonum ſeu Hiedukorum & Ruſſianorum appellant. Claſſem primam conſtituunt equites; alteram pedites; tertia ferè mixta, & cum Græcis ferè credere docta, exiguam ſpem facit Hungariæ Regibus. Vid. *Hornium, Schererum, Foreſtium, Funccium &c.*

§. V.

DE ORTU ET PROGRESSU REGNI HUNGARIÆ.

HUngari originem ſuam extendunt uſque ad Japheti filij Noe ætatem an. Mundi circiter 2000. mortui: qua verò authoritate talia dicendi nitantur Hungari, ſi quæras, vix inter ipſos virum, qui dicat, invenias. Nos relictis fabulis certiora ſectabimur.

In Pannonia Seculis nato Chriſto proximis ſibi variè ſucceſſerunt Romani, Gothi, Hunni, Longobardi, Græci, Slavi, denuo Hunni, Francones, tertiò Hunni &c. Nomen Regno Hungariæ inditum eſt ab Hunnis, qui circa mare Nigrum ſedem fixêre quondam: inde verò in Pannoniam, ſeu Hungariam ex eo tempore etiam appellatam cum Romanis variâ fortunâ decertârunt. Quarto Seculo contra Hunnos cum exercitu venerunt Romanorum Duces Macrinus ſeu Maternus, Theodoricus & Mammertus, qui relatâ de hoſtibus victoriâ occiſorum Hunnorum 125000. numerârunt, ſimili fermè ſuorum copiâ deſideratâ. Eodem Seculo circa annum 373. victores evaſerunt Hunni, qui victoriâ longo tempore ovantes, & locorum in Hungaria fertilitate allecti, nulli unquam hoſtium cedere unà decreverunt: quam ob rem, cùm unius ſupremi capitis imperio ſibi opus eſſe probè intelligerent, circa annum 400. in Regem ſibi delegerunt Attilam, cujus hunc ajunt fuiſſe titulum: *Attila filius Bendeguz, nepos magni Nemrod, in Engadi nutritus, Dei gratiâ Hunnorum, Medorum, Gothorum Dacorúmque Rex, metus orbis, flagellum Dei.*

Attila itaque Hunnorum Rex an. 440. conducto quingentorum millium exercitu Theodoſium II. Jmperatorem eas redegit in anguſtias, ut pacem graviſſimâ auri ſummâ emere neceſſe fuerit. Eadem tempeſtate cùm Attilæ frater Buda arcem recèns extructam ſuo de nomine Budam appellâſſet, ſuſpicatus Rex fratrem coronæ inſidiari, eundem mox manu propria percuſſit. Græciam deinde adortus plurimum ſanguinis fudit. Ex Græcia in Germaniam tranſiens, in Provincias Jſtro & Rheno proximas ſæviît maximè. Inter urbes ſolo æquatas numeratam fuiſſe Argentinam tradunt, quam à ſuis ruinis *Strasburgam* appellârunt. Baſileam uſque aſcendiſſe ſcribitur, inde verò in Franciam tranſiît, ut Gothos procul pelleret. Verùm ſpem barbari feſellit eventus; Merovæus enim Francorum, Theodoricus Gothorum, Gotharus Burgundorum Reges, & Aetius Romanorum Dux, conjunctis armis an. 451. in campis Catalaunicis centum octoginta Hunnornm millia partim occiderunt, partim ceperunt. Theodoricus in pugna cecidit, cujus filius Thuriſmun-

mundus victoriam proſequi ſtatuit eo profectu, ut Attila hac de re audito nuncio equorum ephippia unum in cumulum congeri mandârit, cui ſuperimpoſitus ipſe concremaretur, ne vivus Hunnorum Rex veniret in hoſtium poteſtatem. Verùm dum Aetius à Thuriſmundi propoſito diverſus victoriam pluribus proſequi intermiſit, Attila fugæ locum impetravit: quæ res adeò commovit Valentinianum III. Jmperatorem, ut an. 453. Aetium Hunnorum victorem non dubitârit ſuamet manu trucidare.

Attila ubi vires collegit, in Germaniam & Galliam inſtar torrentis rediît, per Campaniam maximè depopulatus univerſa. Inde expeditionem adornavit in Jtaliam, ubi primo ferè impetu ſuperavit Mediolanum, Mantuam, Brixiam, Bergomum, Ducatum Ferrarienſem, Ravennam &c; unde Superioris Jtaliæ populi ingentium malorum metu ac terrore perculſi, vicinas inſulas petiêre, & extruendis Venetiis initium dederunt in medio aquarum exſpectaturi hoſtem. Sola Aquileja tam fortiter Hunnis reſtitit, ut horum Rex de obſidione ſolvenda deliberârit. Tandem tamen augurio ciconiæ cujuſdam fretus, eam etiam urbem ſuperavit, & occiſis 37000. hominum ſolo æquavit. Hoc rerum ſucceſſu lætus Romanis minitatus eſt extrema; verùm dum D. Leo Pontifex obviam venit tyranno, hic velut ex lupo in ovem converſus, & Romæ & Romanis vim inferre non eſt auſus, pariter confeſſus palàm, à ſe conſpectum eſſe Angelum D. Leonis latus ſtipantem, & Attilæ interitum minitantem, ſi Romæ Attila non parceret. Quare in Hungariam reverſus in urbe Sicambria dum ſecundas nuptias celebravit cum Pactriana ſponſa, prima connubij nocte apoplexiâ, vel alio haud abſimili morbo ſuffocatus, annum Chriſti vivere cœpit 454. ætatis ſuæ, ut nonnullis placet 124. Reliquit Attila duos filios legitimos Adalricum & Chabam, quorum prior in pugna adversùs fratrem adornata cecidit, Chaba verò à Dieterico Veronenſi pulſus in Græciam auffugit, ubi annis 13. delituit. Poſt Attilam tenuerunt Hungariam populi ſuperiùs relati uſque ad Jmperium Caroli M.

§. VI.

§. VI.

DE STATU HUNGARIÆ TEMPORE CAROLI M. ET SUCCESORUM.

CIrca annum 805. cùm Carolus M. contra Thaſſilonem Bavariæ Ducem fortiſſimum bella gereret, hanc ob cauſam Hungari cum Bavaris icto fœdere Jmperatori fortiſſimè reſtiterunt: is tamen Budam 100000. ſuorum arctiſſima obſidione preſſam denique ita expugnavit, ut devicti per annos centum Carolo & hujus Succeſſoribus obtemperârint. Eorundem unus Arnulphus Jmperator ſub principium Seculi X. haud proſperâ fortuna Romanum Jmperium moderabatur, cùm ſubitò ſeditione exorta Hunni Thuringiam maximè invaſerunt, feritatis barbaræ relictis monumentis quàm plurimis. Succeſſor Arnulphi Ludovicus IV. Hunnorum impetus aditu prohibere pro viribus equidem laboravit, prope Aùguſtam tamen Vindelicorũ bis ad internecionem ferè deletus, victoribus Hungaris grandem pecuniæ ſummam in annos ſolvit ſingulos. Conradus I. dein Jmperator ex Auſtria atque Bavaria bis expulit veteranos hoſtes, qui tamen cum permultis alijs in Jmperio hoſtibus Cæſarem eas in anguſtias compulêre, ut coactus fuerit pacem veriùs petere ab Hunnis, quàm poſtulare. Tanti mali cauſam partim miratus, partim miſeratus Henricus Auceps, providè in annos novem inducias cum hoſtibus eſt pactus, ut nempe interea mœnibus ac vallis urbes cingeret, & conductis ſtrenuis militibus Duces ſtrenuiſſimos præficeret: hac enim arte bellica Hunnos denique ſuperari & penitus enervari poſſe confidit prudentiſſimè. Elapſo novem annorum ſpatio tributorum loco ſtrigoſum miſit hoſtibus canem; qui igitur audito nuntio, ut nunquam magìs exaſperati, in Germaniam cum exercitu validiſſimo rediêrunt, ſed & prope Merſeburgum in Saxonia 40000. ſuorum cladem acceperunt.

Sub Ottone M. Hunni cum Ludolpho Ottonis ſeditioſo filio conjunctis copiis per Bavariam penetrârunt in Sueviam, ubi prope Auguſtam in campis Lyceis Jmperator periculorum comite D. Udalrico Auguſtano Epiſcopo copioſiſſimos hoſtes penitus proſtravit, tribus eorum Regulis ex arbore ſuſpenſis. Interea ultimi Hungarorum Reges aut

aut veriùs Duces regnârunt his deſcripti nominibus: Almus, Arphadus, Zulthan, Toxus & Geyſa, quorum poſtremus circa annum 990. Romanis Aris acceſſit, omnium hactenus Regum in Hungaria ritè credere, pugnare & virtutes armis ſociare doctus, nepos ex Attilæ ſtemmate nonus aut decimus an. 999. defunctus.

§. VII.

DE REGIBUS HUNGARIÆ CHRISTIANIS NATIONE HUNGARIS.

Annis ferè ſexcentis Attila, filij Attilæ & ſeri nepotes nondum Chriſtianis Legibus imbuti, Hungariam, & non tantùm vicina, ſed etiam remotiora Regna turbârunt. Tandem ex eodem ſtemmate prognati Reges Pannoniæ Orthodoxis Sacris & moribus exculti, per trecentos annos Hungariam & remotiores quoque Provincias multas exornârunt, ſi tamen non paucos ex viginti duorum Regum Serie excipias. Primus poſt Geyſam genitorem eorundem fuit D. Stephanus an. 1001. Rex Hungarorum coronatus; ultimus verò Andreas III. an. 1301. mortuus; quamvis ſtirpi Attilæ annumerare nefas non ſit Wenceslaum I. Wenceslai IV. Bohemorum Regis filium, Annæ Hungaricæ aviæ nepotem; imò ſi ſexum fœmineum attendere lubeat, ad Carolum VI. Jmperatorem noſtrum ſimúlque Hungarorum Regem glorioſiſſimum oportebit deſcendere, & nunquam Attilæ ſemen aut ſanguinem penitus extinctum juvabit dicere, quod §. ſequenti demonſtrabimus. Nomina Regum ex patre Attila per annos trecentos deſcendentium ſunt ſequentia:

I. D. Stephanus poſt Geyſam Regium genitorem.
II. Petrus Alemannus D. Stephani ex ſorore nepos.
III. Andreas I. Toxi Regis nepos D. Stephano ſanguine propinquus.
IV. Bela I. Andreæ I. frater.
V. Salomon I. Andreæ I. filius.
VI. Geyſa Salomonis I. natus.
VII. D. Ladislaus I. Geyſæ frater.
VIII. Colomannus Geyſæ filius.
IX. Stephanus II. Colomanni proles.

X. Bela II. cœcus Colomanni ex fratre Almo nepos.
XI. Geyſa Belæ II. filius.
XII. Stephanus III. Geyſæ II. natus.
XIII. Ladislaus II. Geyſæ II. frater.
XIV. Stephanus IV. Geyſæ frater ſecundus.
XV. Bela III. Geyſæ filius ſecundus.
XVI. Emericus Belæ III. natus.
XVII. Ladislaus III. Emerici filius.
XVIII. Andreas II. Hieroſolymitanus Emerici frater.
XIX. Bela IV. Andreæ II. natus.
XX. Stephanus V. Belæ IV. filius.
XXI. Ladislaus IV. Stphani V. filius.
XXII. Andreas III. Andreæ II. ex Stephano filio nepos.

Atque ex hac Regum Serie ſimúlque dictis loco ſuperiori allatis abundè liquet, Regni Hungarici ſceptrum primis & mediis à ſui exordio ſeculis non electorum ſuffragiis obnoxium, ſed hæreditatis juri fuiſſe adſtrictum: providè igitur factum, quòd & noſtris temporibus pergant Hungari majorum ſuorum hac etiam in parte inſiſtere veſtigiis Regiis.

Cæterùm optimorum in hac Serie Regum pauca eáque notiora merita paucis exprimimus, tacituri de Regibus minori nominis gloria dignis.

D. Stephanus quantus ſit futurus in Hungaria Rex, jam matri Saroltæ uterum ferenti prædixit D. Protomartyr Stephanus de naſcituro filio. Natus itaque & optimis moribus inſtructus Princeps, dum matrem morte abreptam in adoleſcentia doluit, novercam matre meliorem ſortitus eſt: Adelhaidis eadem fuit Micislai Polonorum Ducis ſoror, quæ Chriſtianis Dogmatis inſtructa, docuit ritè credere Geyſam ſuum conjugem; unde feliciſſimum in univerſa Hungaria accepit Doctrina Romana exordium. Eadem ætate Romanum Solium tenebat Sylveſter II. Pontifex, qui dum Micislao, aut hujus filio Boleslao Polonorum Ducibus coronam Hungaricam mittere paravit, ex Angelica voce intellexit, coronam hanc Stepano Hungariæ Duci à Regum Rege eſſe ſervatam. Coronatus itaque an. 1001.

Hun-

Hungarorum Rex Stephanus, Giulam Tranſylvaniæ Ducem avunculum ſuum maximè ob Romana Sacra extremum expertus eſt hoſtem, quem tamen anno 1002. victum eo feliciſſimo rerum eventu cœpit, ut jam tum Tranſylvaniæ Ducatum conjungere licuerit Stephano cum Hungariæ Regno: Giula etiam majori felicitate ſua victus, quàm victor, nepotis ſui ac Regis Religioſiſſimi doctrinâ & exemplis commotus, ſacramentum unà cum univerſa Familia dixit Chriſto & Pontifici. Pari propemodum ſorte ſuperavit Ceam Bulgariæ Ducem, maximè verò perduelles Hungaros, qui idololatriæ & polygamiæ pertinaciùs adhærebant. Sancto eòque perpetuo amicitiæ vinculo Jmperatorem Henricum cognomento Sanctum ſibi arctiſſimè jungere nunquam non ſtuduit Stephanus; qua de cauſa Giſelam Henrici ſororem in Regiam Sponſam ſibi delegit, & Jmperatoris auguſta exempla tum in plantanda Eccleſia, tum in augendo Regno conſtanter eſt æmulatus. Nec ſatìs erat Regi Apoſtolico Strigonium urbem natalibus ſuis illuſtratam Archiepiſcopali pallio exornâſſe, Albæ Regali Epiſcopum ſolius Pontificis poteſtati ſubjectum dediſſe, decem alios Epiſcopos per totidem Diœceſes diſtribuiſſe, ampliſſima templa per univerſum Regnum ædificâſſe, & iisdem omnibus munificentiſſimè providiſſe &c; nam in Jtaliam præſertim & Palæſtinam uſque Rex manum ſuam largiſſimam ſimúlque longiſſimam extendit, dum Romæ ac Hieroſolymîs ædes ſacras & his propinquas, dictas pauperum domos extruxit; quare brachium ejus dextrum fatentibus ipſis Heterodoxis permanſit poſt fata integerrimum.

Bela I. ut D. Stephani geſta ſuis ferè ſimilibus in ſubditorum memoria renovaret, creatus Rex criminoſis quibusvis etiam Regiæ læſæ Majeſtatis reis veniam conceſſit, monaſteria & templa condidit, Regum omnium in Hungaria primus aureas & argenteas monetas uſui publico idoneas cudi mandavit, nundinarum morem introduxit, & commercia emolumento Reipublicæ maximo inſtituit; unde Regi anno Regni 4. jam mortuo plurimi parentârunt lacrymîs ſanè copioſiſſimîs an. 1065.

Ladislaus I. ob miraculorum multitudinem Sanctus appellatus, regnavit tempore *Zolomiri ultimi Croatiæ & Dalmatiæ* Regis, qui cùm prole deſtitutus foret, ſororem ſuam Ladislai conjugem Regni ſui ſcripſit hæredem. Sed ob hanc ipſam cauſam ſoror Regia á multis ſimul oppugnata æmulis, ſtrenuum nacta eſt defenſorem Ladislaum, non Regnum magìs ambientem, quàm æquitatem amantem. Hæ aliæque multæ virtutes Regiæ amicam vim inferebant Reginæ paulò poſt pientiſſima morte extinctæ, ut neminem alium Provinciarum ſuarum hæredem eligeret, quàm maritum Ladislaum, etſi liberis deſtitutum: atque adeò Croatia & Dalmatia ſub Ladislao Sancto Hungariæ Regno ſunt adjectæ. Conſueverunt nimirum fugientes ſequi honores multi; præter alia multa argumento nobis eſt Jmperij Romani Sceptrum à Germaniæ Statibus Ladislao Hungarorum Regi oblatum, ut Henricum IV. Pontificum Romanorum hoſtem perpetuum Jmperij diademate privarent. Haud admiſit Rex alienos honores, qui pertæſus proprios, invitâ Hungariâ univerſâ, eosdem Salomoni devicto Regi reſtituere penitus decreverat. Paucis multa: æqui rerum & Regum arbitri, qui Ladislai dotes probè perſpectas ſibi habebant, Togâ & Sago clariſſimum Regem, *Cherubinum in Eccleſia*, *& Oraculum in Curia* appellabant.

Bela II. à Rege Colomanno in juventute oculis orbatus, in ſolium tamen promotus, annis Regni ſui prioribus à ſubditis Argo ovium cuſtodi eſt comparatus, ubi dicere non raró conſueverat: potiùs Superis grates habendas eſſe pro ſorte adverſa, quâm proſpera: ex hac namque ſuperbiam naſci & nutriri, illâ verò manſuetudinem generari & educari. Item neminem nôſſe frui bonis, qui mala non guſtârit. Finis tamen hujus Regis haud bene reſpondit principio; à Regina enim vindictæ cupida fœmina & vino depravatus, Argi oculos amiſiſſe omnes eſt deprehenſus & reprehenſus.

Geyſa III. contra Henricum Auſtriæ Ducem in arenam victor deſcendit. Conrado III. Jmperatori expeditiones in Palæſtinam ſacras proſequenti ſe exhibuit amicum conſtantiſſimum; præſertim tum, cùm ex Oriente Germanorum plurimi ſedem in Tranſylvaniâ rogarent, eosdem Hungariæ Rex privilegiis variis ſtabilivit.

An-

Andreas II. præſtantiſſimi Regis idea ab Honorio III. Romano Pontifice laudatus, & Supremus Sacræ Militiæ Dux electus, Damiatam expugnavit. Filia Regis Andreæ fuit D. Eliſabetha Ludovici Thuringiæ Landgravij, ùt vocant, conjux.

Bela IV. Rex longè melior, quàm felicior, dum Cumanis à Tartarorum multitudine ſuppreſſis Hungariæque vicinis populis ſuccurrit adeò, ut eorundem 40000. Baptiſmate Eccleſiæ Romanæ ſociata ſuum in Regnum receperit, & clementiâ ſummâ conſervârit, tantum ob hoc ſuorum incurrit odium, ut hi Cumanorum Regem Zattum nomine, ex edito loco præcipitârint. Quare Cumani ſimul ac Tartari conjunctis armis univerſam Hungariam depopulati ſunt. Bela primò in Poloniam, & inde in Auſtriam fugere compulſus haud invenit amicos. Tandem operâ Equitum S. Joannis Hungariæ reſtitutus, dum vicit Fridericum Auſtriæ Archiducem, mox victus eſt ab Ottocaro Bohemorum Rege. Regnavit annis 40. mortuus an. 1273.

Andreas III. Venetus à matre Veneta hoc nomine appellatus, Hungaris Rex placuit, quòd eſſet è ſanguine Regio natus. In Hungariam itaque contendens Rex electus, in via ab Alberto Cæſare interceptus, duxit Agnetem ejuſdem filiam. Verùm has nuptias ſecuta eſt ſterilitas Reginæ, & Regum ex eodem ſtemmate finis ſecundum maſculorum ſexum.

§. VIII.
DE REGIBUS HUNGARIÆ EX DIVERSO REGUM STEMMATE.

Viginti tres Reges numerat hæc Regum pars ultima, quorum natales ſi conſideremus, diverſas omnino ſtirpes, ex quo deſcenderunt Hungarorum Reges, deprehendimus, utì nobis demonſtrat præſens ultimorum Regum Series.

I. Wenceslaus Stephani V. Hungarorum Regis abnepos ex ſtemmate Bohemorum, cujus avia erat Anna Belæ IV. filia.

II. Otto Ludovici Henrici Ducis filius ex ſtemmate Bavarico. Mater hujus fuit Eliſabetha Belæ IV. Regis Hungarorum filia ultima.

III. Carolus Robertus Neapolitanus Caroli Martelli Regis & Annæ Stepani V. filiæ natus.
IV. Ludovicus M. Roberti filius ex ſtemmate Andegavenſi.
V. Maria Ludovici M. filia *Hungarorum Rex* dicta.
VI. Carolus Parvus Neapolis Rex & Dux de Durazzo appellatus, Mariæ Stephani V. filiæ tanquam aviæ nepos.
VII. Sigiſmundus Jmperator Mariæ dictæ *Regis*, conjux Auguſtus ex ſtemmate Luxenburgico.
VIII. Albertus Jmperator Eliſabethæ ex Sigiſmundo filiæ conjux Auguſtus, ex ſtemmate Auſtriaco.
IX. Uladislaus I. ex Hedvvige Poloniæ Regina, Ludovici M. Hungarorum Regis filia nepos ſtemmatis Jagellonici.
X. Ladislaus Alberti Jmp. filius poſthumus.
XI. Mathias Corvinus ex ſtemmate Hunniadum.
XII. Uladislaus II. Caſimiri Bohemorum Regis & Eliſabethæ Alberti Auſtriaci filiæ natus.
XIII. Ludovicus II. Uladislai filius.
XIV. Joannes Scepuſius, ſeu de Zapolia ex ſtemmate Ducum Tranſylvaniæ adversùs Ferdinandum I.
XV. Ferdinandus. I.
XVI. Maximilianus
XVII. Rudolphus
XVIII. Mathias
XIX. Ferdinandus II.
XX. Ferdinandus III.
XXI. Leopoldus
XXII. Joſephus
XXIII. Carolus

} omnes ex ſtemmate Auſtriacorum ſimul Jmperatores & Hungariæ Reges.

§. IX.

DE MIXTORUM EX VARIO STEMMATE EORUMQUE PAUCORUM HUNGARIÆ REGUM GESTIS.

OTto Bavarus hanc maximè ob cauſam Hungarorum Rex eſt electus, quòd ipſius genitrix Eliſabetha Belæ IV. filia, Henrici Bavaro-

Bavarorum Ducis conjux, Ottonem hunc ſit enixa. Primus Regni annus erat 1305; quo Wenceslaus Ottoni ex Bohemia in Hungariam uſque Coronam Regiam remiſit, abdicans ſe omni poteſtate in Hungaros. Poſtquam itaque Otto Coronâ ornatus Regiâ ſe Hungaris Regem exhibuit, in Tranſylvaniam iter adornavit, ubi amicorum fidiſſimo Coronam Hungaricam ſecum vehendam commiſit, & tanti theſauri jacturam aliquo tempore incurrit dolore Regis maximo: amicus enim ille Regius commiſſum ſibi Regium Diadema in via perdidit, ſed & mox viam repetens reperit. Omen dixêre omnes futuri Regni nequaquam diuturni. Et verè eventus monſtravit omen fuiſſe; in Tranſylvania enim à Ladislaao Duce captus Rex Otto eò uſque in captivitate eſt detentus, donec ſe Regia poteſtate penitus abdicavit an. 1306.

Carolus Robertus inter potentiſſimos Hungariæ Reges numerari eſt meritus. Abrogavit hic Rex probationes, ùt vocant Juris-periti, *vulgares* in judiciis ignis & aquæ teſtimoniô publicô adhibitas. Vicegradi dum menſæ accubuit, à Feliciano, quem tamen inter fidiſſimos Regis numerabat miniſtros, repentè percuſſus gladiô, vulnus accepit in dextro brachio. Regina Eliſabetha non minùs à regicida morti deſtinata, quatuor dexteræ digitos amiſit. Tertio cœdis loco petebantur filij Regij; interea tamen tantum proditorem graviſſimis pœnis ſervandum, trucidârunt miniſtri ad menſam Regiam reliqui. De Roberto dicere ſolebant multi, eundem fuiſſe Regem Regnorum novem, nimirum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Boſniæ, Serviæ, Galatiæ, Lodonieriæ, Cumaniæ & Bulgariæ.

Ludovicus M. primogenitus Roberti filius per Tranſylvaniam & Wallachiam priſtinæ diſcordiæ ſemina eradicavit. Inter bella, quæ geſſit complura, digniſſimum memoriâ eſt, quo auditis de fratris Andreæ morte famâ & nuntio, perſecutus Joannam fratris viduam de Regicidio, ùt vocant, ſuſpectam, anno 1349. Rex Neapolis, Siciliæ & Hieroſolymæ fuit coronatus.

Bello altero ea felicitate vicit Venetos, ut iidem Dalmatiam centum militum millia numeranti ultro reliquerint. Interea

fatis conceſſit Caſimirus III. Polonorum Rex; unde & Poloni Ludovicum ſibi Regem depoſcebant: argumento Polonis inter alia erat, quòd Hungarorum Regem Romanis Aris nôſſent eſſe addictum adeò, ut Hebræis Hungariæ maximopere innutritis, multis licèt diſſuadentibus interdiceret aditu, & Romano Pontifici in rebus momenti maximi promptam exhiberet obedientiam Rex ad nutum paratos habens ſubditos, ad nutum & ipſe paratiſſimus. Promptiſſimis profectò inſtructus militibus ter Lithuanos ſuperavit, & ter Jtalis victor ſuccurrit, quorum compoſitis rebus in Boſnia ſeditioſos compeſcuit ita, ut eorundem Ducem Statimirum Jmperatoris nomen arrogantem ſibi, captivum duxerit. Etiam Jmperator Carolus IV. partim invidiâ accenſus, partim à Venetis perſuaſus, poſtquam ad arma provocavit Ludovicum, ab hoc præventus, & partim in finibus Hungariæ Superioris, partim in Moravia devictus, amicitiam, Ludovici exoptavit priſtinam. Inter virtutes Ludovici Regias celebrant etiam hodie Hiſtorici ſingularem prudentiam, fortitudinem, juſtitiam, Religionem &c.

Sigiſmundus Tranſylvanos & Wallachiæ populos ſubigere laboravit, quos inter conatus diem extremum obiît Maria ſine hærede Hunguriæ Regina. Novæ igitur ſeditiones exortæ, præſertim in Hungaria & Wallachia Reipublicæ Chriſtianæ univerſæ obfuerunt plurimùm: Wallachi enim Bajazethem turcarum ſupremum tyrannum in ſuppetias vocârunt ultro venire volentem; contra quem tametſi ingens Chriſtianorum exercitus pugnâſſet, victoria tamen ex parte hoſtium ſtetit, Francis primum pugnæ honorem ambientibus, ſed parùm in propoſito conſtantibus. Rex itaque amiſſâ victoriâ triſtis, & ab Hungarorum furore malè metuens ſibi, ſecundo Danubio cognitus paucis, ferè Conſtantinopolim uſque deſcendit; inde verò per Græciam, Dalmatiam penetrans rediît in Hungariam; ubi reducem Regem duris adeò modis excepiſſe feruntur Hungari, ut alij barbam Regiam vellicare, alij capillos evellere non fuerint veriti. Quin in carcerem datum Regem, niſi precibus liberâſſet vidua, de capite fortaſſis periclitatum fuiſſet ſupremum Hungariæ caput. Uſque adeò difficile eſt etiam Regibus pugnare & non vincere.

Al-

Albertus Auſtriacus Sigiſmundi gener Rex Hungariæ, Bohemiæ & Jmperator, eodem ferè anno Corona triplici coronatus, dum vicit in Hungaria hoſtem maximum, hoſti ſuccubuit morti, vix non cruentis deſideratus lacrymîs. Eliſabetha Alberti vidua plurimis inviſa Hungaris, ut ingruentibus malis publicis obicem poneret, quarto poſt natales menſe filium Ladislaum poſthumum Coronâ Regiâ curavit exornari: dein verò tanquam re proſperè geſta in Auſtriam aſcendit clam ſecum afferens Coronam Hungariæ Regiam, eàmque cunctis eo in Regno Regibus communem ac propriam. Interea Hungarorum pars fortè maxima Uladislaum Poloniæ Regem Coronâ Regiâ exornatura, cùm Diademate ſe deſtitutum comperiſſet, Coronam alteram è tumulo D. Stephani ablatam Uladislao impoſuit, eventu ſub principium Regni fauſtiſſimo, ſub finem funeſtiſſimo. Rex namque Amurathem II. Turcarum Jmperatorem debellaturus, ſelectis ſuis copiis præfecit Joannem Hunniadem, qui relatis crebrò de hoſte potentiſſimo victoriis tantum terrorem incuſſit victis, ut non raròHunniadis tantùm audito nomine aut præſentiâ pugnam detrectârint. Tandem verò Uladislaus datæ Turcis fidei, ſed non ſervatæ reus, & conſilij ab Hunniade ſubminiſtrati parùm obſervans, amiſit in pugna decretoria & vitam & victoriam 4. duntaxat annorum in Hungaria Rex.

Sepulto Uladislao cùm Hungariæ Status Ladislaum poſthumum in Auſtriam à Regina matre clam translatum nec precibus impetrare, nec armatis manibus extorquere valerent ab Jmperatore Friderico III. eam ob rem per annos 8. Supremus Hungarorum Moderator conſtitutus eſt Joannes Hunniades totius Regni & Eccleſiæ emolumento permagno: vigeſies namque Turcarum copias ſtrage magna proſtravit, & poſt Conſtantinopolim an. 1453. expugnatam, tantâ conſtantiâ Albam Græcam arctiſſima obſidione à Mahomete II. Turcarum Jmperatore circumcinctam propugnavit, ut licèt Mahometanorum exercitus numeraret 150000, & horum pars tertia tentatis aſſultibus cecidiſſet, hoc tamen munimentum minimè expugnârint: unde Calixtus III. Romanus Pontifex ſucceſſu rerum Hungaricarum lætus, diem Transfigurationi Dominicæ ſacra-

tiorem eſſe præcepit. Tum verò de Mahometanorum victoribus mors triumphavit; ejuſdem enim falci ſuccubuit Joannes Hunniades, cujus filius primogenitus Ladislaus per invidiam à Cillejenſi Comite potentiſſimo ad Regem delatus, & ùt fieri ſolet in Hungaria præſertim, patratis mutuis necibus vulneribúſque inflictis, poſt occiſum à Ladislai famulis Cillejenſem Comitem, etiam caput Ladislaus Hunniades amiſit, carnificis manu timida ter percuſſus in theatro publico. Mathias frater Ladislai in carcerem conjectus; Rex verò Ladiſlaus poſthumus, cùm an. æt. 17. nuptias Regias cum Magdalena Caroli VII. Galliæ Regis filia celebrare pararet, immatura morte defunctus eſt an. 1457. Nemo ea tempeſtate Solio idoneus magìs Hungariæ Statibus fuit viſus, tum ob parentis Joannis Hunniadis merita, tum ob fratris carnificis manu interfecti necem, tum ob ipſius Mathiæ in carcere detenti ærumnas & dotes eximias, quàm hìc ipſe, Hunniadum pars reliqua: è carcere igitur Bohemico in Thronum Hungaricum elevatus eſt Mathias Corvinus non abſque præviis vaticiniis & fauſtis ominibus, quibus reſpondit uberrimus in Hungariam maximè & Eccleſiam Romanam fructus. Anno 1490. apoplexiæ morbo ſuccubuit Rex Mathias eodem die, quo Budæ Leones ad recreandum Regem maximè ſervati, ſimul omnes conciderunt exanimes. Erat profectò Mathias Rex fortiſſimus & Ducis & gregarij munus implere doctus, teſtibus ipſorum etiam hoſtium oculis. Ex facinoribus quàm plurimis unum alterúmve huic inſeratur compendio. Cùm Mathias Friderici Jmperatoris quopiam tempore hoſtis Viennam obſidione premeret, inter tormentorum tonitrua & globos paſſim in Regem volantes, Legatum Turcicum præſentis periculi metu ferè exanimem Rex eodem loco, nec corpore nec animo motus, oratione dimiſit elegantiſſima. Die alia, cùm totus exercitus pridem debita, & recèns denuo promiſſa ſuo tempore non jam peteret, ſed poſtularet ſtipendia, Rex verò ipſe auro, veluti noſtris etiam temporibus fieri amat, indigeret maximoperè, in arena promptiſſimum invenit conſilium, quo fretus gregariis valere optimè juſſis, Ducibus verò ad pretioſos luſus provocatis, tantum auri brevi temporis ſpatio lucratus eſt, ut par fuerit ſolvendo de-

debita univerſo exercitui non modica. Aliàs cùm exploraret Mahometanorum caſtra, & explorata ſatìs vix haberet, agreſtis habitum indutus, annonam in Turcarum tentoria Rex auriga factus invexit, ſex horarum ſpatio per hoſtium inſidias vagatus. Æternas pro- in laudes dicunt Hungari huic Regi, qui præter alia multa encomiis digniſſima facinora ſaluberrimis legibus Hungaros inſtruxiſſe, viros doctos ſummo in honore habuiſſe, & barbaros mores ſubditam ſibi gentem per annos Regni ſui 32. dedocuiſſe fertur ab Authoribus fide digniſſimis.

Mathiæ deniqueSolium potiùs onerârunt, quàm ornârunt Uladislaus II. Hungariæ ſimul & Bohemiæ Rex, atque hujus filius Ludovicus II. ſub quibus Hungaria ferè tota eſt diſſoluta ac deſolata: Uladislaum enim in utroq; Regno ſuo æmuli complures, nimirum Maximilianus Auſtriæ Archidux, Albertus Uladislai frater Polonorum Dux, Joañes Corvinus junior, & rebelles in Bohemia Huſſitæ, ac denique duo parùm felicem reddebant Regna, quorum utrumque eo præſertim tempore præſentiſſimum poſcebat Regem: Ludovicus verò nimiùm citò natus, & anno ætatis octavo decimo jam canîs refertus, dein poſt trium annorum intercapedinem à Solymanno victus ac fugatus, vel Danubij aquis, vel paludi immerſus, Albam Græcam & Regni ſui partem maximam victoribus barbaris in prædam reliquit an. 1526. Præter trucidatos Epiſcopos, Duces, Comites & inter Hungaros nobilitatis numerum copioſiſſimum feruntur in captivitatem abſtracta hominum 300000.

§. X.

DE HUNGARIÆ REGIBUS EX STEMMATE JMPERATORUM AUSTRIACORUM.

IN triſti adeò ſtatu derelictum eſt Hungariæ Regnum Regibus ex ſanguine Auſtriaco natis, ut non niſi duorum ſeculorum intervallo longiſſimo potuerit è dura Mahometanorum captivitate eripi; quam in rem momenti profectò maximi opus erat non paucorum Regum ac Ducum ſtrenuiſſimorum Chriſtianis auxiliis. Rem paucis accipe Lector Benevole.

Ferdinandus I. Caroli V. Jmperatoris frater, Annæ Uladislai filiæ conjux Regius, cùm an. 1527. ab Hungarorum parte in Regem foret electus, pars Hungarorum altera Joannem Zapolium Tranſylvaniæ Ducem Ferdinando oppoſuit. In armis ponenda erat Coronæ ſpes ultima: armis igitur victus Zapolius ad Solymannum perpetuorum malorum caput auffugit, à quo in bellis deinceps ſocio & amico reductus, Jaurino capto Viennæ Auſtriacorum, exercitum validiſſimum admovit, cui, licèt ſeptuaginta aſſultibus tentatæ, & arctiſſima obſidione circumcinctæ, haudquaquam tamen prævaluit 200000. Mahometanorum Jmperator Solymannus. Tanta Viennenſium conſtantia auctores & Duces ſuos venerabatur in Philippo & Friderico utroque ad Rhenum Palatino Comite, quorum poſterior an. 1532. 15000. Turcarum ad agendas prædas & procul arcendos Chriſtianos emiſſa ad unum omnes ita delevit, ut ne quidem cladis nuntius ad Solymannum redierit. Tandem inter Ferdinandum & Zapolium ea lege pax eſt firmata, ut non minùs huic, quàm illi Regis nomen maneret; adhæc ſi Zapolio filius naſceretur, is Tranſylvanis Dux præeſſet. Verùm natus poſt aliquot annos filius non modò Tranſylvaniæ, ſed & Hungraiæ ferè exitium peperit: infans enim recèns in lucem editus, à genitore mortuo Solymanni curæ commiſſus, & hujus inſtinctu ab Hungarorum ſeditioſis copiis in Regem electus, Hungariam univerſam complevit Mahometanis: horum enim ſupremus Jmperator Solymannus pulſis Ferdinandi Regis nec numero nec robore paribus copiis, Budam Turcico præmunivit præſidio, & nefando dolo Hungarorum plurimis exarmatis, nec non Zapolij filio in caſtra Turcarum clam ablato, propemodum impunè expugnavit complura munimenta: nam brevi temporis intervallo ſubjugatum eſt Strigonium, Quinque Eccleſiæ, Alba Regalis & Vicegradum. Alternantibus dein nunc bellorum, nunc induciarum temporibus, ſub Ferdinando & Regiis Succeſſoribus plurimum ſanguinis fuſum eſt, præſertim cùm nunc Heterodoxi, nunc ſeditioſi Hungari ipſi, nunc Jmperatorum Auſtriacorum perpetui hoſtes Galli, juratos Eccleſiæ hoſtes ad capienda arma adversùs Imperium Romanum & Hungariam animare non dubitarent. Tandem tamen

tr-

tribus maximè poſtremis Seculis exoptata ſalus multis victoriis à Leopoldo M. & duobus Auguſtis filiis Hungariæ eſt reſtituta: quinque etenim fuerunt ſuprema Turcarum capita, Mahometes nimirum IV. Solymannus III. Achmetes I. Muſtapha II. & Achmetes II. Quos omnes vicerunt armis & victoriis in Hungaria relatis Jmperatores & Reges glorioſiſſimi. Viderunt quippe victores Germani tum aliàs ſæpe, tum verò cladibus affligi maximis Turcarum exercitus copioſiſſimos in Hungaria ad S. Gothardum; inde Viennæ in Auſtria; rurſus in Hungaria juxta Mohatium & Salankemum; poſt aliquot verò annorum ſpatium prope Zentham urbem; aliàs ad Tibiſcum fluvium, nec non priùs in Boſnia & Servia vincentibus & triumphantibus Ducibus maximis, nunc Joanne III. Polonorum Rege, nunc Maximiliano II. Electore Bavaro, nunc Joanne Georgio Electore Saxonico, nunc Carolo Lotharingo, Erneſto Starnbergico, Ludovico Badenſi, Eugenio Sabaudo &c. Omnium jucundiſſimæ fuerunt nobis victoriæ ultimæ ſub Carolo Jmperatore VI. & Hungarorum hujus nominis III. relatæ, quibus expugnatæ & reſtitutæ Chriſtianis ſunt Temesvvaria & Alba Græca cum adſitis latè Regionibus, quarum prior ab anno 1552. uſque ad annum 1716. poſterior verò ab anno 1522. uſque ad annum 1688. tanquam Hungariæ & vicinarum Provinciarum claves in Turcarum manibus retentæ ſunt; quin Alba Græca copioſiſſimo Chriſtianorum ſanguine an. 1688. redempta, lapſis annis non niſi geminis Chriſto rurſum erepta, ad annum uſque 1718. ſub Mahometis jugo ingemuit. Hungaria itaque ſub glorioſiſſimis Caroli VI. auſpiciis hoſte gemino, domeſtico nimirum ac extero feliciſſimè liberata, gratulatur plurimùm ſibi cum affini Auſtria, imò Regnis hæreditariis, & Jmperio Romano univerſo eum Cæſarem ac Regem, ex quo velut ex ſpeculo elucent Cæſaſarum ac Regum optimorum virtutes Regiæ; quem igitur ut diutiſſimè ſoſpitem, fortiſſimum, invictiſſimum & glorioſiſſimum in ſe & ſuis hæredibus conſervent nobis Superi, nunquam non vota faciemus. *Vide Fuggerum, Foreſtium, Schererum, Lexicon Lipſienſe, Pockium* &c &c.

§. XI
DE VICINIS HUNGARIÆ REGNIS ET PROVINCIJS HUNGARORUM REGI HODIE SUBJECTIS.

HActenus Hungariam à vicinis Provinciis ſeparatam conſideravimus, quas ſi Hungariæ conjunctas, & veluti in unum Regnum compoſitas intueri malimus Hungarorum Regi ſubjectas hodie Regiones ſingulas & univerſas, tunc enimvero Regnum profectò permagnum ſua longitudine & non minori latitudine æquare videbimus milliaria Germanica plura centenis. Quoniam verò qui bene diſtinguit, clariùs docet, hanc ob cauſam eum nunc ſequamur ordinem, ut poſt Hungariam primo collocemus loco Sclavoniam, ſecundo Serviam, tertio Boſniam, quarto Dalmatiam, quinto Croatiam, ſexto Tranſylvaniam.

TABULA CHOROGRAPHICA

§. I.
DE SCLAVONIA.

SClavonia inter Savum & Travum fluvios media, longitudine *66.* circiter, latitudine verò pleriſque in locis numerat milliaria Germanica 10. A Septentrione adjacet Hungariæ, ab Oriente Serviæ, à Meridie Boſniæ, ab Occidente Croatiæ & Styriæ.

Sclavonia olim longè majoribus deſcripta finibus comprehendebat Sclavoniam hodie reſtrictam, Boſniam, Serviam, Bulgariam, Dalmatiam, Croatiam &c; hoc amplum terræ ſpatium Seculo VI. Juſtiniani Cæſaris ætate à Sclavis ex Scythia tranſmigrantibus populis occupatam conati ſunt vendicare ſibi Jmperatores Succeſſores, præſertim verò Conſtantinus IV. & Seculo IX. Ludovicus Pius, quo tempore Doctrinam Chriſtianam amplecti cœperunt, Codicem

dicem Sacrum & Orthodoxa Dogmata linguâ promulgantes patriâ, cujus dialectos ſed admodum diverſas imitantur etiam hodie in Jſtria, Dalmatia, Boſnia, quin & in Bohemia, Sileſia, Lauſatia, & Polonia populi &c. Jmperatores dein Ludovicus II. & Otto I. nec non Danorum Reges Canutus & Suenon contra Slavos pugnârunt, donec denique ab Hungariæ Regibus magna ex parte domiti tributa ſolverunt. An. 1544. armis victricibus ſuccubuit hæc Provincia. Seculo huic proximo cùm an. 1687. amiſsâ victoriâ Turcarum exercitus juſſa Vezirij ſui, ùt vocant, diutiùs exequi detrectaret, Sclavonia Romanorum Jmperatori ſimúlque Hungarorum Regi caput inclinavit, ſub cujus præſidio etiam floret hodie.

Cæterùm præcipuæ urbes in Sclavonia ſunt ſequentes: Eſſecium, alijs Eſſekium. Varadinum. Walpo. Poſega. Gradiſca. Copranicia. Verovitia. Salankemum. Selinum. Fanum S. Crucis. Vivarinum.

§. II.
DE SERVIA.

SErvia longitudine ſua æquat 70. milliaria Germanica, latitudine verò 34. Jungitur à Septentrione Hungariæ, ab Oriente Wallachiæ & Bulgariæ, à Meridie Macedoniæ & Albaniæ, ab Occidente Boſniæ & Sclavoniæ. Servia à Romanis quondam Mœſia ſuperior dicta, & inter Thraciæ partes numerata eſt. Seculo XIV. Ubſan aut Duſan appellatus Serviæ Rex primus, cùm ſimul Bulgariam, Boſniam &c ſuæ feciſſet Ditionis: Regis Serviæ & Jmperatoris Græciæ nomen attribuit ſibi. Verùm eodem Seculo Stephanus Serviæ Rex ultimus extinctus, reliquit Regnum ſuum nunc Turcis, nunc Boſniæ Ducibus ſubjectum. Duces alij denuo Serviæ ſupremi excuſſis penitus Mahometanorum habenis vim vi repellere non ceſſabant. An. 1388. Lazarus Serviæ Dux contra Amurathem Turcarum Jmperatorem prope Caſſoviam in apertos progreſſus eſt campos, ubi quinquaginta militum millia utrinque ſunt deſiderata. Cecidit in pugna Lazarus, poſt pugnam verò Amurathes, quem nimirum Ducis Lazari fidiſſimus miles inter cæſos & ipſe accepto gravi

vulnere proſtratus, collectis viribus erectóque in pedes corpore perà cuſſit ſubitò, cùm fortè Amurathes interfectorum corpora obambulando oculis luſtraret. An 1420. Amurathes alter tentato in Serviam impetu Nevomentum, Scopiam & Sinderoviam Serviæ urbes expugnavit, ubi Georgij Ducis duobus filiis in captivitatem abſtraſtis, & probroſiſſimum in modum mutilatis, horum denique duxit ſororem amens ſimul & amans nimiùm quantùm. Atque hoc ex tempore Servia ferè perpetuò gemuit ſub barbarorum poteſtate, donec denique ſub annum 1718. à Carolo VI. Alba Græca poſt reportatam denuo victoriam multorum ſanguine eſt redempta, & tandem initis in annos 24. induciis Serviæ pars maxima Hungarorum Regi eſt reddita; cui adjectum novimus Wallachiæ tractum talem, ut fluvius Alautha inter HungatiæRegnum & Turcicum Jmperium terminus ſit conſtitutus; proximæ fluviis Savo & Dravo Provinciæ Hungarorum Regi etiam confirmatæ, & terminus alter Unna Croatiæ fluvius ſit fixus.

Urbes in Servia Principes ſunt Alba Græca, alijs Bellogradum. Semendria, aliis Senderovia. Niſſa. Widinum. Scopia. Novoſorum, Novibazar. Gliſcovatium, Gliſcowaz. Vid. *Gladov. Köhlerum, Atlantem Weigelij* &c.

§. III.
DE BOSNIA.

Boſnia longitudine 40. circiter Germanica milliaria, latitudine verò pleriſque in locis 12. numerat, junctam ſibi habet Sclavoniam à Septentrione, Serviam ab Oriente, Dalmatiam à Meridie & Croatiam ab Occidente.

Boſnia vetuſtiſſimis Seculis pars Pannoniæ, à Gothis dein & Slavis, ſeu Slcavoniis, ùt vocant, in Regni methodum eſt redacta. Seculo XIV. ſubeſſe cœpit aliis Ducibus, qui Hungarorum Regi Carolo & Succeſſoribus tributa ſolverunt. Seculo XV. Boſniæ Dux ultimus Sigiſmundo Hungariæ Regi promiſſum tributum mittere palàm renuens, Mahometanorum imploravit auxiliares copias, à quo tempore nunc Hungariæ, nunc Boſniæ obedivit Regibus, quorum om-

omnium ultimus Stephanus an. 1472. à Mahomete fraudibus ex urbe Jaickza pellectus, à barbaris tortoribus inter cruciatus maximos pelle eſt exutus; Boſnia verò dehinc Mahometi & ſucceſſoribus tyrannis ſubjecta gemuit, donec denique Auſtriacorum Jmperatorum victoriis Turcarum jugo eſt liberata hoc Seculo noſtro XVIII. ſecundum partem non minimam.

Urbes in Boſnia ſunt Priſrenda, Priſrendi. Novopyrgum, Novomont. Priſtina. Oracum. Serajum. Banjalucum. Cettina. Jaitia, Jaickza. Dubitia, Dubitcka. *Vid. Æneam Sylvium, Cluverium & Foreſtium &c de Regno Hungariæ.*

§. IV.
DE DALMATIA.

DAlmatia longitudine ſua numerat circiter 60. latitudine verò, ſi ſimul terreſtrem & Jnſulanam intelligamus, potioribus in terminis, 18. milliaria Germanica. A Septentrione & Oriente jungitur Boſniæ, á Meridie Albaniæ & mari Adriatico, ab Occidente Croatiæ.

Dalmatia quondam pars Jllyrici longè amplius ſpatium occupavit, quàm occupat hodie. Gregorius VII. poſt Concilium per Legatos ſuos Salonæ an. 1076. habitum Dalmatiam dixit Regnum, cujus Regem omnium primum coronavit Demetrium. Concilium alterum ibidem celebravit an. 1199. Jnnocentius III. pariter per Legatos Pontificios. Dalmatiam etiam ſuis natalibus celebriorem reddidit D. Hieronymus; obſcuravit verò Diocletianus tyrannus in Dalmatia natus, & poſt abdicatum Jmperium in eadem mortuus. Jncolæ in Dalmatia plerique Sacra profitentur Romana. Eadem in quatuor hodie partes dividitur; partem enim ſuam dicit Jmperator tanquam Hungariæ Rex; partem alteram retinet Reſpublica Veneta; partem tertiam Reſpublica Raguſina; partem quartam occupat Præfectus Turcicus. Præſidet ſuus Dalmatiæ Archiepiſcopus in urbe Jadera ſedem figens.

Ex urbibus, Hungariæ Regi ſubjacet Senia, Zeng oder Seng.

REIPUBLICÆ VENETÆ,

Climma. Jadera, Zara. Sebenicum. Traguria, Trau. Cliſſa. Spalatrum. Caſtellum novum. Cattara, Nerenta, aliis Naro, Narenza. Salona quondam Sedes Regia. Butua, Budoa.

REIPUBLICÆ RAGUSINÆ

Raguſa. Portus S. Crucis, S. Croix. Vega, Veglia. Corcyra nigra, Curzola. Melita, Meleda.

TURCIS SUBJACENT

Arcegovina. Scardona. Vid. *Strabonem*, *Ptolomæum*, *Lexicon Lipſienſe*, *Hübnerum*, *Gladovium* &c &c.

§. V.
DE CROATIA.

CRoatia longitudine ſua æquat milliaria Germanica 36. latitudine, ſi terreſtris & Inſulana ſimul metiantur, 15. A Septentrione adhæret Sclavoniæ, ab Oriente Boſniæ, à Meridie Dalmatiæ & mari Adriatico, ab Occidente Carniolæ. Superiùs memoratum eſt, ultimum Croatiæ & Dalmatiæ Regem Zolomirum Seculo XI. defunctum ſororem ſuam & Regnum S. Ladislao reliquiſſe; à quo tempore Hungariæ, ſi quæpiam intervalla excipiantur, conjunctæ hæ Provinciæ, aut Regna hodie Auſtriacis ſimúlque Hungariæ Regibus ſubduntur, & per Præfectos Regios alióſque verbo & opere, ſcientiis & conſilijs inſtructos viros gubernantur. Bannum Croatiæ nominare conſueverunt Præfectum ſupremum.

Urbes Hungariæ Regi ſubditæ ſunt ſequentes: Caroloſtadium. Petrina. Warasdinum. Caſtanovvitium. Chraſtovvitium. Siſſekium, aliis Siſacum. Urbes alias poſſident Turcæ.

§. VI.
DE PRINCIPATU TRANSYLVANIÆ.

TRanſylvaniæ Ducatus 54. circiter milliaribus longus, & 40. latus, à Septentrione contingit Ruſſiam Poloniæ Rubram, ab Oriente Moldaviam & Wallachiam, à Meridie Comitatum Temeſ-

meſvvarienſem, aliis dictum Temeſvenſem, ab Occidente demum Hungariæ Regnum. Fluvij præ reliquis nobiliores ſunt in Tranſylvania Ala & Meriſcha, nominibus his potiùs Germanis, quàm Latinis noti.

Tranſylvania quamvis montibus magìs & ſylvis, quàm Hungaria ſit diſtincta, eoſdem tamen in pleriſque plagis fert fructus & opes, quibus abundare diximus Hungariam; unde & ipſa Hungarorum Regi in annos ſingulos poſſet parere ſeptem aut octo florenorum milliones, niſi in petris & montibus obſtarent quæſtorijs obices varij nunquam facilè amovendi. Inter obices jure cenſentur Heterodoxi, quorum multis arrident placita Lutheri, aliis Calvini, alijs Arij, alijs demum doctrina ne quidem ſuismet æſtimatoribus abundè cognita. Vagari paſſim dicuntur etiam Arabes, Cingari, & his non abſimilis fæx hominum. Cæterùm in tres potiſſimùm claſſes diſtinguuntur per Tranſylvaniam cives & incolæ reliqui, nimirum in Germanos origine Saxones, Hungaros & Siculos Germanicè Zeckhler dictos.

Urbes præ reliquis in Tranſylvania nobiliores ſunt Cibinum, aliis Hermanſtadium. Braſſovia, aliis Corona. Alba Julia. Biſtritia. Segesvaria. Claudiopolis. Neoforum. Fogaræ. Agnettinum. Branſea. Maroſia. Marienburgum. Fanum S. Michalis. Rodnotum. Ulpia Trajani. Vide *Lexicon Lipſienſ. Köhlerum, Hiſtoriam noſtri temporis* &c.

TABULA CHOROGRAPHICA UNIVERSI POLONIÆ REGNI.

§. I.

POloniæ Regnum à Septentrione Mari Balthico & Livoniæ adjacens, Orientem verſus jungitur Ruſſiæ Nigræ ſeu parti Regni

ni Moſcovitici; verſus Meridiem Wallachiæ, Tranſylvaniæ & Hungariæ; verſus Occidentem Sileſiæ & Pomeraniæ. Longitudine ſua æquat milliaria Germanica ferè ducenta, latitudine centum triginta circiter. Separatur à Livonia fluvio Dvvina; à Moſcovia Boriſthene; à Tranſylvania & Hungaria montibus Carpatiis. Memoratis duobus fluviis accedunt alij duo, nimirum Viſtula, qui percurrit Poloniam ſtrictè dictam & Pruſſiam: Tyras ſeparat Podoliam à Wallachia. Dvvina. Boriſthenes, Nieper. Viſtula, Weichſel. Tyras, Nieſter.

Univerſa autem Polonia dividitur diviſione prima & maxima in Poloniæ Regnum & magnum Lithuaniæ Ducatum, olim diverſis capitibus ſubditum ac ſeparatum, hodie verò uni Polonorum Regi ſubjectum. Utraque pars hæc magna, imò maxima dividitur in diverſas Provincias, quas in ſequentes §§. dividimus.

§. II.

DE REGNO POLONIÆ A LITHUANIA SEPARATÆ.

Regnum Poloniæ tres complectitur partes, quarum prima dicitur Polonia Minor, altera Polonia Major, tertia Ruſſia Rubra, ſeu etiam Minor. Polonia Minor Ducatui Sileſiæ proxima continet tres Provincias, quas Poloni Palatinatus, ſeu Germanicis non ignoto nomine Woywodſchafften appellant.

PALATINATUUM OMNIUM EST

I. Cracovienſis, in quo ſunt urbes Cracovia caput Regni. Corona-Regni.

II. Sandomirienſis Palat. in quo Sandomiria. Racovia. Pinczovia. Opatovia.

III. Lublinenſis Palat. in quo Lublinum. Caſimiria. Schrodelium. Luloia &c.

§. III.

DE POLONIA MAJORI.

Polonia Major pariter tres complectitur Provincias ſeu Palatinatus, quorum primus dicitur Polonia Major ſtrictiori modo ſumpta

pta: alter Maſſovia, tertius Cuiavia. In Polonia majori hoc modo reſtricta ſunt Palatinatus

I. Poſnanienſis, in quo ſunt urbes Poſnania. Frauenſtadium. Lemus.
II. Caliſſinenſis, in quo Gneſna. Caliſſium. Coſmina.
III. Siradienſis, in quo Siradia. Petricovia.
IV. Lencizienſis, in quo Lencizium.
V. Ravenſis, in quo Rava.

§. IV.
DE MASOVIA.

MAſovia Pruſſiæ Brandeburgicæ proxima in duas minores dividitur Provincias, quarum prima hoc ipſo nomine dicitur

I. Maſovia ſtrictiori modo accepta, in qua ſunt urbes Warſovia. Villa nova. Dobrinum.
II. Podlachia, Palatinatus etiam Bielcenſis dicta, in qua ſunt Bielca. Drogiczinum.

§. V.
DE CUIAVIA.

CUiavia ad Viſtulam Maſoviæ adſita, duos duntaxat complectitur Palatinatus, ſcilicet

I. Breſtienſem, in quo Breſtia. Uladislavia. Cruſvicia.
II. Jnoloczenſis, in quo Inoloczinum.

§. VI.
DE RUSSIA RUBRA SEU MINORI.

RUſſia Rubra dividitur in quatur partes, nimirum in Ruſſiam Rubram poſteriori voce acceptam, Volhyniam, Podoliam & Ukraniam. Ruſſia Rubra hoc modo reſtricta Tranſylvaniæ & Hungariæ propinqua continet Palatinatus tres, quorum primus eſt

I. Lembergenſis, in quo ſunt Leopolis. Premislia. Halitia. Javorovia. Zolkievia.
II. Blezenſis, in quo Belzium. Zamoiſcium.

III. Chelmenſis, in quo Chelmum. Caſtoſtovia.

Volhynia in Palatinatus non dividitur, ipſa tamen crebrò appellatur Palatinatus, in quo ſunt urbes Luceria. Leſſovia.

Podolia eſt Wallachiæ propinqua Provincia, eáque fertiliſſima, in qua eſt Camenecum, Munimentum SS. Trinitatis.

Ukrania à fluvio Boryſthene diviſa continet Palatinatum Kiovienſem & Braclavienſem. Provinciam hanc inter ſeſe diviſerunt annis proximis Poloni, Moſchi & Coſaci;

Poloni ſervârunt Braclaviam. Bialaquercam &c.

Moſci occupârunt Chioviam &c.

Coſaci rapuerunt Baturinum. Czyrcaſſium. Kudacum. Techtimerovam. Pultavam.

§. VII.

DE MAGNO DUCATU LITHUANIÆ.

Ducatus Lithuaniæ dividitur in tres Provincias, nimirum in Lithuaniam ſtrictiori modo intellectam; in Ruſſiam Lithuanicam & in Samogithiam.

Lithuania hoc modo accepta complectitur Palatinatus tres, quorum eſt

I. Vilnenſis, in quo ſunt Vilna. Oſmiana.

II. Trocenſis, in quo Trocum. Grodna. Lida.

III. Breſſicenſis, qui vocatur etiam Poleſia, in qua eſt Breſſicia ſeu Breſcia. Pinskium.

Ruſſia Lithuanica comprehendit ſex Palatinatus, quorum

I. Novogradenſis, in quo Novogrodecum, Lachovicum.

II. Minſcienſis, in quo Minſcum.

III. Mcſislavienſis, in quo Mcsislavia. Mohilavia. Holovecinum. Leznum.

IV. Witepskienſis, in quo Vitepſcum. Braslavia.

V. Polocenſis, in quo Polocium.

VI. Smoleſcenſis, in quo Smolenskum ſub poteſtate Moſcorum.

Samogithia inter Pruſſiam & Curlandiam ſita continet urbes Roſiennam. Medniciam. Birſam. Huc pertinent Ditiones Principibus de Radzivil ſubjectæ.

§. VIII.
DE CURLANDIA.

QUamvis Curlandia Equitibus Ordinis Teutonici quondam erepta, & Gotthardo Kettlero à Polonorum Rege Ducatus nomine fuerit relicta, in eam tamen jus amplum ſibi ſervavit idem Poloniæ Rex: quamquam & hoc noſtro & priori Seculo nec Polonorum Rex, nec Kettlerus Dux inde multos collegerunt fructus, ſæpenumero à Suecis & Moſcis, quin & aliis hoſtibus occupati. Curlandiam proinde Poloniæ Provinciis addimus, in qua ſunt urbes Mittavia. Doblinum. Selburgum. Nithavia. Lunka.

Pars altera vocatur Semgallia, in qua ſunt Goldinga. Vindavia. Liba. Pilta &c

§. IX.
DE NATURA POLONIÆ ET COJUNCTIS PROVINCIIS EARUMQUE PROPRIETATIBUS.

IN pleriſque Provinciis hactenus enarratis datur abundantia frumenti & aliorum diverſiſſimorum fructuum, quibus accedunt apes melliferæ, greges equorum, boum, ovium, animalium ſylveſtrium, & copia piſcium maxima. Non deeſt Polonis etiam in Regno ſuo ampliſſimo argentum, mercurius, ſtañum & plumbum. Sal quoq; ingens gignit pretium. Verbo: ſola vini copia Polonis deeſt, quibus tamen concedunt maximè Hungari mercimoniis Poloniæ notiſſimi. Unde Lectori licet colligere, quantam poſſit parere proventuum ſummam Regnum latiſſimum ſimúlque longiſſimum, ſua natura nequaquam ſterile; ob hoc ferè infelix ſolùm, quod hyemis perfrigidæ injuriis ſit ſanè obnoxium. In Polonia nihilominus major eſt copia omnis generis fructuum, quàm pecuniarum; quare ex multorum opinione Polonorum Regi non niſi unum alterúmve florenorum millionem concedunt Poloniæ Status Provinciales, ut inde ſe Regem poſſit gerere. Curiæ & neceſſitatibus publicis iidem Status provident, præſertim cum Mars ad arma vocat. An verò his noſtris Seculis, veluti quondam, in medium bene conſulant, & commodum privatum publico poſtponant, ſententia ſit penes ipſam Poloniam.

Sta-

Statuum horum & Nobilium ingens eſt potentia, divitiarum abundantia, in ſubditos vis ſæpe & ſuperbia; quin bilem & ſanguinem ineſſe plurimum Polonis tradunt & Medici & Philoſophi; unde varios eóſque vehementes oriri affectus & effectus experientia docuit. Iram, gulam & luxuriam non in poſtremis numerare dicuntur vitiis.

In Poloniæ Regno floret Religio Romana & Lingua Latina Romanæ Eccleſiæ admodum amica: non deſunt tamen etiam in Polonia ſectarij omnino multi: quin & Hebræorum paradyſum nuncupant Poloniæ Regnum, quibus acceſſerunt Mahometani inter Polonos non una in urbe duntaxat tolerati. Plura intellige ex dicendis.

§. X.

DE ORTU ET PROGRESSU REGNI POLONIÆ, AC DE PRIMIS POLONORUM DUCIBUS.

DE Ducibus Polonorum primis diverſam ajunt eſſe Authorum ſententiam: communior eorum eſt, qui affirmant, Lechum, Zechum & Ruſſum tres fratres ex Jllyrico profugos tres Provincias abundè magnas inter ſeſe ita diviſiſſe, ut uni Polonia, alteri Bohemia, tertio Ruſſia obtigerit vel ſorte, vel ſorti haud abſimili partitione circa annum Chriſti 550.

Lechus itaque Polonorum Dux primus, dum in Regionem ſuam, Polonorum linguâ Poloniam primò dictam pervenit, conſtructum ab aquilis nidum inveniſſe fertur, unde urbi à ſe conditæ nomen indidiſſe tradunt, quam *Gneſen* appellavit. Eam fortè etiam ob cauſam Poloniæ inſignibus inſerta eſt aquila candida expanſis alis ad volandum provocans aquilas juniores.

Quanto tempore Lechus Polonorum Dux fuerit; item an hæredes reliquerit, non conſtat Hiſtoricis; authoritate non caret, quod tradunt Poloni, nimirum poſt fata Lechi Ducis omnium in Polonia primi à conferto populo electos eſſe duodecim Palatinos pacis & belli arbitros: unde etiamnum in duodecim Palatinatus Poloniam diſtingui nôrunt poſteri. Monarchiæ itaque quopiam temporis ſpatio ſucceſſit Ariſtocrâtia, quæ tametſi altiſſimas egerit radices, eandem

dem tamen moderari placuit Supremo Capite Ducis nomine electo: Cracus enim Polonos inter magni nominis vir promulgatus Dux, circa annum 700. conductis copiis ſtrenuè ſuperavit hoſtes quamplurimos. Cùm etiam probè caperet, abſque munimentis & propugnaculis difficulter Regna conſervari poſſe, eam ob rem condidit urbem à ſuo nomine dictam Cracoviam. Mortuo maturè nimis Craco ejuſdem filij Cracus & Lechus, nec non ſucceſſores Premislaus cognomento *Aurifaber*, item Lechus & duo Popelli æmulationibus mutuis & ſceleribus multis Polonorum res turbârunt plurimùm, adeò ut duos poſtremos à Deo vindice murium morſibus enectos interregno cauſam dediſſe tradatur. Vide *Gaguinum in vitis Regum Poloniæ.*

§. XI.

DE DUCIBUS POLONIÆ EX PIASTINO STEMMATE.

ANnus Chriſti agebatur 830. cùm Piaſtus Cruſvvicenſis inter gentiles, etſi rure natus & educatus, raris nihilominus virtutibus exornatus, & Superis adeò probatus fuiſſe fertur, ut cum fames univerſam Poloniam premeret, cœleſtes Genij venerint multiplicaturi panem Piaſti dexterâ porrigendum famelicis; quæ etiam cauſa fuit, cur in Ducem præter ſpem ſuam fuerit electus, & ejus denique hæredes in duas Lineas, nimirum Polonicam & Sileſianam diſtincti per annos omnino ſeptingentos, aut his plures floruerint. Vixiſſe ſcribitur Piaſtus annis 120. Filij & nepotes proximi Piaſto patri ferè ſimillimi fuerunt Zemovitus, Leſcus, Zemovislus & Micislaus I. quorum ultimus necdum Chriſtiano Dogmate imbutus, cùm more gentilium plures duxiſſet uxores, hæredibus tamen deſtitueretur, dolore ſuo maximo ob hoc haud ſemel duntaxat à Chriſtianis Doctoribus fuit commonitus, ut Aris Romanis accederet, Orthodoxorum more unica contentus conjuge: monitis denique morem geſſit; Dux enim damnatâ polygamiâ Baptiſmatis aquâ ablutus, thalami conſortem ſibi junxit Dambracam Boleslai I. Bohemorum Ducis filiam Catholicam, quæ poſt initum conjugium anno proximo peperit marito filium Boleslaum & toti Poloniæ ſalutem: ex eo enim tempore haud deſtitit Micislaus exemplo ſuo potentiſſimo ad

imitationem pertrahere Polonos univerſos, qui ſimul Chriſti vexillis ſeſe ſubjecerunt, & ſacramentum Romano Pontifici dixerunt; in cujus rei teſtimonium inter Sacra conſtituti Poloni evaginatis gladiis ſtare decreverunt, quoties deinceps ſacra Evangelij verba legerentur ſuo tempore. Sedit eadem ætate Benedictus IX. Seculi X. Romanus Pontifex, qui Poloniam univerſam in novem Diœceſes diſtinxit more aliarum Provinciarum & Regnorum conſueto. Hactenus Poloniæ Duces vidimus, deinceps Reges conſiderabimus.

§. XII.

DE REGIBUS POLONIÆ EX PIASTINO STEMMATE.

Boleslaus I. Micislai I. filius eo Poloniam rexit tempore, quo D. Adalbertus Archiepiſcopus Gneſnenſis à Boruſſis interfectus, & inde in Poloniam inter rara miracula translatus ad ſepulchrum ſuum etiam coronata pertraxit Capita. Ipſe enim etiam Jmperator Otto III. eò venire haud gravatus, & à Boleslao humaniſſimè exceptus, quanti Ducibus interſit honorare Cæſares oſtendit: Boleslao quippe Coronam Regiam manu Jmperatoria impoſuit an. 1001. conſentiente Romano Pontifice Sylveſtro II. Annis ſequentibus ad pugnas provocatus ab hoſtibus diverſis nunquam pugnavit, ubi non vicit & triumphavit: Pragam enim expugnavit, Luſatiam & Moraviam occupavit; Moſcos procul finibus ſuis repulit &c. Socios duodecim nunc Sagô nunc Togâ indutos ſecum ducere conſuevit, Senatores nimirum Regni publicos, ex quibus dein Senatum Polonicum conſcriptum eſſe intelligimus. Secutus eſt in Solio

Micislaus II. impar patri filius; nam jura & bona, quæ pater victoriis impetravit, ferè cladibus amiſit. Ipſa Regina Rixa nomine è Palatino Stemmate ad Rhenum nata, Regis & Conjugis ſui conniventiâ deterior facta, ſubditos tributis nimiis & oneribus aliis ſuppreſſit, contemptis Polonis Germanos advocans: unde in Saxoniam cum Caſimiro filio fugere compulſa, Conradum II. Jmperatorem in ſuppetias vocavit. Caſimirus ex Saxonia in Franciam Pariſios dimiſſus, & literarum ſtudiis artibúsque liberalibus excultus, dum Jtaliam luſtravit, à D. Romualdo nuntium Seculo mittere

tere doctus, Cluniacenſe petiît Monaſterium D. Benedicti annumeratus filiis: verùm inde à Statibus Poloniæ retractus, annuente Benedicto IX. Pontifice Romano in Poloniam rediît occupaturus Solium ea lege, ut Polonia annuum tributum ſolveret Pontifici, & capillos Monachorum more attonderent ſubditi Poloni. Caſimirus hic ob geſtorum gloriam *Reſtaurator Pacis & Salutis* nuncupatus, Poloniam univerſam illuſtravit virtute & Religione.

Boleslaus II. Micislai II. filius, etſi ab initio Regni ſui laudari mereretur, Polonis tamen temporis ſucceſſu vitio aſſuetis, ipſe etiam Veneris mancipium factus, ſceleribus fræna laxavit: D. Stanislaum proin Crocaviæ Epiſcopum ſcelerum præſertim publicorum oſorem conſtantiſſimum, perſequi haud deſtitit, à Gregorio VII. Pontifice propterea anathemate confixus; cùm D. Epiſcopum per conductos ſicarios occidere haud potuiſſet, manu Regia, aut veriùs ſacrilega & impia Sacris operantem occidit, occiſor denique etiam ſui factus, aut ſi ritè ſcripsêre alij, Monaſterio incluſus.

Uladislaus Boleslai II. frater egregiis factis ſcelera fratris tegere & abſcondere laboravit, ob id ſolùm infeliciſſimus, quòd in juventute genuerit filium haud legitimum Sbigneum nomine, à quo tanquam perduellium duce uſque ad fata ultima eſt armis laceſſitus. Pars felicitatis maxima erat genitori Uladislao filio Boleslaus III. ab ineunte ætate non niſi virtutis ſemitæ Regiæ aſſuetus. Quadraginta ſeptem victorias de hoſtibus ſuis multis eum retuliſſe memorant. Memoriâ ferè omnium digniſſimum eſt prælium, quo victus eſt in Pomerania Henricus V. Jmperator, ad quem finitâ pugnâ Bambergam uſque in Franciam Orientalem pervenit Boleslaus, ut ipſe Rex nuntius pacis & Orator pacem ab Jmperatore dandam referret. Rebus cum Jmperatore compoſitis miſit Pomeraniis ſcutum album & rubrum, indicem pacis & belli, quod mallent eligerent. Scutum utrumque ſervârunt hoſtes dato Polonis reſponſo: Pomeranios tametſi neutro hoſtium ſcuto indigos, utrumque tamen ſervaturos, ut nimirum pugnîs & victorîs pacem impetrarent. Quare renovata prælia, in quibus Pomeranij victi, & Polonorum Regi & Chriſto manus dederunt, eo ex tempore Chriſtiana Sacra profeſſi.

Sbigneum rebellium ducem cùm oblatâ veniâ ſuas in partes haud poſſet pertahere, per ſuos deniique occidi mandavit; cujus tamen necis adeò pœnituit Regem, ut tres eáſque difficiles peregrinationes pœnitentiæ causâ in ſe ſuſceperit, nimirum primam ad D. Adelbertum; alteram ad D. Stephanum in Hungariam; tertiam ad D. Ægidium in Franciam. Nunquam non Boleslaus hic pectori affixum gerebat parentis mortui effigiem, ut ob ejus memoriam & imaginis paternæ præſentiam non niſi fortiter ageret. Agoni propinquus Regnum Poloniæ inter filios quatuor hac diviſit methodo, ut nimirum

Uladislao Cracovia, Siradia, Lencizium & Sileſia obtingerent;
Boleslao data eſt Maſovia, Cuiavia, Culma & Bobrinum;
Micislaus III. impetravit Gneſnam, Poſnaniam & Pomeraniam;
Caſimirus II. fratrum ætate minimus, tametſi teſtamento parentis ferè excluderetur, temporis ſucceſſu tamen hæreditatis jure impetravit omnia.

Fratres hi Regii omnes parentis in Solio Succeſſores, ita regnabant, ut Caſimirus multis encomiis celebratus, reliqui verò univerſi publicis etiam querelis fuerint reprehenſi. Memoratu dignum videri poteſt, quod recenſent de Micislao III. is cùm tributis vix non ſupprimeret ſubditos, horum probè miſertus Gedeon Cracoviæ ſupremus Antiſtes, ſubornavit texendæ fabulæ habilem fœminam & viros idoneos. Mulier morem gerens Epiſcopo, lugubrem induta habitum & vultu mœrorem ſimulans, audienti Regi conqueſta eſt, à ſe filio perquam prodigo commiſſum eſſe gregem ovium; at filium inertem in famulos totam transtuliſſe curam domeſticam: Rex igitur demiſiſſimè rogatus cognoſceret cauſam & æquam pronuntiaret ſententiam. Auditâ fœmina mox à Rege citati famuli ad reſpondendum Regi ritè inſtructi, repoſuerunt, à culpa ſe immunes, id potiſſimùm conqueri, quòd filiusfamilias nimiùm multos alat canes venanaticos. Vocatus denique in judicium etiam larvatus filius, causâ cecidit & matri & famulis ſatisfacere à Regio judice juſſus, obedientiam & emendationem ſpopondit ſeriam. Tum verò Antiſtes præſens judicio ſurrexit, & his dictis latam ſententiam excepit: mater hæc Poloniæ Regnum eſt; filiusfamilias tu es ô Rex; famuli ſunt vi-

ri à conſiliis Regi: canes venatici ſunt cauſarum executores peſſimi: in Regis poteſtate fuiſſet & matri & famulis proſpicere per canes venaticos paucos eóſque fideles. Quibus auditis Micislaus dolore & mœrore ſuo maximo à Poloniæ Statibus eſt exauthoratus.

Longè diverſum à Micislao fuiſſe Caſimirum fratrem legimus: cùm enim proximè futurus Rex cum Joanne Conario luſibus certaret, & hunc ludendo longè ſuperaret Rex, victúſque Conarius irâ ſubitò efferveſceret, ut non dubitaret Caſimiro acerbam infligere alapam, nihilo tamen motus aut mutatus Rex, veniam mox reo conceſſit, palàm teſtatus, non oportere facilè Regem aut Ducem luſibus certare cum ſubditis. Cæterùm ex ſtemmate Piaſtino Polonis imperârunt præter recenſitos, octo Reges, quorum lege hæc nomina: Leſcus Albus, Boleslaus V. cognomento Pudicus, Leſcus Niger, Primislaus, Uladislaus dictus Cubitalis, Wenceslaus, Caſimirus Magnus & Ludovicus ſimul Hungariæ & Poloniæ Rex, quorum ultimus maſcula prole deſtitutus duas reliquit filias, Mariam ſcilicet & Hedvvigem; quarum prior Sigiſmundo Jmperatori, poſterior verò Uladislao Jagelloni Magno Lithuaniæ Duci nupſit an. 1386.

§. XIII.
DE REGIBUS POLONIÆ EX STEMMATE JAGELLONICO.

JAgello Magnus Lithuaniæ Dux Olgerdi filius, Gedimini præpotentis inter Lithuanos viri nepos, pactis ſequentibus eſt electus Polonorum Rex; primò ut fidem profiteretur Orthodoxam; ſecundo, ut Lithuaniæ Ducatum conjungeret cum Poloniæ Regno indiſſolubili vinculo: tertio, ut Wilhelmo Auſtriæ Archiduci, quem Ludovicus Poloniæ Rex filiæ Hedvvigi Sponſum jam deſtinaverat, numeraret ducenta Philippeorum millia: quarto, ut bello avulſas à Polonia Provincias reſtitueret. Dicto ſacramento promiſit hæc omnia Jagello. Nec animoſiùs fidem dedit, quam ſervavit; Orthodoxa enim Sacra ante nuptias Regias publicè profeſſus, ut Regis ſui exemplum ſtrenuè ſequerentur Lithuani univerſi, nulli ipſe pepercit labori: unde cùm minùs callerent linguam Polonicam Lithuani, &

Sacerdotes Poloni linguæ Lithuanicæ parùm periti haberentur, ipſe Jagello poſt ſuſceptum Baptiſma Uladislaus apellatus, præconis munus perſæpe in ſe ſuſcepit Rex animarum zelo ardentiſſimus. Etſi verò ante omnia moliretur Lithuaniæ Ducatum Poloniæ penitus jungere, optatiſſimus tamen hic eventus primùm an 1566. ſecutus eſt pleniſſimè. Victorias, quas haud parvo numero de hoſtibus, præſertim verò de Equitibus Teutonicis reportavit, auſpicari eſt ſolitus à votis publicis, quæ in conſpectu totius exercitus ad Superos direxit. Synodus Conſtantiæ cùm haberetur, tertias contraxit nuptias; ubi Eliſabethæ Sponſæ Regiæ Coronam inter applauſus populi imponi mandavit. Concilio tum præſens aderat Nicolaus Gneſnenſis Archipræſul, cujus inviti loco interea Coronam Reginæ impoſuit Reſſovius Lembergenſis Antiſtes. Ne igitur abſentia ſua Nicolao in hoc rerum articulo obeſſet maximopere, partim à Concilio, partim etiam à Poloniæ Statibus impetravit, ut Regni Primas creatus ſimul adeptus fuerit copiam coronandi deinceps Poloniæ Reges perpetuò. Quin his eam etiam adjectam eſſe affirmant cum dignitate potentiam, ut nimirum mortuo Rege deinceps munus Regis adimpleret Polononorum Primas, tanto tempore, quanto nondum Regem elegiſſent Poloniæ Proceres. Annis 80. vixit, annis 48. regnavit Jagello Rex, Regum nulli ferè ſecundus; quem idcirco maximi etiam hoſtes fecerunt, & laudibus celebrârunt eximiis non ſolùm Poloni, ſed quivis alij, qui de Regibus ſcripſerunt Hiſtorici.

Ex tanti Regis ſtemmate deſcenderunt Uladislaus V. & Caſimirus IV. Jagellonis filij, Joannes Albertus I. Alexander & Sigismundus II. Sigiſmundi I. natus, ex ſtirpe Jagellonica Rex Polonorum ultimus, ſi ſexum duntaxat maſculinum attendamus: ſecus enim tres Reges, ſcilicet Sigiſmundum III. Uladislaum IV. & Joannem Caſimirum annumerare oportebit, quorum primum ex Catharina Sigiſmundi I. filia, Sigiſmundi II. ſorore natum eſſe novimus: is verò Sigiſmundus III. genuit utrumque ultimum.

Profectò ferè omnes encomiis raris Reges digniſſimi, præſertim verò Caſimirus IV. qui magni parentis glorioſiſſimis veſtigiis inſiſtens, annorum 45. Rex contra Equites Teutonicos tredecim annis

nis longum idque cruentiſſimum ſua laude maxima continuavit bellum, nunquam magis ad fundendum, quàm ſervandum ſanguinem pronus, meritò dicendus *Princeps Pacis*, quam dum hoſtes victi rogârunt, continuò impetrârunt an. 1467. ea ratione, ut deinceps Culma, Micheloa, Mariæburgum, Elbinga aliæque in Polonia urbes ab Equitibus Germanis occupatæ victori redderentur: item ut Magiſter Equitum ſe Regis vaſallum, ùt vocant, diceret, dictóque ſacramento obedientiam perpetuam ſponderet. Atque hoc maximè modo Boruſſia Polonorum Regi tributaria eſt facta.

Circa idem tempus Status Poloniæ authoritati ſuæ augmentum addiderunt tantum, ut tribunis plebis Romanis pene pares fuerint æſtimati eo ex tempore: quare Poloni Regni ſui Status *animam Libertatis Patriæ* cœperunt dicere.

Anno 1458. Carolum VIII. Suecorum Regem in urbem Deganum venientem in Monaſterio Olivenſi excepit ſumma humanitate Caſimirus; cùm verò Carolus linguæ Polonicæ uſum non haberet, & Caſimirus Latinæ parùm ſe peritum noſſet, quam tamen callebat Rex Carolus, hac eadem lingua per interpretem locutus Caſimiro; hinc occurſus hic Regius adeò commovit Caſimirum, ut Latinorum linguæ non minùs quàm patriæ locum eſſe voluerit in ſuo Regno: unde Latinos in Polonia naſci dixernut exteri admodum tardè facti Latini.

Inter haud poſtrema eáque Regia decora Caſimiro erant ſex filij & filiæ ſeptem, omnes loco maximo apti nati: quatuor enim eorundem Reges partim Poloniæ, partim Bohemiæ, quintus Caſimirus ab ejuſdem Regni Statibus expoſcebatur Coronæ Hungaricæ, quam certò certiùs conſecutus fuiſſet, niſi cœleſtem Coronam ipſe præhabuiſſet, Virgineus Sponſus in flore ætatis mortuus, & ob ſua merita maxima anno 1521. à Leone X. Pontifice Divorum Albo inſertus. Filiorum ultimus Fridericus Cracoviæ Epiſcopus, & mox Gneſnenſis Archiepiſcopus, nec non S. R. E. Cardinalis creatus, Eccleſiam Polonicam ſuâ Purpurâ maximoperè illuſtravit. Paucis multa: Jagello fuit Poloniæ Sol, filij, filiæ & nepotes fuerunt ſydera lucidiſſima.

§. XIV.

DE REGIBUS POLONIÆ EX DIVERSO GENERE NATIS.

Regum omnium horum primus Henricus Valeſius Gallus, vix à Polonis Rex electus, mox etiam mortuo Carolo IX. à Francis Rex poſtulatus, clam auffugit, præhabens longè Coronam patriam Polonicæ, quæ multis vepribus erat intertexta, tot nimirum quot pactis & punctis erat adſtrictus Henricus, ſi Poloniæ faſces expoſceret. Quare abſque mora Henrici loco in Regem delectus an. 1575. Stephanus Bathorius Tranſylvaniæ Princeps, tanta omnium Statuum ſatisfactione Poloniæ Regno Rex per annos undecim præfuit, ut hoc eidem epithaphium unanimi calculo ſcripſerint:

In templo plùs quàm Sacerdos;
In Republica plùs quàm Rex;
In ſententia dicenda plùs quàm Senator:
In judicio plùs quàm Juriſconſultus;
In exercitu plùs quàm Jmperator;
In acie plùs quàm miles;
In adverſis perferendis &
Injurijs condonandis plùs quàm vir;
In publica libertate tuenda plùs quàm civis;
In amicitia ſervanda plùs quàm amicus;
In convictu plùs quàm familiaris;
In venationibus feríſque domandis plùs quàm leo;
In tota reliqua vita plùs quàm Philoſophus.

Bathorio ſucceſſit Sigiſmundus III. Joannis Suecorum Regis & Catharinæ ex ſtirpe Jagellonica natæ filius, qui à teneris in Suecia annis aſſuevit Sacris Romanis haud invito genitore Regio, ſpe nimirum freto, hoc maximè modo futurum eſſe, ut tam Suecis, quàm Polonis Rex filius ſecurè imperaret. At dum extincto patre Rex promulgatus antiquiſſimæ Religioni locum poſtulavit in Suecia ſecurum ac liberum, à Suecorum Statibus procul finibus ſuis an. 1604. exactus, bella geſſit graviſſima contra Guſtavum Adolphum, contra Turcas, Moſcos & rebelles Polonos, plurimis profectò expoſitus malis

lis, quæ perferendo id ſaltem effecit, ut proteſtantium & doctrina & numerus plurimùm fuerit diminutus in Polonia.

Secutus eſt in Solio Sigiſmundum III. filius Uladislaus, qui an. 1634. tanta ſua felicitate Moſcos ſuperavit, ut Provinciam 100. milliaribus longam Uladislao poſſidendam coacti ſint relinquere. Sueci etiam prope Nördlingam in Suevia victi non exiguam Boruſſiæ partem Polonis reddiderunt. Nimis maturè mortuum Uladislaum excepit frater Joannes Caſimirus II. qui dum juvenis Jtaliam & inde Hiſpaniam petere decrevit, à Gallis prope Maſiliam interceptus, diu in cuſtodia Gallica detentus latuit. Demum libertati reſtitutus, & Societatem JESU ingreſſus, biennio ſe probatiſſimum exhibuit. Argumentum hoc fuit Jnnocentio X. Pontifici, quòd ſacrâ Purpurâ digniſſimum æſtimârit, & S. R. E. Cardinalium numero inſeruerit. Fratre immatura morte vivis erepto, Rex à ſubditis poſtulatus, & annuente Pontifice Coronâ Regiâ exornatus, poſt editas pugnas egregias à perduellibus Coſacis Moſcorum jugo ſeſe ſponte dedentibus, & dein Mahometanorum ſuppetias implorantibus victus, nec non à Carolo Guſtavo Suecorum Rege ſuperatus Boruſſiam ferè totam amiſit. Monaſterium Olivenſe denique Polonos inter & Brandeburgicos ac Suecos firmavit inducias veriùs, quàm pacem; ubi Polonorum Rex juri ſuo in Sueciam, Livoniam & Boruſſiæ magnam partem renuntiare eſt coactus. Perpetuis his bellis aliiſque curis domeſticis fatigatus, hæredibus deſtitutus & Conjuge orbatus palàm depoſuit Sceptrum an. 1668. Caſimirus, in Gallia deinceps vitam acturus reliquam, quam Niverni finiît an. 1672. dans documenta poſteris, rarò prodeſſe Reipublicæ, Pedum converti in Gladium, Romanam Purpuram mutari Purpurâ Regiâ, & Clericum fieri Maritum.

Ex multis æmulis denique in Regem electus eſt Michael Koributhius Poloniæ Princeps, qui Polonis eam maximè ob cauſam placuit, quòd inter avos ſuos numerâſſet Jagellonis acceptiſſimi quondam Regis fratrem Demetrium. Adeò probantur in ſeris etiam nepotibus optimorum Regum merita. Annis quatuor duntaxat regnavit Rex Michael, quibus à Turcis in Podolia barbarorum more graſſantibus, & in ipſam Poloniam penetrantibus, ad eas pacis leges

accipiendas eſt adactus, ut Poloni Podoliam univerſam Mahometanorum jugo relinquerent; adhæc in annos ſingulos 22000. aureorum ſolverent, & deinceps Coſacos ſui juris eſſe permitterent.

Succeſſor Michaelis Joannes III. ex Poloniæ Regum ſanguine natus Princeps, exercitum Polonorum ſupremus Dux eſt moderatus, dum in Regem fuit electus: hujus proinde Regis ductu & imperio Turcæ in Podolia victi, ejuſdem Provinciæ partem maximam reſtituerunt. Enituit non minùs Joañis virtus Regia, dum Viennam à Turcis obſidione preſſam unà cum ſociis Ducibus liberavit. Fœdus quod cum Leopoldo Cæſare & Venetis pepigit, conſtantiſſimè ſervavit, tametſi Orientis imperator omnem moverit lapidem, ut Joannem Regem ab eorundem ſocietate & amicitia avelleret. Defuncto Joanne per unius anni intervallum turbavit Poloniam interregnum, quo elapſo denique à majori Polonorum parte in Regem electus eſt Fridericus Auguſtus Saxoniæ Elector à duobus maximè æmulis impeditus; primus eorundem erat Dux Condæus Gallus, alter Stanislaus Leſzczynckius, uterque incaſſum curîs ac deſideriis Coronam Regiam ambientibus fatigatus. Annis 28. Polonis Rex jam præfuit Fridericus Auguſtus ferè continuas inter turbas; ut his finitis tot ſaltem annis optatiſſima pace frui liceat unà & Regi & Regno, cum bonis omnibus exoptamus. *Foreſtius*, *Scherer*, *Funccius* &c.

TABULA CHOROGRAPHICA PRUSSIÆ POLONICÆ.

§ I.

PRuſſia (aliis Boruſſia) Polonica inter mare Balthicum, Pruſſiam Brandeburgicam, Ducatum Pomeraniæ, Cuiaviam & Mazoviam interjacens, ferè ejuſdem eſt magnitudinis, cujus eſſe dicemus Pruſſiam Brandeburgicam: dividitur autem in quatuor Palatinatus nimirum in

I. Palatinatum Pomerelliæ, in quo ſunt urbes Dantiſcum. Oliva. Dirſchavium.

II. Palatinatum Mariæburgicum, ſeu Viridariam, in quo ſunt Marienburgum. Stumersdorffium. Elbinga. Neutichium.

III. Palatinatum Culmenſem, aliis Culmigeriam, in qua ſunt Culma. Thorunium. Strasburgum. Golupa. Graudentium.

IV. Epiſcopatum Varmienſem, in quo ſunt Heilsberga. Brunſberga. Frauenburgum. Wartenburgum. Allenſteinium. Lauterburgum &c. Vid. *Köhlerum, Atlantem portatil. & pag. 375.*

§. II.

DE PRUSSIA BRANDEBURGICA.

PRuſſia Brandeburgica inter mare Balthicum, Samogitiam, Lithuaniam, Poloniam & Pruſſiam Polonicam interjacens, complectitur milliaria Germanica longitudine ſua circiter 25. & ferè totidem latitudine ſua. Dividitur hæc eadem Pruſſia in tres Provincias, ſcilicet in

I. Sambiam, in qua ſunt Mons Regius, aliis Regio-Mons. Pillavia. Velavia. Captura piſcium, aliis Fiſchuſium. Nemelia.

II. In Natangiam, in qua Brandeburgum arx inſignis. Heiligenpeila. Bartenſteinium. Raſtenburgum. Johanniburgum.

III. In Hockerlandiam, in qua Werda Mariana. Hollandia. Gilgenburgum. Chriſtburgum. Rinſenburgum. Oſteroda. Urbes alias vide in *P. Henrico Scherer*, de translatione autem Ducatus hujus ad Electorem Brandeburgicum & nunc Regem vide pag. 211. & 375.

TABULA CHOROGRAPHICA TOTIUS SUECIÆ.

§. I.

REgnum Sueciæ Septentrioni propinquum, tam latitudine quàm lon-

longitudine ſua comprehendit plura quàm ducenta milliaria Germanica; Boream verſus jungitur Norvegiæ & Lapponiæ; ab Oriente junctam reſpicit Moſcoviam & Lithuaniam; à Meridie mare Balthicum. Separatur itaque Regnum Sueciæ ſecundum magnam ſui partem à Moſcis lacubus Ladoga & de Onega; à Polonis & Lithuanis Duna ſeu Dvvina fluvio; à Germanis mari Balthico; à Danis freto Oreſundico. Ipſa Suecia diſtinguitur ſinu duplici, nimirum Bothnico verſus Septentrionem, & Finnico verſus Orientem terram findente. Univerſum Sueciæ Regnum dividitur in ſex diverſas Provincias, ſcil:

I. In Sueciam propriè dictam,
II. Gothiam,
III. Nordlandiam,
IV. Finniam,
V. Ingriam,
VI. Livoniam. Tot Paragraphis has ipſas jam diſtinguimus.

§. II.
DE SUECIA PROPRIE DICTA.

SUecia hoc modo reſtricta inter Nordlandiam, Gothiam & ſinus utrosque media dividitur in quinque partes, ſcilicet in

I. Uplandiam, in qua ſunt urbes Holmia. Upſalia.
II. Sudermanniam, in qua Nicopia. Grypsholmium.
III. Weſtermanniam, in qua Aroſia. Arboga. Köpinga. Sala.
IV. Nericiam, in qua Orebroa. Hamaranga.
V. Dalecarliam, in qua Jdra. Hedemora.

§. III.
DE GOTHIA.

GOthia inter Norvvegiam, Sueciam propriè dictam, mare Balthicum & ſinum Codanum media, dividitur crebrò in tres partes, nimirum

I. In Gothiam Orientalem, in qua Oſtrogothia, Regio prima. Nordköpinga. Lincopia. Stegeburgum.
Smalandia Gothiæ, Regio ſecunda, in qua Calmaria. Jenecopinga.

pinga. Vexſia, aliis Vexium Veſtrovicum. Bromſebroa.

Olandia Gothiæ Regio tertia, in qua Borckholmia. Oſtenbua.

II. In Gothiam Occidentalem, in qua Weſtrogothia Regio prima & urbs unica Gothenburgum.

Wermelandia, Regio ſecunda, in qua Philippoſtadium. Caroloſtadium.

Dalia, Regio tertia, in qua Daleburgum.

III. In Gotiam Meridionalem; & hujus Hallandia Regio prima, in qua Helmoſtadium. Laholmia. Varburgum.

Scandia Regio ſecunda, in qua Lundis. Coronia. Malmogia. Helſingoburgum.

Bleckingia Regio tertia, in qua Chriſtianopolis. Portus Carolinus. Chriſtiania, aliis Chriſtianoſtadium. Corona Caroli.

§. IV.
DE NORDLANDIA.

Nordlandia ſat magna Provincia inter Norvvegiam & ſinum Bothnicum media, dividitur in ſeptem Regiones minores; omnium ſit

I. Geſtricia, in qua ſunt urbes Gervalia. Fahlunga. Cuprimontium.
II. Helſingia Regio, in qua Dilsboa. Sylva Hudvici.
III. Medelpadia Regio, in qua Indalia.
IV. Jemptia Regio.
V. Angermannia Regio, in qua Hernoſandia. Nordmalinga.
VI. Bothnia Regio Orientalis, in qua Jlla. Silmaria.
VII. Bothnia Occidentalis Regio, in qua Torna. Lula. Uma.

Inter Regiones Nordlandiæ numerant Authores nonnulli Lapponiam Suecicam polo Arctico ſat propinquã, quæ conſtat quinque partibus, feris quàm hominibus pene notioribus: diverſis fluviis diſtinguere docuerunt Recentiores Topographi ſequentem in modum:

I. Uma Lapmarck ad fluvium Umam.
II. Pitha Lapmarck ad fluv. Pitha.
III. Lula Lapmarck ad fluv. Lula.
IV. Torne Lapmarck ad fluv. Torne.
V. Kimi Ladmarck ad fluv. Kimi.

§. V.
DE FINNIA SEU FINNONIA AUT FINLANDIA.

FInnlandia inter ſinum Bothnicum & fines Moſcoviæ media, ſimúlque ſpatii amplitudine inter Provincias Sueciæ maxima, dividitur in Regiones ſeptem, quarum

I. Finnilandia ſtrictiùs ſumpta, in qua ſunt Aboa. Bierneburgum.
II. Cajania, in qua Cajaneburgum.
III. Savolaxia abſque ulla civitate.
IV. Thavaſtia, in qua Thavaſtia.
V. Nilandia, in qua Raſeburgum. Helſingfordia.
VI. Carelia, in qua Viburgum. Pitiſa.
VII. Kexholmia, in qua Kexholmia. Notteburgum. His proximè accedit
VIII. Jngria, in qua Jvanogoroda. Coporium. Jamagoroda.

§. VI.
DE LIVONIA.

LIvonia inter ſinum Finnicum, Curlandiam, Jngriam & Polonicas Ditiones media, dividi conſuevit in Regiones duas, nimirum in

I. Eſtoniam, in qua Narva. Derpatum. Pernavia. Felinum. Hapſela. Revalia.
II. Lithlandiam, in qua Riga. Cruceburgum. Dunemunda. Kochenhuſium.

Hoc loco advertendum & monendum eſſe duximus, tres ultimas ex hactenus relatis Provinciis hoc Seculo XVIII. è Suecorum manibus ereptas poſſideri hodie à Moſcorum Supremo Duce. E contrario prioribus Seculis vendicârunt ſibi Suecorum victricia arma, aut argumenta alia

I. Provinciam Bahuſianam in Norvvegia.
II. Ducatum Pomeraniæ, quam diviſerunt hodie Suecorum victores Rex Daniæ & Boruſſiæ.
III. Ducatum Bremenſem etiam Daniæ Regi hodie aſſertum.
IV. Principatum Verdenſem.
V. Ducatum Bipontinum.

§. VII

§. VII.

DE SUECIÆ & SUECORUM DOTIBUS REBUSQUE ALIIS HUC PERTINENTIBUS.

SUeciæ Regnum præterquam, quòd polo Arctico ſit inter univerſa Europæ Regna proximius, denſiſſimis etiam ſylvis, ſpatioſiſſimis paludibus & magnæ altitudinis nivibus aliiſque aeris & aquæ injuriis eſt uſque adeò ſubjectum, ut in Sueciæ Provinciis paſſim inveniantur Regiones ferè ſteriles & feris ſylveſtribus, quàm hominibus notiores, ſi eos excipias, qui cum brutis animantibus communem fermè vivunt vitam incultis ſanè moribus agreſtes. Frumenti inter Suecos ea eſt carentia, ut vix ſufficiat patriæ: vineas propemodum ignorant: greges boum maximè & piſcium quæſtum abundè magnum faciunt. Inter beneficia naturæ numerantur mel, cuprum, ſtañum, ferrum, metallum & ligna cœdua. Hæc & alia ſi nunc ſingillatim, nunc universè in unum quaſi faſciculum colligantur, veluti collegerunt rationarij noñulli, florenorum viginti milliones Suecorum Regi ex ampliſſimo terræ ſpatio corradi poſſe autumant. At verò permagnam tantæ ſummæ copiam ademerunt Suecorum hoſtes præſertim Moſci, qui hodie Finniam, Ingriam, Livoniam & Regiones Suecorum alias ferè totas occupant. Cæterùm Suecorum plerique ſunt viribus robuſtis, frigori & duris laboribus aſſueti, tractandis armis & duræ Martis ſervituti perquam idonei. Qui Germaniæ viciniores & Daniæ propinquas incolunt terras, ſunt civiles, tractabiles, non abhorrentes à literarum ſtudiis: qui verò ad Boream propinquiùs accedunt, à multis vitiis, quin etiam à magia, veneficiis & ſuperſtitionibus nequaquam ſunt remoti. Intelligere plura lubeat de Suecorum moribus ex *P. Scherer* qui hunc in modum diſſerit:

Sunt Sueci inter Europæos ad Polum Arcticum ferè remotiſſimi, nihilominus à natura bene formati, ſatìs civiles atque humani. Sed & inter frigora, quibuſcum magnam anni partem conflictantur, eáque atrocia & ſæpe diuturna, Sueci bona gaudent valetudine, ſunt robuſti, & vitam ſæpe ad centum & triginta, aut quadraginta annos incolumes producunt, quantumvis (ſaltem plebei) vix alio utantur edulio, quàm lardo & carne aut piſcibus

fumo & vento ſiccatis, quibus ut plurimùm, deliciarum loco fumus è tabaco accedit, qui cœnam & prandium condit. Potus vix alius ſuppetit quàm frigida: rarior autem & ditioribus duntaxat in uſu eſt cereviſia & vinum aduſtum: ut adeò ipſa victûs parſimonia & moderatio (accedit aeris puritas) ſit ætatis ac vitæ longiùs protractæ cauſa. Sed neque ingenio deſtituuntur Sueci; teſte namque experientia ubi in aliarum Regionum Liceis & Academiis excoluntur, non rarò æquales evadunt, aut etiam inter exteros excellunt. Sunt verò in patria ſua erga exteros & hoſtes benevoli: extra patriam tamen præſertim ubi vincunt & imperant, duri immites & crudeles. Hoſpitia publica in Suecia ferè non habentur, ſed quilibet civium cauponem agit, & hoſpites, quantùm poteſt, liberaliter excipit. Plebei ferè omnes callent artes illas mechanicas, quæ uſui & neceſſitati quotidianæ deſerviunt: inde quiſque ſartor ſibi, ſutor & coquus eſt; ut adeò ad militiam nati factique videantur Sueci. Sed nec patriam inviti deſerunt, utpote frigori, inediæ duriſque omnibus aſſueti, & quocunque è patria digreſſi arma circumferunt, ferè mitiora & meliora reperiunt. Ex Suecia olim prodiîſſe cenſentur gentes illæ bellicoſæ. Oſtro-Gothi quidem Duce Totila qui Italiam vaſtârunt, & Weſtro-Gothi dicti, qui Germaniam, Galliam & Hiſpaniam ſubegerunt: hodiéque Germania alicubi cladem ſentit à Suecis Duce Guſtavo Adolpho in bello 30. annorum olim acceptam.

Denique in quinque Status tota Suecia dividitur. Primus eſt Familiæ Regiæ, è qua primogenitus hodie Regni totius hæres; reliqui autem filij, Principum titulo gaudent ſinguli portione ſua contenti.

Secundus Status eſt Nobilium, qui hodie ſublata electione multùm imminutus eſt.

Tertius eſt Eccleſiaſticorum nempe Epiſcoporum, quibus præter modicam præbendam nihil hodie ſupereſt, utpote redditibus ad fiſcum Regium abſtractis, & authoritate, qua in Regni diætis pollebant, prorſus imminuta.

Quartus Status eſt Mercatorum, penes quos opes ſunt potiſſimæ.

Quintus Status eſt Ruſticorum, qui ut plurimùm vitam vivunt pauperem, eorúmque filij ad militiam Regiam à pueris educantur & deſtinantur. Hactenus Schererus Plura intelligere licebit ex ſequentibus.

§. VIII.

§. VIII.

DE ORTU ET PROGRESSU REGUM SUECORUM.

QUi Suecorum Regum originem à Magog Noemi ex Japhete filio nepote nato audent petere, an locum non tribuant fabulis multis, non immeritò multi dubitant. Interea tamen dum lis hæc judicem ſupremum ſimúlque extremum exſpectat, Suecis haud negandum eſt, eorundem Regnum vel omnium primum, vel certè inter Europæ Regna prima eſſe collocandum. Nos hoc loco brevitati & veritati primas tribuamus, & omiſſo longiſſimo plurium, quàm centum Regum in Suecia ethnicorum catalogo eos duntaxat ex Chriſtianis afferamus Regibus, qui res memoratu digniſſimas nobis reliquerunt. Tribus aut quatuor proin paragraphis diſtinguemus.

§. IX.

DE PRIMIS SUECIÆ REGIBUS CHRISTIANIS.

NUmerârunt Sueci ab anno Chriſti 860. circiter ad annum 1370. Reges viginti octo, quos inter memoratiſſimi fuerunt Olaus ordine primus à D. Anſgario Archiepiſcopo Bremenſi, ùt multorum eſt opinio, ſacri Baptiſmatis aquâ ablutus. Quàm firmus ac fortis verò in Orthodoxa Religione uſque ad extrema fata perſtiterit, ex eo facilè licet colligere, quòd à populo idolorum cultui adhuc plurimùm aſſueto thus diis adolere juſſus, maluerit uni Deo victima cadere, quàm cedere aut quemquam occidere an. 900.

Ericus Rex hoc ordine tertius à vento & pileo novum ſibi nomen adſcivit Rex à *Ventoſo Pileo* dictus, quòd Pileo ſuo tanquam inſtrumento magico abuſus fuerit ad ventos quaqua verſum movendos & mutandos.

Ericus Succeſſor proximus Seculo X. Livoniam, Curlandiam, & Daniam ſibi per aliquod tempus victor ſubjecit.

Ericus inter Chriſtianos Sueciæ Reges V. intentatâ tranſgreſſoribus mandati Regij mortis pœna idolorum cultum dum prohibuit, à furioſis ſubditis unà cum Sacerdotibus ex Germania evocatis fuit trucidatus an. 980. poſtquam regnavit an. 40.

Olaus II. ad finem Seculi X. poſtquam ex Anglia transvectis Orthodoxis Doctoribus denuo Chriſti doctrinam promulgari præcepit in ſuo Regno, Religionis vinculo conjunxit arctiſſimè Sueciam & Gothiam, ſimúlque Romano Pontifici exhibuit obedientiam promptiſſimam.

Amundus I. cognomento Carbonarius eſt dictus, quòd lata lege ſanciverit, ut, quoties civis civi aut agreſtis agreſti illato damno obfuerit, toties pars bonorum æqualis damno, facienti damnum auſferretur, vel flammis abſumeretur.

Amundus II. Seculo XI. doluit maximopere Danos, Suecos & Gothos diſſidere plurimùm.

Jngo idololatriæ oſor acerrimus à ſubditis in exilium pulſus & denique concubia nocte ſomnum capiens eſt interfectus. Exemplum Jngonis ſtrenuè ſecuti ſunt Hallſtannus, Philippus & Jngo Reges à Religione, pace & virtutibus aliis celebrati.

Ragvvaldus Cerebroſus à Gothis Orientalibus in Regem electus, à Gothis verò Occidentalibus occiſus.

Suercherus ex illuſtriſſima oriundus Familia à Gothis primùm & mox à Suecis Rex electus initia Regni habuit pacatiſſima. Occiſus eſt denique potiſſimùm ob filij Joannis ſcelera ipſo nativitatis Dominicæ die prævio, dum trahæ impoſitus templo appropinquavit Rei ſacræ adfuturus animo non corpore ſub Suerchero Viri Religioſi cœperunt ſedes figere ſtabiles in Regno Sueciæ.

D. Ericus ex perilluſtri Suecorum genere natus, ea lege Sueciæ Rex eſt electus, ut ipſius & Suercheri Regis familia gemina alterno tempore deinceps in Suecorum Solio conſtitueret Regem. Annis ferè centum tenuit lex pluribus conſtans capitibus Regiis. Omnium primus ex alternis Regibus Ericus, ut Regio munere fungeretur non niſi optimè, Divorum quorumvis Regum imagines ante oculos animi & corporis conſtanter poſuit, qua regendi methodo id conſecutus eſt, ut *Patriæ & pauperum Pater* fuerit paſſim appellatus. Libidinis moleſtias ut temperaret, glacialem aquam & cilicium Regio corpori admovit. Bella gerebat, non ut ſuum magìs, quàm Chriſti augeret Regnum: cùm itaque Finlandiam non niſi multorum fuſo ſanguine Chri-

Chriſto lucraretur, cæſis Evangelij hoſtibus fertur lacrymîs multîs parentâſſe. Leges Suecicas emendari, atque in Codicem referri curavit, qui liber etiam hodie (**St. Erichs Lad**) Codex Erici vocatur. Munera Regi offerentibus reſpondere conſuevit: *mihi mea ſufficiunt, vobis veſtra ſalva ſint, non expeto aliena; poſteritas indigebit.* Tantus tamen Rex ab Henrico Suenonis Danorum Regis filio & conjuratorum turba eſt occiſus an. 1162. an. Regni 13.

Carolus Succeſſor Suercheri filius Archiepiſcopatum Upſalenſem annuente Pontifice erexit. Carolum trucidavit Canutus D. Erici filius, quòd perſuaſum ſibi haberet, patrem Ericum, conſcio ſceleris Carolo è medio eſſe ſublatum.

Canutus in Caroli occiſi conſanguineos quoque ſæviît: tandem tamen pœnitentiâ ductus mortem Chriſtiano Rege dignam oppetiît an. 1192.

Suercherus II. à D. Erici hæredibus æmulationis ergo ſublatus eſt in pugna: unde alterna Regum methodus univerſo Regno cœpit diſplicere maximopere, præcipuè eo etiam ex capite, quòd Suercherus æmulationi dediſſet cauſam, trucidatâ ex inſidiis ferè univerſâ D. Erici Familiâ.

Ericus ex D. Erici nepotibus nepos ſuperſtes Rex coronatus Rempublicam civilibus jactatam fluctibus loco reſtituit quieto, firmatâ denuo amicitiâ inter Ericorum & Suerchorum partes.

Joannes I. ultimus ex Suerchorum Familia in juventute, quàm raris virtutibus exornavit, fatis conceſſit præmaturis, omni deſtitutus hærede an. 1223. unde D. Erici hæredes per ſeſqui Seculum & ampliùs poſſederunt Sueciæ Solium, uſque ad annum nempe 1395. Ex iiſdem

Ericus III. cognomento Balbus author extitit Collegii Upſalenſis, quòd Sixtus IV. iis temporis ſucceſſu privilegiis donavit, quibus donata eſt Academia Bononienſis in Italia. Canutum ſororium Sceptri æmulum ſuperavit, ac ſecuri percuti mandavit, ut Regnum bellis domeſticis agitatum optato reſtitueret ſtatui. Taneſtiæ Provinciæ populos idololatriæ addictos, Chriſto ſibíque ſubdidit meritis dives Rex anno 1250. mortuus ſine liberis.

Waldemarus ex Ingenburga Erici III. ſorore natus, & inter diſſidentium multas partes abſente patre Rex electus eſt eo pacto, ut patrem nanciſceretur curatorem, quem pater converſa in virtutem neceſſitate egit providentiſſimum; in adverſarios tamen etiam perfidum, quos contra fidem datam & juramento confirmatam occidit. Extructâ dein Holmiâ Birgerus genitor Regius dum morte eſt extinctus, multorum malorum prodromus eſſe cœpit: filius enim Waldemarus, dum luxuriæ indulſit, Regni Statibus & fratribus exoſus factus, inter res univerſas eam præſtitit optimam, quòd in Palæſtinam ſuſcepta peregrinatione ſordes animi pœnitentiâ publicâ eluere laborârit. Interea & deinde Rex Suecis exoptatus.

Magnus I. Waldemari frater tanto juſtitiæ rigore in fures animadvertit, ut etiam minimè villis agreſtium opus fuiſſe ſerîs, dictum fuerit. Reliquit Magnus Rex filios Ericum, Waldemarum, & omnium natu maximum

Birgerum, qui fratres de æmulatione & proditione ſuſpectos ad arma provocavit: verùm ab iiſdem captus, poſtquam ſimulatâ amicitiâ libertatem recuperavit, talionis pœnam ſuſtinere juſſos fratres in vincula conjecit, abjectis in proximi fluvij abyſſum clavibus, ne carcer aperiretur denuo, & vincula ſolverentur. Pulſus igitur à ſubditis inter exules vitam clauſit.

Magnus II. Birgeri ex fratre nepos cognomine Schmeeck, rebus proſperè geſtis ab initio fuit feliciſſimus: verùm ductâ in conjugem Blancâ Comitis Namurcenſis filiâ deterior factus *publici prædatoris* infame nomen ex malefactis retulit: unde etiam exauthoratus publicè unà cum filio doluit Regnum ſuum transferri in

Albertum ſororis filium, à quo ipſe avunculus maternus in vincula conjectus, Holmiæ annis ſeptem delituit. Fuit verò ex D. Erici ſanguine Suecorum Rex ultimus Albertus à Margaretha Daniæ, Norvvegiæ & tandem etiam Sueciæ Regina captus, ac libertati reſtitutus in Monaſterio didicit ſatiùs longè eſſe obedire quàm imperare.

§. X.

DE REGIBUS SUECORUM PARTIM EXTERIS, PARTIM NATIONE SUECIS POST UNIONEM REGNORUM SUECIÆ, DANIÆ ET NORWEGIÆ.

SUecorum Status exauthorato Rege Alberto poſt lites graviſſimas Margaretham jam Daniæ & Norvvegiæ Reginam elegerunt etiam in ſuam hoc pacto, ut nimirum Suecorum provinciæ univerſæ ac ſingulæ fruerentur deinceps privilegiis omnibus hactenus conceſſis. Deſtituta erat liberis Margaretha; ut igitur nanciſceretur Succeſſorem in Regnis & ſibi & ſubditis acceptum, Ericum ex ſororis ſuæ filia pronepotem Pomeraniæ Ducem in Regem eligi curavit, atque adeò Sueciam, Daniam, Norvvegiam & Pomeraniam conjunxit.

Ericus hic, cùm nimiis tributis ſubditos oneràſſet, ſimúlque Danos neglectis Suecorum proceribus honoràſſet, bellis hinc domeſticis multo tempore agitatus, & tandem omni Regia poteſtate ac dignitate exutus, in Pomeraniam ſuam ſe recepit, ubi per annos 20. privatorum hominum more vixit. Interea Regis loco habenas Regni moderabatur Carolus Canutſohnius genere clariſſimus Suecus, donec denique Rex placuit.

Chriſtophorus Bavarus Erici Pomeranij ex ſorore nepos Ducis Bavari ac Palatini filius, qui toto decennio in pace Regna ſua conſervavit, in fine fortunatus longè minùs; cùm enim prole careret, & collectos in Suecia theſauros in Daniam transferre pararet, naufragióque perderet, nec non adversùs Lubeccenſes infauſto Marte pugnaret, publicum incurrens odium vitam parùm felicem feliciori morte terminavit: unde

Carolus Canutſohnius in Thronum evectus annis novem arridente fortuna regnavit, dein verò procerum molitionibus graviſſimis turbatus relictis Sceptris Gedanum auffugit. Caroli igitur in Thronum invitatus venit Danorum Rex Chriſtiernus, cujus animum viri à conſiliis Regiis conſtituti adversùs Statum Eccleſiaſticum adeò accendebant, ut bellum graviſſimum inter Regem & Epiſcopos exortum egerit omnia transverſum. Ipſemet profectò Archiepiſcopus Upſalenſis armata dexterâ contra Regem pugnavit; verùm ab hoc

in prælio captus, ſed & brevì ab Epiſcopis libertati reſtitutus fuit Author, cur Chriſtiernus Regno pulſus, Carolus verò Rex fuerit repetitus. Poſt varia eáque bellis civilibus maximè obnoxia fata.

Steno Stur Caroli Regis ex ſorore nepos Regis munus in ſe ſuſcipere multis perſuaſus argumentis Chriſtiernum hoſtem expertus eſt fortiſſimum, qui tamen in prælio victus & ſagittâ vulneratus reverſus eſt in Daniam ſpe Coronæ Suecorum recuperandæ penitus depoſita: Steno interea Regij Gubernatoris nomine appellatus inter varias Regni procellas duravit uſque ad annum 1503.

Interea temporis contra Stenonem ſtrenuè pugnandum erat Joanni Regi Chriſtierni filio, ut ſecurè tandem liceret regnare. In Solio confirmatus bellum Ditmarſicum in ſe ſuſcepit: ubi verò amiſsâ victoriâ in Sueciam rediît, à proceribus Regni infeſtis armis & animis petitus, domi foríſque hoſtes timuit. Itaque Regis loco rurſum placuêre Regno Gubernatores varij.

Chriſtiernus II. cum multis Sueciæ proceribus diu conflixit acerrimè: omnium denique victor Holmiæ Rex an. 1513. coronatus eſt, etſi privilegia omnia more Regum priorum dicto etiam Sacramento confirmârit, & ſe non tam Regem quàm parentem fore promiſerit, nonaginta tamen & quatuor Suecorum ferè nobiliſſimos publico in foro capite plecti juſſit an. 1520. quæ multiplex cædes dicta eſt *Holmiana Laniena.* Ob hanc itaque & alia multa inuſitata exempla è Suecia fugatus per avia & invia in Daniam pervenit, ubi cùm non minùs ſævire perrexiſſet in ſubditos, à Friderico Holſatiæ Duce patruo ſuo itidem fugatus cum Conjuge Iſabella Caroli V. Cæſaris ſorore auffugit in Seelandiam eorundem Regum ultimus, qui ſimul Suecis, Danis & Norvvegis Rex imperavit. *Plura vide in Serie Regum Daniæ.*

§. XI.
DE REGIBUS SUECIÆ EX STEMMATE REGUM EJUSDEM REGNI ANTIQUO POST SEPARATIONEM REGNORUM SUECIÆ ET DANIÆ.

GUſtavus Eriſchon Stenonis Stur nepos ſanguinis propinquitate contingebat D. Ericum Suecorum Regem, ſi ſexum fœmineum reſpiciamus. Is inter obſides Chriſtiano II. Regi miſſus, atque in

in Daniam ductus, clam cuſtodum fefellit oculos, & magnis itineribus terrâ maríque factis in Sueciam rediit, ubi convocatâ agreſtium turmâ primò contra hoſtes pugnare, mox verò conducto exercitu Regni Gubernatotem ſe gerere, Danos vincere, Archiepiſcopos & horum ſocios ſubjugare, Eccleſiaſticos proventus ſuos dicere, atque his veluti gradibus in Solium patrium aſcendere perrexit. Tredecim prædiorum millia partim Epiſcopis, partim Equitibus Teutonici Ordinis, partim viris Religioſis aliis eripuiſſe ſcribitur. Eadem tempeſtate pulſis Saerdotibus Romanis Laurentius & Olaus Peterſohnij fratres quondam Lutheri Wittenbergæ diſcipuli cum ſociis multis nova placita in vulgus ſpargere, Regis cauſam probare, atque adeò Regem ad ſuas partes trahere noverant, ut Guſtavus contempta quavis poteſtate Eccleſiaſtica Lutheri doctrinam confirmârit & Regnum hæreditarium viribus fretus maximis effecerit ſexui fœmineo Coronâ & Sceptro interdicto, quod Regis deſiderium magìs quàm præceptum brevi cum eodem exſpiravit: qui An. 1560. defunctus maſculos hæredes numeravit quatuor quorum primus

Ericus Revaliam & Eſtoniam Provincias Regno reſtituit. Legatos is miſit in Angliam petituros in Sponſam Regiam Eliſabetham Reginam, quæ hunc in modum abituris reſpondiſſe fertur: *Ite miſſa eſt.* Sponſas Principes aliàs cùm incaſſum in thalamum Regium invitâſſet, ignobilem tandem ſibi junxit fœminam Coronâ Regiâ à ſe exornandam. Æmulum Sceptri vel ſibi fecit vel finxit Joannem fratrem, quem eam ob cauſam annis pluribus in carcere detinuit. Multa alia partim crudelitatis, partim maleſanæ mentis teſtimonia prodidit, unde omnibus meritò exoſus redditus eundem in carcerem fuit conjectus, ex quo paulò antè Joannes frater rediit Solium Regium occupaturus. Conſcenſo igitur Thronô Joannes Rex bellum contra Danos ſuſceptum annis ſeptem continuavit, inita verò tandem pace de tribus Coronis quondam unitis Stetini ovantium more triumphavit. Ruſſos poſtea aggreſſus Narviam utramque occupavit finibus Regni Suecici quadraginta milliarium amplitudine auctis. Conſtanter monente Regina Polonorum Regis ſorore Catharina Aras Romanas cuſtodivit Joannes; unde & hujus filius in carcere natus Catholi-

tholi-

tholicorum more eſt imbutus Romanæ fidei dogmatis. Regi verò Romana ſacra propugnanti vehementer obſtitit Carolus frater, Miniſterium Stokholmienſe, Doctores Upſalenſes, & Academiæ in Germania corruptæ. Interea morbis & morti ſuccubuit Catharina Regina, Patres Societatis è Regno ejecti, Joannes Rex poſt initum cum Cunilla fœmina inter Suecos principe loco nata, & Luthero jam devota connubium alterum & ſuperatas adverſitates plurimas an. 1592. iter æternitatis adiît.

Sigiſmundus Joannis Regis filius intellecta parentis morte ex Polonia in Sueciam properavit, ubi proceres in conciliabulo Upſalenſi jam ita convenerant, ut, niſi Luthero ſedes in Suecia relinqueretur jam poſſeſſa, & aditus Catholicis Doctoribus interdiceretur penitus, nunquam admitteretur Rex Sigiſmundus. Tametſi nihilominus Sigiſmundus Rex coronatus in Orthodoxa Fide defendenda foret conſtantiſſimus, à patruo tamen ſuo Carolo Sceptri quàm Religioſæ Fidei longè avidiorî unà alteráve in pugna ſuperatus in tantas redactus eſt anguſtias, ut Sueciæ Status Provinciales in Sigiſmundi Thronum primò Joannem Regis fratrem, & mox mutatâ ſententiâ Carolum Regis patruum promoverint parùm anxij de jure hæreditatis, veritate & antiquititate Religionis.

Carolus Guſtavi filius ultimus Joannis Regis frater an. 1604. à præpotentibus Suecorum Statibus Rex electus & annis ſequentibus à Polonorum Rege in pugnis victus an. 1611. mortem oppetiît dolore animi magìs, quàm corporis enectus. Inter leges Regni eam firmari conſuetudine optavit maximè legem, qua præcepit, ut, niſi nobiles doctrinâ excolerentur, inter nobiles deinceps non numerarentur. Inter viros à conſiliis Regiis conſtitutos eos parvi æſtimavit, qui Cameræ, ùt vocant, Regiæ fidem ſuam verbis magìs, quàm factis demonſtrabant: unde auditus eſt dicere, quodſi vir parùm perſpectæ fidei in Cameræ negotiis per annos ſex poſuiſſet operam, talem abſque injuria poſſe in furiam agi

Guſtavus Adolphus Caroli Regis filius an. 1594. natus excelsâ corporis ſtaturâ, robuſto corpore, candida facie, naſo aquilino & ſubrufa cæſarie ſupra majores etiam viros eminebat. Non impares corpori erant

erant animi dotes; fuit quippe magnanimus, fortis, liberalis, comis, manſuetus, affabilis, Majeſtatis tamen ſuæ vix unquam oblitus, ſuperbus, Luthero addictus &c. Parenti Carolo, invitis meritò Polonorum Regibus, ſuccedens bella adversùs Danos, Polonos & Moſcos continuavit. Cum his demum pace firmata nulla graviori cauſa adactus aut læſus, arma ferocia contra Ferdinandum II. Cæſarem è Septentrionis Regnis in Jmperium tranſtulit; & primo quidem anno 1630. menſe Julio Rugiam inſulam ingreſſus, Wolgaſtum pulſis Jmperij copiis ſuperavit. Deinde Stetinum Pomeraniæ metropolim aliáſque multas urbes expugnavit: inita etiam cum Electore Saxonum armorum & odiorum ſocietate Cæſareanos prope Lipſiam fugavit, Palatinatum inde, Bavariam, Sueviam aliáſque Jmperij Provincias prædatorum more pervadens, ubique reliquit veſtigia incolis triſtiſſima. In pugna tamen Luzenſi an. 1632. contra Jmperij copias denuo inſtitutâ Rex Adolphus cecidit multis confoſſus vulneribus an. ætatis 37. relinquens filiam

Chriſtinam literarum gloriâ & literatorum æſtimatione clariſſimam. Eadem cùm annos ſex ætatis numeraret, Regina jam eſt promulgata: anno autem duodecimo ſumma Regni cura Eleonoræ Reginæ viduæ & quinque Statibus, uti vocamus, eſt commiſſa. Anno decimo octavo Faſces Regni Reginæ filiæ ſunt traditæ, quamvis anno primùm 1650. Coronâ Regiâ exornari voluerit, annos ætatis numerans 24. quo in Succeſſorem ſibi delegit Carolum Guſtavum Bipontinum ex Catharina genitoris Adolphi ſorore natum filium, cui etiam anno 1654. poſt recitatam inter communes omnium lacrymas orationem Sceptrum, Coronam & reliqua inſignia Regum Suecorum propria conceſſit, retentis ſibi in annos ſingulos ducentis Philippeorum millibus. Varias dein profecta in Provincias ubi per Germaniam Oenipontum attigit, menſe Octobri an. 1654. Romana Sacra publicè eſt profeſſa. Rediit equidem bis aut ter in Sueciam; verùm ùt fieri ſolet, ob ejuratum Lutherum & aulæ & ſubditis parùm accepta, nec ipſam auri ſummam ſibi promiſſam impetravit. Poſt exhibitas denique virtutes plurimas, & in fœmina raras, Romæ exſpiravit an. ætat 63. Chriſti nati 1689. Taurini quondam dum eſt com-

morata, hocce elogio arcui thriumphali inſcripto eſt excepta Chriſtina Alexandra:

Magno Alexandro major
Alexandra:
Jlle enim occupans Regna terreſtria
Cœleſtium deſperatione flevit;
Hæc cœleſtia ut aquireret
Abjecit terreſtria.

Carolus Guſtavus Joannis Caſimiri Bipontini filius pacem, dictam Monaſterienſem plurimùm promovit utilem ſibi, Eccleſiæ noxiam. Polonorum Regem Joannem Caſimirum Alexandræ Reginæ abdicationi & ſucceſſioni contranitentem armis aggreſſus victor oppugnavit. Pruſſiæ Regiæ partem haud exiguam ſuæ poteſtatis fecit. Ut Polonorum Regem ad internecionem deleret, cum Friderico Wilhelmo Electore Brandeburgico & Georgio Ragozio Tranſylvano ſocia junxit arma abſque optato tamen effectu: Poloni enim ſeriò pugnare docti vim vi ſtrenuiſſimè repulêre, exemplo hoſtibus denuo monſtrato, Polonos ferè inexpugnabiles eſſe, ſi unus ſit Rex omnibus & animus. A partibus dein derelictus, & ipſe ab hoſtibus Danis & Batavis impetitus, an. ætatis 38. animam exhalavit an. 1660. calida febri extinctus.

Carolus Caroli filius ſub genitricis & Statuum cura adolevit; annis dein maturus Sceptróque potitus, cum Gallis icto fœdere dum bellis Germanicis ſeſe immiſcuit, Ditiones in Germania amiſit ferè univerſas; quas nimirum Rex Daniæ, Elector Brandeburgicus, nec non Duces Brunſuicenſis & Luneburgicus armorum ſocietate inita victores occupârunt; pace nihilominus Noviomagi ſtabilita, annitente plurimùm Gallorum Rege Ludovico XIV. pene recuperavit univerſa. In Comitiis dein an. 1680. Holmiæ habitis ita ſupremo in Sueciam auctus eſt imperio, ut Statuum ac Senatorum Regni authoritas admodum diminuta ſancitúmque fuerit, ut Rex in negotiis etiam publicis libera polleret authoritate adeò, ut ſi eidem abſque prole contingeret mori, penes Regem poteſtas foret collocandi in Solio ſucceſſorem Regium. Ut ad nutum etiam paratas haberet militum cohor-

hortes, imperavit, ut deinceps ſex ruricolarum equitem, aut eorundem tres peditem unum alerent: quare pacis etiam tempore octoginta militum millia numerata eſſe memorant. An. 1693. ob Lutheri doctrinam Suecorum regno abhinc annis centum illatam jubilæum celebravit, utì ſpes eſt, primum & ultimum: anno ipſe 1697. annum æternum cœpit vivere; felix ſi inter vivos!

Carolus inter Reges Suecorum hujus nominis XII. prioris filius, poſtquam ætatis annum octavum ſupra decimum attigit, Rüſvvikianam pacem urgere, & Ducatum Bipontinum ſibi vendicare non deſtitit. Rex juvenis Martius pugnavit cum Danis, Polonis & Moſcis, à quorum primis prope Pultavam an. 1709. ita eſt ſuperatus, ut amiſſo ferè univerſo Suecorum exercitu ad Mahometanos auffugerit, in urbe Turcica Bender annis pluribus commoratus. Demum an. 1715. in Sueciam reverſus, dum à tractandis armis & gerendis bellis non quievit, amiſſa Regni ſui parte notabili, amiſit inter pericula vitam, Rex in armis natus, educatus & mortuus an. 1718. ætat. 37.

Ulrica Eleonora Caroli XII. Regis ſoror, Friderici Haſſocaſſelij conjux, ut Regnum diuturnis iiſque graviſſimis belli motibus quaſſatum, & multis Provinciis diminutum futuris ſaltem malis liberaret, cum Rege Danorum inducias pacta, ſimul etiam cum Regibus Boruſſiæ & magnæ Britanniæ inire pacem decrevit: unde Ducatus Bremenſis atque Verdenſis Britanniæ Regi relictus, Pruſſorum verò Stetinum urbs aſſerta: victoribus reliquis, ſcilicet Polonorum Rege & Moſcorum Duce ſuas ſibi partes vendicantibus. Cæterùm vel graviſſimi oneris pertæſa Regina, vel ſatiùs eſſe viro Regni faſces credere perſuaſa, an. 1720. menſe Februario Fridericum conjugem ſuum promulgari Regem curavit, ſupremo Regni univerſi imperio in eundem penitus translato. *Foreſtius, Funccius, Hübner. Gladov. Köhler. Lexicon Lipſienſ.*

TABULA CHOROGRAPHICA REGNORUM DANIÆ ET NORWEGIÆ

§. I.

CUm Regnum Norvvegiæ & Daniæ uni ſubſit Regi, inde utrumq; velut in unum conjungemus, facto tamen diſcrimine, ubi faciendum eſt. Unde & hìc primum concedamus locum Daniæ, ſecundum Norvvegiæ. Regnum itaque Daniæ univerſum ferme fluctibus circumdatum, ſecundum maximam ſui partem includitur mari Septentrionali & ſinu Codano: atque hac ratione ab inſulis Seelandia, Fionia, aliiſque minoribus ſeparatum, longitudine ſua comprehendit 60. milliaria Germanica; ſi tamen Schleſvicenſem & Holſaticum Ducatus unà computemus. Latitudo pleriſque in partibus eſt milliarium octodecim. Hac igitur ratione Regnum Daniæ dividitur in

I. Jutlandiam. II. Schleſviciam. III. Holſatiam. IV. Seelandiam. V. Fioniam. VI. Inſulas Minores.

§. II.

DE JUTLANDIA, SCHLESVICIA ET HOLSATIA.

JUtlandia peninſula Septentrionalis dividi conſuevit in quatuor Diœceſes, nimirum in Arhuſienſem, Alburgenſem, Viburgenſem & Ripenſem, in quibus ſunt urbes ſimilium ferè nominum, ſcilicet Arhuſia, Alburgum, Viburgum & Ripa, quibus accedunt Coldinga & Friderici-Oda.

Ducatus Schleſvicenſis inter Jutlandiam & Holſatiam medius continet urbes partim Daniæ Regi, partim Duci Gottorpiano ſubditas. Daniæ Regi ſubduntur Flenſ-

Flensburgum,	Inſulæ	{	Alſena,
Glüksburgum,			Arroa,
Hadersleba &			Roma,
			Amroma,
			Fora,

DUCI GOTTORPIANO SUBJICIUNTUR

Schleſvicum. Gottorpia. Tundera. Huſumum. Tonninga. Fridericopolis. Ecklenforda.

Strandia Septentrionalis	Inſulæ.
Inſula ſancta	
Fimera.	

De his vide, ſicut & de Holſatia Circulum Saxoniæ inferioris.

§. III.

De SEELANDIA, FIONIA ET MINORIBUS DANIÆ INSULIS.

Seelandia inſula in mari Balthico inter Gothiam & Fioniam media, complectitur longitudine ſua milliaria Germanica 15. latitudine 12. Urbes in eadem ſunt Hafnia Sedes Regia. Coppenhagen. Roſchilda. Helſingora. Coronæburgum. Fridericopolis.

Fionia in eodem mari Balthico inter Jutlandiam & Seelandiam media inſula longitudine ſua comprehendit milliaria 12. latitudine 10. Urbes in eadem ſunt Ottonia, Odenſee. Neoburgum &c.

INSULÆ MINORES.

Lalandia. Falſtria. Mona. Langelandia. Arroa. Samſoa. Amaka. Soltholmium. Bornholmia.

TABULA CHOROGRAPHICA ALTERA.

§ I.

DE REGNO NORWEGIÆ.

Regnum hoc inter Oceanum Septentrionalem, Sueciam & ſuperiorem Moſcoviam medium tantæ eſt longitudinis, ut multùm ſupe-

ſuperet 200. milliaria Germanica. Latitudo pro partium aut Regio-
num diverſitate eſt varia, nunc nimirum milliarium Germanicorum
40. nunc 30. nunc 20. &c.

Regnum Norvvegiæ diviſione prima dividitur in continentem
& inſulanam. Continentis ſunt Provinciæ ſex, nimirum

I. Bahuſia, in qua ejuſdem nominis urbs.
II. Aggerhuſia, in qua Ansloga ſeu Chriſtiania.
Fridericopolis, aliis Fridericoſtadium.
III. Berghenſis in qua Berga.
IV. Stavangrienſis, & hujus nominis urbs.
V. Nidroſiana, in qua Tronthemium.
VI. Wardhuſia, in qua Wardhuſium.
Hæ ſunt præcipuæ totius Norvvegiæ urbes.

Inſulana dividitur potiſſimùm in duas inſularum præcipuas, i
Islandiam nempe & Groenlandiam. Islandia inter Europam & Ame-
ricam Septentrionalem interjacens inſula ultra 60. milliaria Germa-
nica longa, & ferè totidem lata, dividitur in quatuor partes quatuor or-
bis finibus reſpondentes, nimirum in Septentrionalem, Orientalem
Meridionalem & Occidentalem, in quibus invenire eſt partim ur-
bes, partim oppida: Hornam Promontorium. Langam, incolis Neſ
dictam. Halariam. Katrium Promontor. Mokrafeldiam. Ra
dagunparium. Scagam Promont. Singlunum. Tiarium Promont
Haneram. Haskam. Heclam. Reikrium. Scaholtum. Gilſam
Fulva-Stapium. Kallam. Katurium. Kolbenſtaſium. Ondutum
Straunium. Sugarium, Promontoria.

Jnſulæ minores Islandiæ proximiores ſunt Beeren Eyland, Ano-
nyma, Grims &c. Paulò remotiores ſunt Schetlandia & Hiltlan-
dia, Ferro, Gleſslariæ &c.

Groenlandia Americæ Septentrionali proxima, an tota, an pen
inſulana dubitant Dani. Angli aliíque huc navigiis vecti, nimio tame
frigore glacie & nive, quò minùs potuerunt pergere, impediti. Di-
viditur Groenlandia in novam & veterem; in nova præ aliis cele-
briora Promontoria ſunt

I. Promontorium Confort dictum;
II. Deſolationis caput; Di

III. Diſcordiæ caput;
IV. Farevel caput;
V. Bonæ ſpei caput;
VI. Promontorium Hernoldi;
VII. Liaceſter caput.

§. V.
DE DANORUM ET NORWEGORUM MORIBUS ET DOTIBUS DIVERSIS.

QUi mores gentium & nationum ſingularum obſervant hodie, ſi æqui ſint rerum arbitri, invenient facilè in Regnis Europæ ſingulis, quod reprehendant, citiùs tamen, quod laudibus extollant. Danos & Danis ad Boream propinquos populos qui dicant barbaris non abſimiles, per Germaniam occurrunt etiam. Verùm abſit à nobis hæc barbara veriùs, quàm Germana ſententia: ſi enim per ſingulas ferè doctorum virorum claſſes deſcendere lubeat, teſtibus Foreſtio, Scherero & aliis è Societate JESU Patribus, inter Danos reperiuntur numero multi & æſtimatione magni. Tanta eſt etiam in Danorum plurimis morum humanitas, ut cedere vix credas illis Germanis, quos à morum humanitate æſtimamus maximi. Mercimoniis occupantur Danorum non pauci, natio dirigendis etiam ad remotiora Regna navigiis maximè habilis & aſſueta, parabili victu veſtitúque contenta, ventis, nivibus & maris fluctibus non cedens facilè: unde eorundem Regi obveniunt ex copioſo naulo per annos quoſvis proventus maximi, quos augent tributa à ſubditis ſeverè exigi ſolita, præſertim ubi Mars Regem vocat ad arma, quibus tractandis, ſi ulla natio, Danorum certè etiam eſt habilis & idonea.

Non deſunt authores virtutum in hoſtibus æſtimatores, qui affirmant Anglos à Danis decies, Hibernos verò octies ſupra decies fuiſſe domitos. Victorias pares eripi ſibi doluit Scotia, quæ longo tempore homagium, uti vocant Jurisperiti, Danorum Regi præſtitit. Saxoniam quinquies Daniæ tributariam fuiſſe factam teſtantur pariter: quin prioribus ſeculis poſt octodecim pugnas & totidem victorias mirati ſunt Danos victores ſuos Sueci, nec hodie in armis majores Danis. Quibus in more poſitum, & legibus probatum fuiſſe le-

legimus, ut nec ſeram ſenectutem, nec periculoſos exſpectarent morbos, ſed armati ſtarent, pugnarent, & glorioſam mortem oppeterent: unde probroſum & infamiæ loco habebatur ex prælio vivum, niſi victorem reverti. Verùm mutata tandem tempora & ſacra mutârunt & mores & leges; quare noſtra ætate tot conſcribi milites ex nationibus exteris à Danorum Rege, quot ipſa daret Dania, non eſt vana opinio: nec dedecori eſt aut vitio vertitur hodie Danorum multis iiſque claris proſapiâ viris, curtam ſuppellectilem cuſtodire domi, & quidem frequentiùs extra, quam intra urbes & oppida: ita lucrum quærere, aut quæſitum ſervare, & luxum fugere coegit rerum neceſſitas, & plurimorum in Dania egeſtas. Rex ipſe tametſi ex utroque Regno ſuo & inſulis multis in annos pene ſingulos colligat ultra 12. florenorum milliones; horum tamen abundè magnam partem expendit in ſtipendia militum natione Germanorum adeò, ut ſi ſimul cæteris Regnorum ſuorum neceſſitatibus proſpiciat, ferè reliquum nihil habeat. Cæterùm inter Danorum vitia numerant non pauci luxuriam ob duo rerum capita majorem; quòd nimirum inter pacta ſponſorum prævia, & nuptias longum temporis intervallum crebrò intercedat, & nemini liceat ſponſam ducere, niſi loco vicinam aut parochiæ ejuſdem finibus incluſam; quare ajunt, Danis permultos naſci liberos ante nuptias.

Norvvegi aliique Danorum Regi ſubjecti, quemadmodum Septentrioni magìs accedunt, ita ampliùs à morum cultura recedunt, Danis nec linguâ nec literis, nec armis, nec mercimoniis pares. Plurimi Norvvegorum occupantur capiendis piſcibus præſertim aſellis marinis: alij cædendis lignis & ad Batavos per mare Germanicum transvehendis annos conſummunt & lucrum quærunt. Alij paſcendis pecoribus dant operam: alij demum in variis terræ fodinis deliteſcunt, ut vel ferrum, vel plumbum &c eruant.

Lappones Norvvegis longè deteriores, quemadmodum pellibus ferinis tegunt humana corpora, ita moribus parùm à feris differunt, genus hominum ſimplex, barbarum, ſylveſtre, ſuperſtitioſum, & legitimo Marti vix idoneum. Regi ſuo ex eo ſolùm capite ſunt utiles ferè Lappones, quòd ferarum pelles magno numero comparent,

rent, & piſces mittant etiam remotis Provinciis charos. *Plura de Danis ac Norvvegis vide paginis ſequentibus.*

§. VI.
DE ORTU ET PROGRESSU REGUM DANIÆ ET NORWEGIÆ.

SI veritas ſubeſſet fabulis, tunc Danorum Reges authore Dano jam an. M. 2980 ante Chriſtum natum annis 1073. exorſi fuiſſent Daniæ Regnum: cùm verò Hiſtoricorum plerique, qui hac de re ſcripſerunt, primos Danorum viginti ſeptem Reges non niſi fabuloſos eſſe dixerint, quin de multis aliis eorum ſucceſſoribus dubij hæreant, ideo hoc etiam loco certiora ſectaturi eos ſolùm conſiderabimus Reges, qui à Seculo IX. ad noſtram uſque ætatem in Dania & Norvvegia inſigne nomen poſteris reliquerunt. Horum itaque omnium primus eſto Ericus II. ex Unguini ſeculi II. Regis ſanguine, ſi fœminas computare lubeat, deſcendens. Propagavit genus Regium Ericus II. uſque ad Seculum XV. quo Chriſtophorus cognomento Bavarus abſque prole Regia eſt mortuus. Diſtinxit tamen Haquini ſtirpem Urſus Nobilis Danus, cujus pronepos Sueno III. ex Eſtritha Haquini, aut ſi mavis Erici II. Regio ſanguine natus Rex poſt ſe traxit Reges ſuos nepotes &c. Proſapia Regum Danorum tertia & ultima authore Theodorico Comite Oldenburgico dicta eſt Oldenburgica: hinc in tres paragraphos diſtinguemus Daniæ Reges per novem Secula ſat multos.

§. VII.
DE NOTIORIBUS DANIÆ REGIBUS EX UNGUINI SEU ERICI STEMMATE.

ERicus Haraldi Regis frater à D. Ansgario dogmate Orthodoxo imbutus, & Baptiſmatis undâ ab originali labe mundatus cum copiis profectus eſt in Germaniam & Franciam, unde à Normañis (ita Danos vocabant) Normanniæ nomen cœpit vires ſumere.

Ericus II. Erico ſanguinis propinquitate junctus Sivardi III. Regis filius dum ſæviît in Chriſtianos, à D. Ansgario mitiora conſilia edoctus erecta diis templa ſolo æquavit, extructis Chriſtianorum more Chriſtianis.

Throto Normanorum in Germaniam Rex & Dux prope Moguntiam an. 891. ab Arnulpho Cæſare victus 100000. ſuorum deſideraſſe fertur.

Gormo III. ductis in Franciam copiis provinciam Gallicam, Normanniam dein appellatam, penitus fecit Ditionis ſuæ. A Chriſtianis aris multùm abhorrens Henricum Aucupem expertus eſt hoſtem, à quo in anguſtias redactus, Orthodoxis Sacris optatam conceſſit libertatem. Eadem ætate Henricus Jmperator Ducatum Schleſvicenſem erexit, futurum adversùs Danos ſeu Normannos munimentum, quo impediti, minùs deinceps penetrarent in Germaniam.

Haraldus VIII. Gormonis III. filius vehementer indignatus, ſibi obicem eſſe poſitum Ducatum Schleſvicenſem, conducto valido exercitu præſidia Cæſarea partim trucidavit, partim fugavit: quare Otto M. Jmperator rem reſtituturus, & dato augmento confirmaturus devicto Haraldo ſuis damnatus eſt votis: Rex enim cum Sueno filio Romana Sacra pleniùs edoctus Pontifici & Jmperatori & ſe & Regnum ſubdidit victori. Emendati Regis teſtis fuit Diœceſis quadruplex, nimirum Arhuſia, Schleſvicenſis, Odenſeenſis & Ripenſis tum erectæ, & Bremenſi Archiepiſcopo ſubjectæ.

Suen-Otto genitoris ſui ter victor, ter victus & captus eſt ab hoſtibus, ter tanto auri argentive pondere libertatem redemit, quanti ponderis erat Rex captus & armis indutus. Primò aurum & argentū in ærario Regio ſervatum redimendo Regi ſufficiebat. Secundò Ditionum Regiarum multæ divendebantur. Tertiò gynæceum ornatum ſuum liberando Regi offerebat: unde nobiles fœminæ etiam hodie Regiis gaudere privilegiis perhibentur. Ab hoſtibus dein Suecis Regno ſuo pulſus, ſed tandem denuo reſtitutus, ærumnarum ſuarum cauſam ipſe interpretatus, dixit fuiſſe neglectam à Rege Religionem: ad aras igitur Romanas ut confugeret rurſum, perſuaſit Poppo vir à virtute laudatiſſimus, qui clariſſimis miraculis multa Danorum millia comovit ad amplexandam doctrinam Chriſtianam. Cæterùm memoratis quatuor Diœceſibus addidit quintam, nimirum Roſchildenſem.

Canutus cognomento Magnus devictis Anglis & Norvvegis triplicis regni Rex eſſe promeritus eſt. An. 1030. in tres filios tria diſtribuit

Regna ea ratione, ut Haraldum Angliæ, Canutum Daniæ & Suenonem Norvvegiæ venerarentur ſubditi. Expeditionum Canutus M. omnium ultimam direxit in Franciam, Normannis adversùs Robertum II. Regem auxilio futurus; verùm cùm ſubito morbo membra languerent, mox moriturus Rex mandavit cadaver Regium feretro imponi, & pugnaturo Danorum exercitui anteferri, ut vivi cum Rege mortuo dimicarent & vincerent.

§. VIII.

DE REGIBUS DANORUM EX STEMMATE URSI.

SUeno III. Urſi clariſſimi Dani pronepos Eſtruthæ ex Erici Danorum Regis ſtemmate natæ filius in principio Regni ſui adeò ſævîit in maledicos proceres, ut audito Regis mandato in æde ſacra capite plecterentur non pauci. Igitur à Wilhelmo Roſchildenſi Epiſcopo aditu Eccleſiæ prohibitus velut ex lupo in agnum converſus Theodoſij magni imitatus eſt exemplum. Agoni proximus rogavit Danos, ut ex filiis, quos habebat tredecim, tanto eligerent Reges tempore, quanto inter vivos ſupereſſent: unde quinque Suenonis filij temporis ſucceſſu genitoris Solium conſcenderunt, quorum hæc ſunt nomina: Haraldus ſimplex, Canutus Sanctus, Olaus famelicus, Ericus Bonus & Nicolaus. Diœceſibus jam erectis annumeravit Sueno III. Lundenſem & Balbgenſem in Scandia, & Wiborgenſem in Juttlandia.

S. Canutus Epiſcopis & Parochis ex fructibus decimas more aliarum Provinciarum concedi mandavit; unde in Regem conceptæ iræ & odia & violenta mors.

Ericus Bonus à Romano Pontifice impetravit Lundenſium civitati & Regno Daniæ Archiepiſcopum; unde ab anno circiter 1100. Epiſcopi Daniæ à Bremenſis Archiepiſcopi poteſtate fuerunt exempti.

Waldemarus I. cum Henrico Leone Saxonum Duce conjunctis armis Vandalos ſuperavit, ubi Julinum ſolo æquans Gedanum extruxit.

Canutus VI. victos Livoniæ inquilinos ritè credere docuit.

Waldemarus II. Canuti VI. frater Ditionis ſuæ fecit Holſatiam, Dithmarſiam, Stormarniam, Vagriam, Ducatum Megalopolitanum, Pomeraniam, Boruſſiam, Curlandiam & Livoniam, quas tamen ferè omnes amittendi occaſionem ipſi præbuit adulterium, & ob hoc captivitas triennio continua. Morti proximus leges Cymbricas in ſynopſin redigi imperavit. Author is etiam fuit Equeſtris Ordinis de cœleſti vexillo dicti, inſigni commotus miraculo, dum contra Livoniam incredulam pugnavit.

Ericus VI. à fratre Abele clam eſt interfectus, projecto in mare Regio cadavere an. 1250. A D. Wenceslao Bohemorum Rege fata hæc eſſe prædicta dormienti feruntur Erico.

Abel cum omnibus tanti ſceleris conſciis viris triſtiſſima morte ſublatus eſt teſte Danorum Hiſtoria.

Ericus VII. luxurioſus ob fornicationes & adulteria à novem perſonatis viris 56. vulneribus eſt confoſſus.

Olaus VI. mortuo Haquino Rex Norvvegiam junxit Daniæ hæreditatis jure, utpote Haquini Norvvegiæ Regis ultimi filius.

Margaretha Haquini Norvvegiæ Regis conjux, Waldemari III. Danorum Regis filia, Olai VI. Mater, ob raras animi dotes Semiramis Danica paſſim dicta, poſt ſuperatum Albertum Suecorum Regem tria conjunxit Regna, triplici coronæ non impar Regina.

Margaretham in Throno ſunt ſecuti Ericus Pomeranus & Chriſtophorus III. *De quibus vide Hiſtoriam Suecorum in Foreſti, Funccio* &c.

§. IX.

DE REGIBUS DANIÆ ET NORWEGIÆ EX STEMMATE OLDENBURGICO.

CHriſtianus I. Theodorici Comitis Oldenburgici filius Adolphi Schlesviciæ & Holſatiæ Ducis ex ſorore nepos, poſt extinctam ſtirpem Suenonis & Erici Regum, Rex à Danis & Norvvegis ac tandem etiam à Suecis electus mortuo Adolpho Schlesviciam & Holſatiam denuo conjunxit Daniæ. Eidem Holſatiæ poſtea annuente Friderico III. Jmperatore Stormaria & Dithmarſia unita utraque Ducatum Jmperij effecit an. 1474. poſtquam abhinc annis 25. in-

inſulam Gothlandicam Suecis eripuit, victus & ipſe, atque Solio depulſus à ſeditioſis Suecis, authore & duce maximo Carolo Canuthſonio. Academia Hafnienſis, & fortè etiam Ordo Equitum ab elephanto nomen habens Chriſtianum I. ſuum dicit conditorem.

Joannes Chriſtiani ſeu Chriſtierni I. filius à Danis & Norvvegis nullo negotio Rex probatus, poſt varia tandem pacta & promiſſa Regia admiſſus eſt etiam à Suecis. Quamdiu Dorothea mater Regia conſiliis ſuis Regem filium rexit, in pace Regna conſervavit: at verò ſepulta genitrice fortunam Joannis ſepultam fuiſſe dicebant: à Republica enim Dithmarſienſi anno 1501. ſuo dedecore maximo ſuperatus, & à Suecorum proceribus contemptus, quàm difficile ſit tribus præeſſe Regnis & didicit & docuit Joannes Regum in Dania inter Catholicos ferè ultimus.

Chriſtianus II. Joannis filius Caroli V. Jmperatoris ſororius, qualis ſit futurus, ejuſdem nativitas palpabili omine oſtendit; natus enim Princeps Regius dexteram ſanguine plenam in lucem protulit. Multorum dein malorum prodromi comitabantur nuptias Regias. Tres Coronas annis duntaxat decem unitas ſervavit, quarum diviſioni anſam dederunt ipſius Regis crudelitas, luxuria, & in Religione minùs perſpecta conſtantia. Quare ſubditis propemodum univerſis exoſiſſimus, amiſſo Sceptro triplici à Friderico Holſatiæ Duce, & hoc ipſo demum Danorum Norvvegorúmque Rege fugatus, & temporis lapſu in captivitatem abſtractus annis 27. partim Sunderburgi, partim Caleburgi in tenebris delituit, vix non cruentîs lacrymîs deteſtatus ſua ſcelera.

Fridericus Chriſtiani II. patruus primò Schleſviciæ & Holſatiæ Dux, ac demum Rex relicto Sueciæ Regno Danos & Norvvegos conjunctos ſervavit, excluſis penitus Chriſtiani captivi Regis hæredibus Joanne & ſorore gemina. Duobus vinculis Regnum utrumque arctiùs conſtringere & alligare ſibi laboravit Fridericus; primum erat fœdus cum Guſtavo Suecorum Rege initum; alterum verò Lutheri doctrina invitis Epiſcopis pleriſque per Daniam & Norvvegiam propagari cœpta an. 1524. Friderici hujus filij Chriſtianus & Adolphus continuârunt Lineam Danorum Regiam & alteram Ducum Schleſviciæ & Holſatiæ,

Chriſtianus III. Friderici filius promulgato per univerſum Daniæ & Norvvegiæ Regnum Lutheri dogmate, ut proventibus Regiis augmentum accederet maximum, Epiſcopos & ſacerdotes Romanos vel regnis diſcedere, vel matrimonij vinculo ligari præcepit contentus paucis verborum miniſtris, qui Veteris Eccleſiæ rigorem è cathedris damnarent, nullis Pontificiis legibus aures præbendas dicerent, genio unà cùm Rege indulgerent, & tamen in Chriſti meritis maximoperè confiderent. His igitur argumentis ſtabilita inter Danos Religio nova & Rex novus, cùm judicem ſupremum in terris nunqnam deinceps admiſerint, exſpectant diem extremi judicij ſpe ſua futuri ſani, ſalvi & ſancti.

Fridericus II. veſtigiis parentis ſui inſiſtens aditum negavit Legatis Pontificiis. Symbolum ſibi formâſſe fertur hac verborum ſynopſi comprehenſum: *In Deo ſolo ſpes mea; fides eſt caro ferina.* Æſtimatio fidei profectò exigua, ſi carne ferina pluris non fiat fides Regi. Religione nimirum & quavis fide pretioſior erat Friderico Corona Jmperij, quam ſpe ſua jam devoraverat victoriîs elatus, & multiplici fretus fœdere, quod cum Jmperij viris Principibus clam adversùs quoſvis hoſtes, præſertim verò Cæſarem haud obſcurè initum cuſtodivit.

Chriſtianus IV. Friderici natus plurium conditor urbium & ædificiorum ab arte commendatiſſimorum, Mæcenas etiam literatorum eſſe ſtuduit. Reditus Regios ut augeret, mercatores ad Indos Orientales cum navigiis miſit Regum Danorum omnium primus ſucceſſu rerum ſecundiſſimo. Eum in finem Hamburgum Jmperij urbem tributis oneravit, & naulum à navibus in anguſtiis maris Danici pendi ſolitum cum graviſſimo augmento poſtulavit. Multo igitur fretus auro & milite bis contra Suecorum Regem, ſemel verò contra Cæſarem Ferdinandum II. inſtruxit aciem majori longè Danorum damno, quàm lucro.

Fridericus III. Chriſtiani IV. filius contra Suecos parùm felici Marte certavit. Coronam Regiam hactenus electioni quadantenus obnoxiam reddidit Succeſſoribus plenè hæreditariam an. *1660.* Comitatum Oldenburgicnm & Delmenhorſtium junxit Daniæ Regno.

Chri-

Chriſtianus V. Friderici III. filius inter perpetua ferè regnavit bella, quorum omnium difficillimum fuit bellum adversùs Suecos ſuſceptum, quod tamen terminavit an. 1679. pax Noviomagenſis. Imitator Majorum ſuorum dum eſſe laboravit in nonnullis virtutibus, à veſtigiis genitoris ſui & avi in vitiis non receſſit Chriſtianus V. qui non minùs, quàm illi, præter hæredes legitimos reliquit Daniæ ſpurios.

Fridericus IV. bellum à patre adversùs Holſatiæ Ducem pridem ſuſceptum proſecutus cogentibus Suecorum & Anglorum Regibus ſimúlque Batavis, nec non Hannoveranis & Luneburgicis Ducibus anno 1700. conceſſit Friderico Gottorpiano & pacem & partem Schleſviciæ abundè magnam, fortè ut temporis ſucceſſu majorem victor eriperet; quippe Danorum Rex annis ſequentibus bellum contra Holſatiæ & Schleſvicenſem Ducem majori, quàm ullo unquam tempore renovavit cauſæ Martiæ implicitis per Boreales Provincias Regibus & Ducibus ferè univerſis. *Plura lege in Anton. Foreſti. P. Scherer. Albert Kranz. Zeiler* &c.

§. X.

DE REGIBUS NORWEGIÆ.

ANtiquiſſimis temporibus Regnum Norvvegiæ à diverſis Ducibus vel Regulis ſimul, licèt ipſum in partes diviſum regebatur; temporis verò ſucceſſu in unum coaluit Regnum, & tandem Seculo ab hominum redemptione XIV. Daniæ Regno unitum nunquam ab eodem eſt diviſum penitus. Omnium Regum in Norvvegia primum nomine Norum Dani Danorum Regis fratrem poſt duo millia & plura annorum Secula regnâſſe, dum licuit, libuit nonnullis ſcribere. Verùm fabulis, aut rebus incertiſſimis locum & hic non concedimus: igitur Norvvegiæ Reges paucarum linearum compendio comprehendimus.

A Seculo Chriſti IX. uſque ad annum 1387. numerati ſunt in Norvvegia Reges tres ſupra triginta, quorum primus Haraldus I. ultimus verò Olaus V. Sceptro potitus eſt. Horum prioris ætate ipſo Rege maximo authore Norvvegiæ Sacra Chriſtiana illata ſunt; poſterioris verò Margaretha Olai mater Norvvegiæ junxit Daniam.

In

In Regum ſerie interea eminuerunt ſupra alios Haraldus I. Olaus I. Olaus II. cognomento Sanctus, Magnus, Bonus, aliíque, quorum nomina & geſta *vide in Hiſtoria Daniæ, quam copioſiſſimè ſcripſerunt præter ſuperiùs citatos authores non pauci.*

TABULA CHOROGRAPHICA

MAGNI DUCATUS MOSCOVIÆ, TARTARIÆ MOSCOVITICÆ ET ALIARUM PROVINCIARUM.

§. I.

DUcatus Moſcoviæ Magnus, imo maximus à mari Glaciali uſque ad mare Caſpium deſcendens numerat hac ſua latitudine milliaria Germanica circiter 380. A Livonia dein pertingens uſque ad ultimos terminos ſuos inter Septentrionem & Orientem fixos continet milliaria longè plura, niſi Tartariam demptam conſideremus; tunc enim 300. milliaria Moſcoviæ ſufficient. Verſus Septentrionem conſtringitur mari Glaciali ſeu Sarmatico, dicto etiam Moſcovitico; verſus Orientem jungitur Tartariæ Aſiaticæ; à Meridie Tartariæ Europææ, & mari Caſpio; ab Occidente demum Poloniæ, Livoniæ & Sueciæ.

Fluvij præ reliquis in Moſcoviæ Ducatu ſunt Wolga, Obius, Tanais, Duina, Occa, Camma.

Juxta diverſos Geographos Moſcoviæ diviſio eſt diverſa. Fors illa præ aliis placet, qua dividitur totum Moſcoviæ Ducis Dominium in Moſcoviam nobis proximiorem ſeu Occidentalem, & in Orientalem; item in Tartariam Lappiam & Moſcoviticam, aliáſque Provincias minores, de quarum nunc ſingulis dicendum eſt paucis.

§. II.

§. II.
DE MOSCOVIA OCCIDENTALI.

Occidentalis Moſcovia dividitur in plures quàm 20. Provincias quarum

I. Sit Pleſcovienſis Ducatus, in quo ſunt urbes Pleſcovia. Petzuria.
II. Novogardia, in qua huius nominis urbs Novogardia.
III. Tueria, in qua fons Wolgæ fluvij.
IV. Reſcovia.
V. Bielkia.
VI. Smolenscenſis Ducat. in quo Smolenskum. Dnieperskovia. Dorgabuſa.
VII. Severienſis Ducat. in quo Novogardia Severiæ.
VIII. Czernichovienſis Ducat. in quo Czernichovia.
IX. Worotinus Ducat. in quo Kurſcha. Putivula. Rileſcha.
X. Rezanenſis Ducat. in quo Rhezania, aliis Rhezanum. Coluga. Doncogardia.
XI. Pola.
XII. Mordua.
XIII. Novogardienſis inferior Ducat. in quo Novogardia. Balagna. Baſiligardia.
XIV. Wolodimeriæ Ducat. aliis Vlodimiria.
XV. Susdalia Ducat. in quo Susdalia. Caſtromogardia.
XVI. Moſcoviæ Ducat. in quo Moſcua. Colomna. Cirpocum.
XVII. Roſthovia, in qua hujus nominis urbs Roſthovia. Pereslavia. Uglicia.
XVIII. Jeroslavia, in qua hujus nominis urbs Jeroslavia. Riebza. Roma nova.
XIX. Biela Ozora, in qua hujs nominis u. Biela.
XX. Wologda Ducat, in quo hujus nominis u.
XXI. Kargapolia, in qua hujus nom. u.
XXII. Duina, in qua Archangelopolis.

Atque ex his poſteriores Provinciæ ſunt in Alba Ruſſia ſitæ, quibus accedent aliæ.

§. III.
DE MOSCOVIA ORIENTALI.

MOſcovia Orientalis commodè dividitur in ſeptem Provincias, quarum

I. Jugria, aliis Jughora.
II. Petzora.
III. Condinska.
IV. Permia, in qua hujus nom. u. Kaigoroda.
V. Uſtiuga, in qua hujus nom. u.
VI. Viatha.
VII. Czeremiſſia.

Atque harum Provinciarum pleræque ſunt in Alba Ruſſia.

§. IV.
DE TARTARIA MOSCOVITICA.

TArtaria hæc dividitur in quatuor Regna & paucas Provincias. Regnorum omnium eſt

I. Aſtracanum, in quo hujus nom. u. cui accedunt oppida permulta.
II. Bulgaria, in quo hujus nom. u. Bira. Kungura.
III. Caſanum, in quo hujus nom. u.
IV. Siberia Reg. in quo Tobolium.
V. Samojeda Provincia.

His annumerant nonnulli Tartaros Moſcoviticos, Circaſſos, Kabardinskos, Morduates, Coſakos, Paſcartos, Rosdoridonkos &c. quorum plerique in oppida diſtincti magno numero habitant ad Tanaim fluv.

§. V.
DE LAPPONIA MOSCOVITICA.

LApponia Moſcovitica in finibus Sueciæ ſita dividitur in tres partes, nimirum in

I. Leporiam Maritimam, in qua pauca ſunt oppidula.
II. Leporiam Terſam, in qua etiam oppida pauca.
III. Leporiam Grandvicenſem, in qua demum ſunt oppida & vici.

Cæ-

Cærerùm Geographorum nonnulli dividunt hac ratione Magni Moſcorum Ducis Provincias univerſas, ut loco ponatur

I. Lapponia Moſcovitica.
II. Samojedia.
III. Siberia.
IV. Ruſſia Alba.
V. Moſcovia propriè dicta.
VI. Tartaria Moſcovitica. His addi poſſunt Livonia, Finnonia pars Ruſſiæ Polonicæ, quæ Norvvegorum eſt.

§. V.

DE MOSCOVIÆ MOSCORUMQUE DOTIBUS &c.

Moſcovia tametſi ſylvis denſiſſimis & paludibus ſpatioſiſſimis ſit ferè ubivis locorum diſtincta, atque adeò non ſolùm urbes & oppida, ſed etiam villæ ſint magno intervallo diſſitæ; non deeſt tamen ſua etiam Moſcoviæ fertilitas & rerum ubertas: creſcunt enim & Moſcis ſuis in campis, hortis, ſylvis, paſcuis, paludibus, fluviis & maribus fructus & proventus multi: campi enim proferunt frumentum Europæum & Aſiaticum: horti diſtinguuntur frugiferis arboribus; in ſylvis capiuntur feræ plurimæ à pellibus & corio magni æſtimandæ. Domi & in ſylvis mel dant apes, cæduntur ligna &c. In paſcuis pingueſcunt greges præſertim boum & ovium cornua longa ferentium. In fluviis, paludibus & mari occurrunt piſcatoribus piſces magno numero. His omnibus accedunt conficiendo tabaco apta folia & herbæ, ſal, ferrum & multa alia Moſcis quàm Germanis notiora. Non exiguum ferunt quoque lucrum mercimonia terrâ marique perpetua, ipſo mercatorum maximo Moſcorum ſupremo Duce, cujus ſeveriſſimo mandato vetatur aurum & argentum Moſcoviâ evehi aut exportari. Reditus procul dubio augent tributa frequentia ſupremo Moſcorum Capiti rigore ſummo exigi ſolita. Hinc maximopere diſplicet eorum authorum opinio, qui re minùs perſpecta auſi ſunt ſcribere, Magni Moſcorum Ducis proventus annuos æquales duntaxat eſſe decem florenorum, aut demum Philippeorum millionibus. Profectò à rationariorum, uti dicimus, vel

quæſtorum regulis non aberrant, qui decem aureorum, vel etiam longè plures milliones in annos numerari ſingulos Moſcorum Duci ex ampliſſimis ſuis Provinciis hodie magis excultis & habitatis promittunt: tantam enim ſupremo Moſcoviæ Præſidi præſertim hac noſtra ætate eſſe potentiam novimus, ut pacis centum, bellorum verò tempore ultra ducenta armatorum millia, non annumeratis munimentorum & urbium præſidiis perpetuò poſſit conſervare abſque ſingulari ſubditorum diſpendio. Imò leguntur paſſim authores & audiuntur rumores, qui trecenta Moſcorum militum millia Petro Moſcorum Magno Duci ad nutum adeſſe memorant, quibus alendis & rebus bello neceſſariis conſervandis ſanè ſufficiunt nequaquam pauci aureorum, non dicam florenorum milliones. Argumento ſit nobis, Moſcorum ſupremum Principem ex eo etiam capite divitiis eſſe inſtructiſſimum, quòd in univerſa Europa Monarcha vix ullus in ſubditorum bona & corpora vel utatur vel abutatur jure tanto ac poteſtate, quanta uti ſcimus Principem Moſcorum, quem populares ſubditi in toto terrarum orbe ſibi firmiter perſuadent eſſe potentiſſimum, doctiſſimum & ſapientiſſimum; ipſi verò neque doctrinâ, nec prudentiâ, minùs ſapientiâ conſpicui, eò quòd lege patria prohibeantur ad literarum culturam applicare ſenſus & animum, abundè contenti, ſi elementa patria didicerint legere & manu exarare in modum rudiſſimum.

Religio Moſcorum, ſi nonnullos exceperis ritus & ceremonias, ferè eſt eadem cum religione Græcorum: ſupremum namque caput Eccleſiæ Patriarcha cum Metropolitanis, quatuor Archiepiſcopis & duobus Epiſcopis Eccleſiaſtica jura & ſacra dictat: cui eximius reſpondet honor & amor etiam à ſupremo non negatus Duce, qui die à palmis nomen habente Patriarcham aſinâ vectum ad templum uſque præcedit ex ſede ſua principe inſtar famuli frænum dexterâ tenentis. Exercitia Moſcorum in ſpeciem ſacerrima ſunt multa alia Eg. ad aram Orthodoxos in faciendo ſacro imitari; aures præbere confitentibus labes ſuas; S. Crucis vexillum & imagines Crucifixi Dei Divorúmque ex templis portare & reportare, comitantibus ex omni hominum ſtatu plurimis; vernum jejunium per quadraginta dies ob-

obſervare; S Baſilij Regulam in monaſteriis multis accuratè cuſtodire &c. Domus adhæc unaquaque è Divorum Catalogo ſuum peculiari cultu proſequitur Patronum, quem in ingreſſu domus & vicini & advenæ profunda capitis inclinatione colunt, & tum ad propoſitum ſibi negotium ſe convertunt. Inter totius Moſcoviæ Patronos principem obtinuit locum D. Nicolaus, cujus diem inter dies maximè feſtivos numerant.

Cæterùm Moſcos legimus ab humore melancholico vitium trahentes eſſe timidos, lucri cupidos, tardos, fraudulentos, bibulos, pigros & caſtigatoribus opus habere ferè perpetuis, quales ſuis uxoribus ſemet exhibent ſæpe mariti etiam cùm amant & amantur: amorem verò conjugalem in Moſcorum animis extinguit facilè modica etiam cum ſexu altero familiaritas, quæ noñunquam perpetuò ſufficit divortio. Aſperitatem in moribus olim longè majorem deponere Moſcos docuerunt plurimùm Germani, Batavi, Galli, Angli &c, quibuscum nunc commerciis, nunc fœderum ſocietate conjuncti, dum veſtitum patrium exuerunt, externorum mores cum habitu novo ſenſim induerunt veſtibus Gallicis hodie ornati plurimi. Potus idem fermè eſt Moſcis, qui Polonis; nobilibus nimirum porrigitur ſæpe vinum, plebeis cereviſia: non raro placet omnibus vinum, quod vocamus aduſtum aut crematum; non diſplicet etiam potus Latinis hydromeli dictus, cui jungunt ut plurimùm placentas aut panem aromaticum. Barbam nutrire, radere verò conſueverunt caput, quod potiùs gravant quàm ornant conſuto ex ferarum hirſutis pellibus pileo, ſervato inter diverſos hominum ordines decoris diſcrimine. Ad talos uſque deſcendit ab humeris veſtitus longior, cujus pars anterior ad latus utrumque defluit, ut oblongæ caligæ promineant, & craſſior venter Moſcorum decus oculis pateat. Linguam, dum ſacris operantur, imitantur Sclavonicam; aliàs utuntur patriâ, quam ex variarum nationum dialectis compoſitam eſſe referunt. Annum auſpicantur à menſe Septembri, horarum primam ab ortu ſolis, unde horologiorum ſolis umbram excipientium creberrimus eſt uſus. Severa eſt Moſcis juſtitia, auro tamen venalis ſæpe & corrupta. Fur rotâ frangitur; ſacrilegus palo alligatus configitur.; proditori caput am-

putatur; debitor qui non eſt ſolvendo debito, vapulat & ſervituti addicitur. Pater filium quater, fors etiam hodie poteſt vendere, neméque eſt hæres patris, niſi Dux Magnus indulgeat. *Plura collige ex ſequentibus.*

§. VI.

DE ORTU ET PROGRESSU DUCUM MOSCOVIÆ.

MOſcorum nomen an à vetuſtiſſimis Hebræis datum, an à ſagittis dirigendis deſumptum ſit, incertum habet ipſa Moſcovia. Alterum, nempe Ruſſorum nomen ſuis poſteris reliquiſſe creditur Lechi & Czechi fratrum frater tertius Ruſſus, qui ampliſſimum Ducatum ſuum in Ruſſiam Albam, Rubram & Nigram fertur diviſiſſe. Quot verò aut quales Ruſſi hujus ſucceſſores venerata ſit Moſcovia, nec ipſis indigenis notum eſt abundè Hiſtoriæ etiam patriæ parùm ſtudioſis populis. Seculo poſt Chriſti incunabula IX. Jngorem Moſcorum Ducem ab hoſtibus ſuis captum armis ſtrenuè vindicavit conjux Olga, quam Moſci Semiramidis Moſcoviticæ venerantur nomine. Olga & hujus nepos Wolodimer damnato idolorum cultu ſacra Græcis communia ſuſcepiſſe perhibentur. Reliquit Wolodimer filios duodecim; quorum unus & propemodum omnium fratrum victor Jaroslaus inter quinque natos dum Ducatum diſtribuit, bellorum ſemen ſeminavit.

Seculo XII. Polonorum Regibus inclinavit caput univerſa Moſcovia, ſuis tamen etiam tum ſubdita Ducibus, donec denique Seculo XIII. Tartarorum exercitus torrentis inſtar Moſcoviæ Provincias inundavit, & uſque ad Seculum XV. occupatam conſervavit ea methodo, ut Moſcorum Duces fidem promittere & gravia tributa ſolvere fuerint coacti. Gregorius Dux omnium primus cum fratre Michaele ſuccubuit Tartaris. An. 1300. Dux Danilovv Wolodimiriâ principem ſedem Moſcuam tranſtulit, à quo tempore Ruſſia frequentiùs dicta eſt Moſcovia. Danilovi ſucceſſores fuerunt Gregorius Kalita, Demetrius, Joannes Kalita, Joannis Kalitæ filius, Demetrius II. Baſilius, Gregorius Baſilij frater, Baſilius hoc ordine II. cujus filius Joannes Baſilides tandem anno 1477. Tartarorum jugo ſe liberavit. Interea temporis partim Lithuaniæ Duces, partim Poloniæ

ſoniæ Reges à Ruſſia Alba & Rubra avulſas Provincias ſuo Regno & Ducatui junxerunt, dolentibus hodie jacturam Moſcis.

§. VII.
DE MOSCOVIÆ DUCIBUS POST DEVICTOS TARTAROS.

JOannes Dux cognomento Baſilidis, numeroſiſſimo ſtipatus exercitu occurrere Tartaris non veritus, non minori felicitate hoſtes ſuperavit, quàm audaciâ oppugnavit. Victoriæ prœmium fuit urbs Novogardia inter Moſcoviæ urbes tanti æſtimata, ut invincibilem crederent. Spoliorum ea in urbe tantam fuiſſe copiam ſcripſerunt, ut ſolius auri argentíque pondus onerandis trecentis curribus ſuffecerit. Joanne defuncto filij & nepotes per annos centum veſtigiis ſui genitoris inſtiterunt totius Moſcoviæ Duces potentiſſimi, à tyrannide tamen neutiquam alieni, inter quos Baſilius Joannis filius nomen *Czar* ſibi primò attribuiſſe creditur, ut par haberetur Regi aut Cæſari. Ajunt Baſilio argumenti primi loco fuiſſe verba, quibus pronuntiavit, Græcorum Jmperium à Mahometanis extinctum, à Moſcorum Ducibus in Moſcovia eſſe erectum & ſervatum; hujus igitur ſervatores appellandos eſſe *Cæſares*.

Joannes II. Baſilovviz Baſilij filius devictis Tartaris Regna Coſanum & Aſtracanum Moſcoviæ Magno Ducatui adjecit an. 1551. Annis ſequentibus contra Livones, Suecos & maximè Polonos pugnavit, à quorum Rege Sigiſmundo Auguſto cùm Sponſam Catharinam ſororem Regiam petiîſſet, Sponſæ autem loco albicantem equam impetrâſſet, ob ignominioſam repulſam vehementer irâ exæſtuans an. 1563. 300000 militum duxit exercitum in Lithuaniam, ubi expugnato Polonico munimento octoginta hominum millia in duriſſimam captivitatem abſtraxit, & tum hìc, tum aliàs ferè ſemper inaudita tyrannidis exempla reliquit. Tandem à Stephano Bathorio Polonorum, Joanne Suecorum Regibus & Tartaris in anguſtias extremas redactus, pacem à victoribus petiît & partim impetravit: citiùs verò ut impetraret, Romano etiam Pontifici in ſpeciem humaniſſimas miſit literas, quibus ſe Sacra Romana amplexurum vel ſeriò promiſit,

ſit, vel veriùs ſimulavit. An. 1584. fato tyrannis familiari extinctum in Solio, & poſt annos duodecim in mortis ſemita patrem ſecutus eſt Theodorus abſque liberis mortuus; unde ſupremum Moſcoviæ Jmperium intra 15. annos octo Duces invaſerunt magìs, quàm more legitimo ſibi vendicârunt. Quare inter tumultus publicos quatuor Pſeudo-Demetrij hoc nomine ſe mortui Ducis fratrem fingentes è medio ſunt ſublati. Interea Polonorum & Suecorum Reges in turbido piſcati Moſcorum damno maximo auxerunt ſuas divitias & Provincias. Tandem ab anno 1613. Michael Fedrovvitz à Moſcoviæ ſtatibus renitente animo electus, & denique ut imperaret, multis argumentis perſuaſus, Dux ſupremus continuò cum Polonorum & Suecorum Regibus pacem iniît, ampliſſimáſque Moſcoviæ Ditiones optato ſtatui reſtituit an. 1645. mortuus. Fortunam dein Moſcorum auxit Alexius Michaelis ſucceſſor & filius, qui ſublato quamprimum Regnorum invaſore Pſeudo-Demetrio V. Polonorum Regi magnam Lithuaniæ partem repetitis victoriis eripuit, donec denique mutatâ belli aleâ Poloni victores pacem victis dederunt & acceperunt. Idem elatus victoriis, cùm à Clemente X. glorioſum Cæſaris nomen concedi ſibi aut petiîſſet aut poſtulâſſet, repulſam pro merito ſuo retulit.

Theodorus Alexij filius contra Turcas in aciem egreſſus in exercitu ſuo numerâſſe fertur 500000. Tanta igitur hoſtium multitudine primùm territi, & mox victi Mahometani in annos 20. pacti ſunt inducias eò potiſſimùm fine, ut contra Hungaros liceret pugnare ſecuriùs.

Joannes & Petrus Alexivvitz Theodori fratres, uterque rarâ inter Moſcos concordiâ, in annos ſex communi poteſtate Moſcoviæ imperârunt: tum verò Joannes nec corporis, nec animi dotibus par fratri privatam vitam vivere juſſus & compulſus à proceribus, ſoli Petro ſupremam in ſubditos conceſſit poteſtatem, qua continuò eſt uſus contra Mahometanos & Tartaros. An. 1696. fœdus cum Leopoldo Jmperatore initum Moſcis placuit: annis ſequentibus per Boruſſiam & Provincias Occidenti proximiores alias profectus in Angliam rediît inde per Germaniam in Auſtriam ac demum in patriam, ubi

ubi ſumptâ de ſeditioſis vindictâ ſeveriſſimâ cum Mahometanis novas iniît inducias. E contrario Suecorum Regi nuntiato bello annis compluribus ea pugnavit fortunâ, ut non paucis iiſque inſignibus victoriis potitus magnam Regno Suecico partem ademptam hodie teneat. Memorabilis ante alias pugnas eſt illa, qua an. 1709. Carolum XII. Suecorum Regem Pultavam obſidione prementem tantâ ſuperavit victoriâ, ut 9000. cæſis 19000. captiva duxerit, ipſo Rege ad Mahometanos fugato. Cæterùm ea eſt gloria Petri Moſcorum Ducis ultimi, ut univerſos anteceſſores ſuos tum belli fortunâ, tum totius Moſcoviæ felicitate magna ſuperâſſe dici poſſit non immeritò. Adeò Moſcoviæ profuit nationes exteras propiùs intueri, mirari, imitari, cum iisdem fœdera nectere, auxilia poſcere. Germanorum certè Ducum & gregariorum auxilio didicerunt Moſci feliciùs pugnare, vincere, triumphare. *Lege Ant. Poſſevinum, Laſitium, Sigiſmundum Herberſtein, Paulum Jovium & multos alios.*

DE IMPERIO TURCARUM.

ANtequam de Mahometis origine & progreſſu fiat mentio, more hactenus obſervato Chorographiam aut Topographiam multarum Provinciarum rebus Turcarum variis præmittamus. Cùm igitur conſtet Geographiæ & Status publici peritis, Mahometanorum, quos Turcas appellamus, poteſtati Provincias non paucas in tribus orbis partibus maximis eſſe ſubjectas, hanc ob cauſam primò Provincias Turcarum in Europa, dein verò in Aſia, & demum in Africa ſitas obiter conſiderabimus: tum verò Jmperatorum in Oriente Seriem à Seculo Chriſti VIII. ad Seculum XV. uſque brevi ſynopſi comprehendemus, cùm Jmperatorum Seculo octavô priorum geſta brevi compendio conſcripta, in Occidente Jmperatorum Series Romanorum jam contineat, & legenda oculis offerat.

TABULA TOPOGRAPHICA DE PROVINCIJS JMPERII TVRCICI IN EVROPA.

§. I.
DE WALLACHIA ET MOLDAVIA.

WAllachia inter Tranſylvaniam, Moldaviam & Bulgariam media, atque hodie partim Hungariæ Regi, partim Principi ſuo Turcarum tributario ſubjecta, longitudine ſua facilè 100. complectitur milliaria Germanica; latitudine verò multis in locis 20. aliàs verò 40. perpaucas numerat urbes, Provincia montibus multis & ſylvis obnoxia. Præcipuæ urbes ſunt Targoviſum, Targaviſco. Buchereſtum, Buchereſt.

Moldavia inter Poloniam, Bulgariam, Wallachiam & Tranſylvaniam media, complectitur longitudine ſua ultra 60. milliaria, latitudine verò circiter 50. ſubjacet hæc etiam Provincia ſuo Principi tributa annua Turcis ſolventi.

Urbes in Moldavia ſunt Bachonum. Jaſſium. Soczova.

§. II.
DE BULGARIA ET ROMANIA ATQUE TARTARIA EUROPÆA.

BUlgaria ad Iſtri ripam dexteram Orientem & Meridiem verſus ſita, longitudine ſua æquat facilè milliaria Germanica 130. latitudine verò nunc 30. nunc 20. pauciora. Wallachiam & Woldaviam ſibi adſitam habet à ſiniſtra; Macedoniam verò & Romaniam à dextera. Orientem verſus adjacet Ponto Euxino, & numeratur inter Provincias Turcarum Jmperatori ſubditas.

Urbes in Bulgaria ſunt Sophia, Triadizza. Siliſtria, Doroſthero. Nicopolis, Nigeboli. Ternova. Vidina. Varna. Axiopolis. Provada.

Ro-

Romania inter Bulgariam, Pontum Euxinum, Natoliam & mare Ægæum, nec non Macedoniam media, longitudine ſua æquat milliaria Germanica 80. latitudine verò circiter 30. eſt & ipſa Turcarum jugo ſubjecta & numerat urbes ſequentes: Conſtantinopolim. Adrianopolim. Philippopolim. Gallipolim. Aſperoſam, Abdera. Selijuream, Selymbria. Dardanellos, Seſto & Abydo.

Bulgariæ & Romaniæ jungamus Tartariam Europæam, quæ eſt tractus admodum longus infra Poloniam inter Moſcoviam, Mare Nigrum & fluvium Tanaim medius.

Dividuntur Tartari in XIII. partes, quarum pars

I. Eſt Tartarorum in Taurica Cherſoneſo, cui imperat Rex, Turcarum Jmperatori tributa ſolvens: ipſi verò Tartarorum Regi Cham dicto ſubiiciuntur Bacaſara, Bacisaray. Crimæa, Krim. Præcopia, Precop. Capha, aliis Cavum, Caffa. Tanais, Azovv.

II. Pars eſt Tartarorum Præcopenſium. III. Crimenſium. IV. Circaſſorum. V. Calmuchorum. VI. Naganenſium. VII Oczacovienſium. VIII. Beſſaravienſium. IX. Bialogrodenſium. X. Budiazenſium. XI. Dobrucinenſium. XII. Ceremiſſorum. XIII. Lipkovienſium,

Quibus accedunt Coſaci, qui more aliorum hactenus recenſitorum nunc adhærent Turcis, nunc Moſcis, nunc etiam Polonis, adeò ut ipſi crebrò inter ſeſe certent, rapto vivere, obedientiam promittere, & mox negare jam aſſuetus populus.

TABULA CHOROGRAPHICA UNIVERSÆ GRÆCIÆ.

§. I.

GRæcia inter Dalmatiam, Serviam, Bulgariam, Romaniam, Archipelagum & mare Mediterraneum media, dividitur in contine-

tinentem & inſulanam. Continens ſua longitudine æquat facilè 120. latitudine verò nunc 80. nunc 70. nunc pauciora longè milliaria Germanica. Eſt ipſa hodie ſecundùm maximam partem Turcarum tyranno ſujecta. Dividitur continens in ſex Provincias, ſcilicet in I. Macedoniam. II. Albaniam. III. Epirum. IV. Theſſaliam. V. Livadiam & VI. Moream.

In Macedonia ſunt urbes Theſſalonica, Salonichi. Janitza olim Pella, aliis Zuchria. Amphipolis. Mons Sanctus, Athos. Cavila, aliis Bucephala, Cavalla. Sintica, aliis Heraclea, Bagna Bebuſto.

In Albania ſunt urbes, Dyrrachium, Durazzo. Scodra, Scutari. Albanopolis. Liſſus, Aleſſio. Antibarium, Antivari. Croia. Dolcinium, Dolcigno. Drivaſtum &c, Drivaſto.

In Epiro ſunt urbes, Chimera. Jannina, aliis Joannina olim Caſſiope, Janna. Antigonia, Argiro. Arta, Larta. Achrida, Oerida. Panormus, Palormo. Nicopolis, Preveſa. In hac Provincia fuit Promontorium Actium.

In Theſſalia ſunt urbes, Lariſſa. Scotuſa. Tricala, Tricca. Zitonia. Urbibus accedunt montes Zeiton. Olympus. Pindus. Parnaſſus. Helicon, & montium anguſtiæ Thermopilæ.

In Livadia ſeu Achaja, olim Græcia propriè dicta ſunt urbes, Athenæ, Settine & Athen. Megara. Thebæ. Delphi. Sinus Corinthiacus, Dardanellen. Naupactus, Lepante. Pegaſa, Volo. Salona, Amphiſa.

In Morea urbes ſunt, Corinthus, Corantho. Patræ, Patraſſo. Clarentia, aliis Cyllene, Chiarenza. Elis, Belveder. Vicus longus, olim Olympia, Longavico. Pilus, Zunchium & Dipolis, Navarin. Methone, Modon. Corone, Coron. Megalopolis, hodie pagus Megalopoli. Caſtrum Maina, Maina. Miſitra, olim Lacedæmon. Epidaurus Limera & Malvaſia, Napolidi Malvaſia. Naupalia, Napoli di Romania. Arcadia. Caſtrum Torneſum, Caſtel Torneſe. Chieleſa. Zarnata.

His urbibus acceſſerunt Promontoria non pauca nimirum Critos. Malea. Tænarium. de Sapientia. Scyllæum &c.

§. V.

§. II.
DE GRÆCIA INSULANA.

INſulana Græcia comodè dividitur in duas inſulas majores, ſcilicet in Candiam ſeu Cretam & Chalcidem, quam *Negroponte* hodie appellamus: item in inſulas minores, quarum aliæ in mari Jonico propè Jtaliam; aliæ in Archipelago ſunt verſus Aſiam.

Candia haud procul Morea infra Archipelagum ſita 70. circiter Germanicis milliaribus longa, ſed non niſi 10. & multis in locis vix 5. lata an. 1669. à Mahometanis Venetorum Reipublicæ poſt multorum annorum arctiſſimam obſidionem & ſuperatos inſultus plurimos eſt denique erepta.

Urbes in eadem ſunt Candia cum promontorio & portu. Cydonia cum portu, Canea. Rhytimna, aliis Rhytimum, Retimo. Cytæum, Setia.

Caſtra in Ditione Venetorum: Corycus, Carabuſa. Spina longa. Suda. Crium, de Crio.

Promontoria: Samnonium, Salomone. Cyamum, Spada. Gereſtum, Gereſto.

Chalcis ſeu Negroponte, olim etiam Eubœa appellata, ſeparatur à Livadia anguſto maris ſpatio. Longitudo inſulæ eſt milliarium Germanicorum 30. latitudo verò circiter 8. Urbs unica hoc ipſo nomine appellata eſt hac in inſula.

Inſulæ minores circa Græciam ſunt multæ; harum aliæ diſtinguunt mare Jonicum, ſub poteſtate Venetorum omnes: uti

I. Corcyra, Corfu. II. Leucadia, S. Maura. III. Cephalonia, Cefalonia. IV. Zacynthus, Zante. V. Echinades Curzolari. VI. Cythera, Cerigo. VII. Sapientia, la Sapienza. VIII. Strophades, Strivali.

Inſulæ aliæ minores Mare Ægæum exornant ſub jugo Ottomannico pleræque conſtitutæ; harum

I. Cyclades Candiæ ſunt propinquæ.
II. Sporades ab Aſiæ finibus non ſunt remotæ.
III. In Archipelago ſunt Lemnus, Stalimene. Lesbus ſeu Mitylene, Mitelino, Chius, Scio. Scyrus, Schiro, Salamis, Colouri.

Samus, Samo. Jcaria, Nicaria. Delus. Tenos, Tyne. Andrus, Andro. Parus, Paris. Naxus, Naſcia. Melus, Mylo. Pathmus, Palmoſa. Tenedos, Tenedo. Corpathus, Scarranto.

Tot Provinciæ & inſulæ Europææ Achmeti III. Turcarum Jmperatori hodie ſubjectæ permultis ſanè ſunt obnoxiæ coactionibus argentariis & aureis: Cameræ enim, utì dicimus, ſeu ærario Turcico obveniunt quotannis florenorum milliones facilè 20. Tantam jam ſummam augent ferè 8. florenorum milliones à Chriſtianis extortæ ob præſtandam ſibi ſecuritatem. Accedunt quatuor milliones ex bonis libertate donatis. Totidem milliones dicuntur ſolvere Reſpublicæ variæ & Viri Principes diverſi, aut horum Legati. Majus pretium pariunt gabellarum, vectigalium & tributorum aliorum varia nomina. Ingens item theſaurus ex mercatorum navigiis poſtulatur. Cumulum denique auri adaugent bona mortuorum nec teſtamentorum privilegiis exempta, nec hæreditatum juribus tuta, ſed à rigidis exactoribus ſupremo Domino exigi ſolita, portione crebrò modica uxoribus & liberis relicta. Moldaviæ Princeps (ùt exemplis hìc ſit locus) dicitur numerare 180000. Wallachiæ 120000. Reſpublica Raguſana 50000. an verò aureorum, an Philippeorum, an denique florenorum Jmperialium, utì vocamus, incertum habetur.

§. III.

DE STATU ANTIQUISSIMO GRÆCORUM.

QUamvis Regna Græcorum dudum ante Perſarum Monarchiam ſuum nacta ſint principium, nihilominus exordium Græcorum Regno aut Monarchiæ faciunt Hiſtorici multi ab Alexandro M. ut ſervarent ordinem inter quatuor Monarchias Principes in ſacro Codice variis imaginibus deſcriptas.

Venturum itaque Alexandrum M. multa eáque varia anteceſſerunt Græcorum Regna: vetuſtiſſimum omnium erat ab urbe Sycione dictum Sycionicum an. 1966. jam fundatum, cui præerant Reges 25. Idem Regnum vocatum eſt dein Achaja.

Alterum inter Græcos Regnum fuit Argivorum in urbe Argos. an. M. 2200. circiter exortum tempore Jacobi Patriarchæ.

Ter-

Tertium dixerunt Athenienſium circa annum 2490. tempore Moyſis inchoatum, in quo Rex omnium primus Cecrops fuit author plurium Deorum.

Quartum appellârunt Thebanorum ab authore Cadmo incœptum circa annum 2580.

Quintum vocârunt Mycænarum à Perſeo in Peloponeſo an. 2712. fortè extructum.

Sextum in Græcia Regnum dictum eſt Spartanorum circa an. 2960. conditum, quod appellant etiam Lacedæmoniorum à conditore Lacedæmone, & Spartanum à conditoris conjuge Sparta nomine.

Septimum fuit Corinthiorum à principe Regni urbe Corintho hoc nomine dictum, & ferè cum Spartanorum Regno natum.

Octavum Lydorum Regnum appellatum eſſe novimus circa annum 2994. inſtitutum in Aſiæ finibus, cujus Regni Reges ex ſanguine Herculis ſe natos eſſe non minùs, quàm Reges alij gloriati ſunt.

Nonum Regnum fuit Macedonicum, cujus Rex primus Caraunus cum ſociis multis ex Peloponeſo venit in Macedoniam an. M. 3240. Regnum hoc ante M. Alexandrum numeravit per annos 440. Reges 19. quorum ultimus Philippus circa annum 3718. à Pauſania Duce in nuptiis Cleopatræ filiæ Regiæ Alexandri ſororis eſt ex inſidiis occiſus.

§. IV.

DE CLASSIBUS VARIIS CLARISSIMORUM IN GRÆCIA VIRORUM.

Prima Claſſis ſit Ducum, quos, eóſque multos inter nominatiſſimi fuerunt ſequentes:

Piſiſtratus, qui ingenioſiſſimis ſtratagematîs Athenienſibus non raro illuſit.

Miltiades, qui Perſarum exercitum 600000. militum numerantem paucis ſuis copiis ſuperavit ſub Perſarum Rege Dario Hyſtaſpe.

Cymon Miltiadis filius navigia 350. devictis Perſis eripuit.

Ariſtides à totius Græciæ populo æſtimatus maximi, Themiſtoclis invidiâ victus in exilium abire juſſus eſt.

The-

Themiſtocles Perſarum glorioſus victor audito nuntio, eum, qui Themiſtoclem Perſarum Regi captivum ſiſteret, ingentem auri ſummam pro munere eſſe reportaturum, ultro ſe Regi ſtitit.

Ageſilaus Themiſtoclis filius patre navali prælio Perſas ſuperante, in apertis campis Perſarum copias fudit, minimè veritus in caſtra hoſtium advenire, & Macedonium Ducem, quem Regem eſſe auſpicabatur, ſternere.

Pericles pacis tempore eloquentiâ conſuluit patriæ, belli tempore gladio. Propter eximias virtutes dictus eſt Olympius. Idem rogatus, ut pejeraret, mox reſpondit: *amicus uſque ad aras.*

Alcibiades Periclis filius patriâ Athenienſis ad Spartanos hoſtes tranſiît à popularibus virtutem invidentibus id facere compulſus: inter hoſtes tamen patriæ prodeſſe plurimùm perrexit ſtrenuè.

Epaminondas hoſtium Græciæ potentiſſimorum victor, dum ab æmulis electus eſt in Elearchum, ſeu in præſidem plebejorum hominum, qui plateas urbium à ſordibus mundas ſervarent, amore patriæ hocce viliſſimum munus non reſpuit.

Timoleon ut aſſereret libertatem Corinthiacam, occidit fratrem hoſtem libertatis patriæ publicum: factus dein inſulæ Siculæ Præfectus, Dionyſium Siciliæ tyrannum exauthoratum conſtituit Corinthi ludimagiſtrum.

Secunda Claſſis ſit Legislatorum, quorum primus Lycurgus circa annum M. 3420. Coronam Regiam ſibi ſeriò oblatam non admiſit. Lege publica conformitatem ſimul & æqualitatem tum in extruendis domibus, tum etiam conſuendis veſtibus ad vanitatem & mala alia tollenda inſtituit. Juvenem petulantem Alexandrum nomine ob leges publicas legislatori vehementer iratum, & oculum eidem eruentem, ſed ob hoc ipſum crimen à ſenatu traditum ſibi famulum conduxit domeſticum obſtupeſcentibus cunctis, præſertim ipſomet Alexandro.

Draco rem minimam furto ablatam morte per leges ſuas vindicandam ratus, leges ſanguine, non atramento aut colore dictus eſt ſcripſiſſe.

Solon circa annum M. 3460. oblatam ſibi ab Athenienſibus ſupremam

premam dignitatem non admiſit: ſeveras Draconis leges mitigavit, ſuas verò probatas primò omnibus in Areopago depoſuit. Has ipſas denique leges à Græcis oppidò neglectas vendicârunt ſibi Romani fructu ſuo maximo.

Zaleucus Locrenſium legislator adulteros oculorum eruendorum jacturâ puniri præcepit lege, quam S. Hieronymus probavit ob graviſſimum ſcandalum ex adulteriis ſequi ſolitum. Cùm verò filius Zaleuci reus adulterij fuiſſet probatus, & cives rogarent, ut ſaltem filium hæc lex non tangeret, precibus tandem id tribuit, ut alterum oculum filio, alterum ſibi erui juberet.

Charondus in Calabria legislator inter leges complures eam poſuit, ut nemo pugione armarus ad concionem diceret, qui ſecus feciſſet, morte facinus lueret. Verùm gladij ſui ad latus pendentis immemor, paulò pòſt in publico comparuit orator; delicti igitur ſui admonitus, ut legem ſervaret integram, ſe occidendum obtulit judici.

Tertia Claſſis ſit ſeptem Virorum, quos *ſeptem Sapientes* dixerunt, qui circa annum M. 3444. rarâ prudentiâ ſimul & concordiâ Græciam illuſtrârunt. Concordiam maximè prodidit tripus aureus in piſcatorum retibus unà cum piſcium copia inventus, & ab Apollinis oraculo *Græciæ ſapientiſſimo* adjudicatus. Tripus igitur ad hos viros à ſapientia ſummi æſtimatos ea ratione & ordine eſt miſſus, ut à nemine eorundem fuerit admiſſus, ſed Reipublicæ reſtitutus; à qua itaque Deorum maximo tanquam omnis ſapientiæ fonti in anathema perpetuum oblatus tripus factus eſt pes idolo, ſupra quem poſitum dixit oracula: unde ex tripode loqui dicimus eos, qui ſententias ſuas inſtar oraculi vendunt.

Inter Græciæ Sapientes primo loco collocatus eſt Tales, qui pro tribus beneficiis grates diis dixit maximas, quòd nimirum eſſet homo, non verò brutum; vir, non fœmina; Græcus non barbarus. Matrimonij vinculo alligari noluit cælibatûs æſtimator conſtantiſſimus. loco dicere auditus creberrimè in juventute & ſenectute, *ſe pro matrimonii lege fuiſſe nimis juvenem, & nunc eſſe nimis ſenem.*

Pittacus tametſi belli Dux ſtrenuus, Marti tamen valedixit, ut Muſis ſe totum conſecraret. Veniam dedit filij ſui ſicario. Oblatum à Cræſo aurum non accepit. Dicere auditus eſt non raro: *age quod agis.*

Bias Thebanus urbe patria ab hoſtibus occupata, & civibus bona in ſecurum locum transferentibus, ſuas hoſtibus divitias reliquit & abiens dixit; *omnia mea mecum porto.* Iram & præcipitata conſilia in rebus vitare ſuadebat maximè, dicens: *feſtina lentè*

Cleobulus inter alia monere ſolebat puberes: *ſi vis nubere, nube pari.*

Periander mundum muliebrem moderatum toleravit, nimium damnavit. Gabellarum & vectigalium conſuetudinem admiſit, tributa alia remiſit. Factus eſt denique tyrannus.

Chilo Spartanus interrogatus ab Æſopo, quid Deus ageret, reſpondit convenienter ſacro Codici: *deponit ſuperbos & exaltat humiles.* Aliàs rogatus, quæ ſint inter difficillima? reſpondit tria, nimirum *ſecretum ſilere, tempus aptè collocare, & injurias pati.* Dixit etiam, *aurum probat lapis Lydius, virum probat aurum.*

Solon Athenienſis captâ ab hoſtibus patriâ in Lydiam auffugit, ubi Cræſo Lydorum Regi venuſtiſſimè veſtito reſpondit, pavones & phaſianos Cræſo magìs excellere venuſtate; *horum enim plumas eſſe proprias, Cræſi verò alienas.* Interrogatus à Cræſo etiam, quanti duceret felicitatem ſuam Regiam, repoſuit *neminem niſi mortuum inter felices eſſe cenſendum.* Author creditur eſſe Areopagi.

§. VIII.

DE GRÆCIÆ PHILOSOPHIS, MEDICIS, MATHEMATICIS, HISTORICIS, POETIS ET ARTIUM PERITIS ALIIS.

Prima Claſſis ſit Philoſophorum, inter quos ordine temporum multis aliis prior extitit Zeno Eleates inventor Dialecticæ. Zenoni proximus erat

Pythagoras inventor Philoſophiæ Symbolicæ & magiæ naturalis, à Chaldæis inſtructus Magiſtris. Amator ſobrietatis & caſtitatis Græcorum fœminas oratione ſua tantùm commovit, ut mundum mu-

muliebrem anathematis loco Junonis altari conſecraverint. Annis quinque Pythagoram audiebant diſcipuli, antequam ipſis præſente Magiſtro loqui verbum licuit: dum verò inter ſeſe verbis certârunt diſcipuli, reſponſum ſupremum & ultimum in authoritate Magiſtri ſui poſitum eſſe credentes dicebant: *ipſe dixit.*

Anaximander didicit formare chartas Geographicas & horologia ſeu clepſydras arenarias.

Anaxagoras cœlum ſuam dixit patriam, quam elevatis oculis nunquam non conſiderabat.

Socrates relictâ Phyſica formandis moribus ſe totum impendebat. Interrogatus, an ſatiùs eſſet nubere, an liberum manere, reſpondit, *utrumque difficultate magna non carere: homines quippe perquam ſimiles eſſe piſcibus in retibus & extra retia.* Mercatores avaritiæ, Juriſperitos injuſtitiæ, Poetas ſtolidæ vanitatis inſimulavit. Delatus ipſe ad Areopagitas judices, quòd deos contemneret, non negavit: interrogatus igirur, quam pœnam mereretur deorum contemptor? reſpondit, ſe promereri in Prytaneo, ſeu loco Athenis nobiliſſimo communibus Reipublicæ mediis lautiſſimè haberi; quare ducentis & octoginta Areopagitarum calculis condemnatus, venenô eſt occiſus, ſed & mox ardentiſſimis votis deſideratus: deſiderij teſtis & index erat ſtatua ærea in foro publico Athenis in honorem Socratis erecta. Laudatus ſæpe propter ſcientiam reponebat: *ſcio me nihil ſcire.* D. Juſtinus M. Socratem in Beatorum numero collocatum aſſerit. D. Clemens Alexandrinus & Euſebius Angelum tutelarem adſtitiſſe Socrati affirmant. Xenephon ajt, nec quicquam dixiſſe, nec feciſſe conrarium honeſtati. Vixit an. 3660.

Plato cognomento divinus, audito Socrate de moribus, carminum ſuorum magna parte Vulcano conſecrata Socrati ſeſe ſubdidit diſcipulum. Eloquentiâ adeò excelluit, ut Græci dicere conſueverint, ſi Jupiter idiomate Græco loqueretur hominibus, imitaretur Platonem.

Antiſthenes jam in arte Magiſter, audito Platone ſe parvulum dixit, diſcipulis ſuis dimiſſis omnibus, factus ipſe Platonis auditor; ubi tantum hauſit profectum, ut Stoicorum princeps multos denuo nu-

meraverit diſcipulos, quibus præſcripſiſſe perhibetur *pallium, baculum & barbam.*

Diogenes Cynicus Antiſthenis diſcipulus invitatus à Platone divite ad epulas, lutulentis ſuis pedibus menſam fœdavit inter cachinnos dicens, *ſeſe calcare luxum ac faſtum Platonis:* at reſpondit Plato, *faſtum Platonis rideri à faſtu Diogenis longè majori.* Idem Diogenes ab Alexandro M. in dolio conſpectus, & cominus ab eodem interrogatus, an nullam Regiam gratiam rogaret, repoſuit, *ſe petere hanc gratiam, ut ſolis radios umbrâ Regiâ non impediret Diogeni.*

Ariſtoteles Stagiræ in Macedonia natus, & ex prodigo milite, cùm numeraret annos ætatis 18. factus Platonis diſcipulus, annos totidem audiendo Magiſtro conſecravit, per annos 15. vix contradicere auſus Præceptori, tanti ab hoc eſt æſtimatus, ut cùm fortè deeſſet Ariſtoteles, Plato cum gemitu diceret: *mens deeſt.* Elapſis verò annis 15. non veritus diſcipulus tantus verba verbis Magiſtri opponere, recalcitranti & adversùs dominum ſuum inſurgenti equo eſt comparatus. Conſtitutus deinde à Philippo Macedonum Rege filio Alexandro Præceptor, diſcipulum Regium docuit Rhetoricam, Philoſophiam, Ethicam & Politicam. Gratitudinis ergo Philippus Rex Ariſtoteli ſtatuas erigi, & urbem Stagiram bellîs maxima ex parte deſtructam reſtaurari imperavit. Memoratis artibus & ſcientiis reſponderunt totidem libri Ariſtotelici iiſdem ferè nominibus ſignati, quibus acceſſit denique liber, cui nomen *Hiſtoria animalium*, magnâ ſanè ſumptuum ſummâ comparatus: octingenta namque auri talenta Ariſtoteli ex ærario Regio ſolutâ eſſe feruntur. Romam poſt varios caſus translati Ariſtotelis libri nacti ſunt propugnatores DD. Hieronymum, Auguſtinum &c. Seculo Chriſti VI. à D. Boethio ex idiomate Græco in Latinum converſi placuêre Doctoribus omnino multis. Seculo VIII. D. Joannes Damaſcenus inſtar ſolertiſſimæ apis ex Ariſtotele decerpſit optima quæque, & Philoſophiæ æſtimatoribus libanda & guſtanda obtulit. Seculo reparatæ Salutis XI. cùm in Græcia literæ aliquot ſeculis ſepultæ cœpiſſent reviviſcere, ingenti literatorum certamine Ariſtotelis Philoſophia eſt explanata & partium ſtudiis propugnata. Ex Græcia in Africam transmiſſos libros jam

jam famâ notiſſimos Alſarabius, Algazelus, Avizenna & Averroes comendare ampliùs laborârunt. Ex Africa in Hiſpaniam in libris redivivo ſimilis Ariſtoteles primò Cordubæ & demum in urbibus pluribus eſt explicatus. Verùm Pariſiis cùm Philoſophus *Amoris* nomine luſtratis Ariſtotelis libris hæreſin docuiſſet, partus Ariſtotelici hactenus plurimis pretioſiſſimi in foro publico ardere ſunt juſſi. Infames hos ignes haud vituperârunt Gregorius IX. Pontifex & Philippus Pulcher Gallorum Rex, deprehenſis, ùt ajebant, Ariſtotelicis filiis ab hæreſi vix remotis. Hoc maximè modo Ariſtotelis Philoſophia eclypſin paſſa, denuo inſtar ſolis cœpit ſplendere, cùm eandem in Academia Lutetiæ publicè interpretari juſſus Alexander de Ales ad ſui imitationem pertraxit Doctores maximos B. Albertum M. D. Thomam Aquinatem, Doctorem Subtilem alióſque multos. Placuerunt plurimùm hæc Doctorum ſtudia ſupremæ totius orbis & urbis Sedi; Nicolaus enim hujus nominis V. Pontifex Rom. ad emolumentum totius Eccleſiæ Ariſtotelis libros novis inprimi typis, litterariæ juventuti omni meliori modo commendari, & in Orthodoxis Academiis explanari mandavit.

Xenocrates Ariſtotelis condiſcipulus donata auri 28. talenta quamprimum remiſit cum dictis: *non Philoſophis, ſed Regibus opus eſſe divitiis.*

Anaxarches Ariſtotelis diſcipulus tempeſtate maris in Cyprum inſulam delatus, & à tyranno in mortarium miſſus, ſimúlque contuſus reſpondit identidem: *tunde, tunde Anaxarchi ſacculum, Anaxarchum non tundis.* Linguam inde ſuismet dentibus demorſam expuit in faciem tyranni.

Polemon juvenis Venereus cum ſociis venit ad ſcholam Xenocratis, cùm hic fortè de ſobrietatis & caſtitatis præſtantia loqueretur ardore tanto, ut Polemon à priori totus diverſus diſciplinæ ſe impenderet, & Magiſtrum in cathedra ſequeretur Magiſter.

Crates Thebanus Diogenis diſcipulus miſit opes in mare his dictis: *mergam vos, ne mergar à vobis.* Adversùs Venerem diſcipulis impuris tria præſcripſit remedia, nimirum *ſobrietatem, ſeriam occupationem,* & ſi hæc non ſufficerent, *reſtim.*

Epicurus hominum felicitatem non conſtituit in voluptatibus carnis, ſed in abſentia doloris corporalis & animi quiete.

Miſſis hoc loco Philoſophorum Græcorum non paucis, annumerentur Philoſophis duo Medici, nimirum

Hippocrates, qui tabulas Medicis peridoneas conſcripſit, & in templo Æſculapij ſuſpendit; melioríque dein ordine donatas poſteris commendavit.

Menecrates Philippo Macedonum Regi charus, eò denique prolapſus eſt dementiæ ob recuperatam multis ſanitatem, ut Jovi ſe parem crederet: quare Medico huic remedium ſcripſit Rex, pro epulis nimirum copioſum ſuffitum &c.

Claſſis ſecunda ſit Mathematicorum, inter quos Architas Tarentinus invenit inſtrumenta partim Mathematica, partim bellica. Hujus artefactum fuit etiam columba lignea per aera volitans.

Eudoxus Architæ diſcipulus pauper, ob paupertatem à Platone ditiſſimo non admiſſus, ſexdecim menſium ſpatio ſub Magiſtris aliis ita profecit, ut Athenas redux Platoni Magiſter fuerit oppoſitus.

Euclides ſenior exorto inter Megaram & Athenienſes bello Athenas ingredi prohibitus, fœminam veſtitu ſimulavit, & nocte concubia urbem ingreſſus, poſitis veſtibus Socratem audiît dicentem.

Archimedes Syracuſanus Romanorum navigia vitris ſimul & ſolis radiis comburens, obſidionem annis tribus continuam ab eventu Romanis exoptato impediît. Percuſſus denique à Romano milite cecidit Archimedes, cùm nihil motus tumultu armorum publico ſuas in arena duceret lineas. Fata Archimedis luxit Marcus Marcellus Romanorum Dux ſupremus.

Claſſis tertia ſit Hiſtoricorum, quorum primus Herodotus Halicarnaſſus ex Græcia in Italiam circa annum 3570. profugus ſcripſit libros novem, quibus dilucidavit geſta Regum Perſarum, nimirum Cyri, Cambyſis, Darij Hyſtaſpis &c. Libris ſuis Muſarum nomina impoſuit. Tanti eſt habitus à Cicerone, ut hic Herodotum vocârit Hiſtoriæ patrem.

Thucydides patriâ Athenienſis ſcripſit bellum Athenienſes inter & Spartanos geſtum, dictum vulgò Peloponeſi Hiſtoriam, quam Demoſtheni adeò probatam eſſe ferunt, ut octies deſcripſerit. Xe-

Xenephon Thucydidem annis & arte ſecutus, præter Hiſtoriam Peloponeſi ultimam reliquit poſteris legenda Regum Perſarum geſta.

Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus ob doctrinæ præſtantiam hoc nomine appellatus, in cathedra Ariſtotelem ſecutus eſt annis 35. Diſcipulorum 2000. numeraſſe fertur. Scripſit Hiſtoriam plantarum, characteres morum &c.

Claſſis quarta ſit Oratorum, quorum primus tempore Gorgias Leontinus de obvia quavis re ad auditores dixit ſumma laude. Pater eloquentiæ à Cicerone dictus, Jſocratem diſcipulum præceptis optimè formavit.

Lycurgus petulantium puerorum oſor, contra fœminarum luxum non raro verba fecit. Agoni propinquus in curiam famulorum manibus deferri poſtulans ad Patres dixit, & rationem publicorum munerum, quibus 15. annis ſupremus quæſtorum præfuit, cunctis admirantibus, reddidit.

Hiperides contra Demoſthenem à Macedoniæ civibus auro corruptum dixit & librum ſcripſit. Paulò poſt cùm morbo correptum, & librum manu volventem inviſeret Demoſthenes, dolorem vultu præferens; ut morbum animi Demoſtheni pelleret Hiperides dixit, ſe pro Reipublicæ bono ſcripſiſſe.

Demoſthenes dum primò iterúmque dixit ad populum, ob linguæ balbutiem & indecoros corporis motus haud placuit. Mirum dictu! brevi temporis ſpatio ita commiſſos errores emendavit, ut præſtantiſſimum Oratorum Græciæ etiam hoſtes laudârint. Auro corrumpi ſe ſinebat aliquando: unde cùm Harpalum Alexandri M. quæſtorem perfidum oratione reprehendere decuiſſet, anginâ ſe laborare ſimulavit. Quare invaluit dictum: *Demoſthenes argentanginâ, non anginâ laborat.*

Claſſis quinta fuit Poetarum, quos inter eminuerunt Homerus, Heſiodus, Archilochus, Hipponax, Anacreon, Steſichorus, Æſopus, Simonides, Æſchilus, Pindarus, Ariſtophanes, Euripides, Arion &c.

Claſſis ſexta numeravit pictores, nimirum Appollodorum, Parrhaſium, Zeuxem, Polignotum, Timantem, Appellem, Protogenem &c.

In

In Claſſe ſeptima numerati ſunt ſtatuarij, quorum principes fuerunt Phidias, Polycletus, Lyſippus &c. *Hæc de Græcorum ſapientia, doctrina & arte profana.*

§. IX.

DE GRÆCORUM SAPIENTIA ET DOCTRINA SACRA.

INter Græcos glorioſum nacta eſt principium Sapientia & Doctrina Sacra ante Servatoris noſtri nativitatem annis trecentis & triginta circiter, cùm Ptolomæus Phildalelphus Ægyptiorum Rex artium liberalium & ſcientiarum æſtimator eximius, ſeptuaginta duos Hebræos linguæ patriæ ſimul & Græciæ peritiſſimos ſibi adſcivit, ut Veteris Teſtamenti Codicem eò uſque idiomate Hebraico duntaxat ſcriptum, Græcorum etiam linguâ donaret vel totum, vel ex multorum ſententia ſolùm Pentateuchum: Regis itaque deſiderio laudatiſſimo intra 72. dierum ſpatium non abſque concordiæ miraculo ſatisfeciſſe iidem perhibentur ab authoribus doctrinâ, virtute & antiquitate graviſſimis. Interpretum proinde horum Codicem primis à nato Chriſto Seculis legerunt maximè Græci, & Latini, donec denique tum amanuenſium libros transcribentium errore, tùm fide Græcorum & Hebræorum mala non paucis corruptus vitiis meritò cœpit diſplicere, & Scripturæ, quam Vulgatam appellamus, locum longè digniorem cedere. Annis pluribus, quàm trecentis deniq; elapſis gentium Doctor Paulus in Areopago non veritus dicere, & Græcos ſuos errores dedocere, in Græcia Sacræ Sapientiæ firmam elegit ſedem, divinis verborum ſententiis & paribus epiſtolis unius Dei Oracula explanans. Doctoris tanti veſtigia ſunt ſecuti Græcorum plurimi, quos inter anteſignani DD. Ignatius & Dionyſius Areopagita exemplo ſuo & Dogmatum veritate poſt ſe traxerunt viros maximi nominis multos, nimirum SS. Polycarpum, Theophilum, Hippolytum, Clementem Alexandrinum, Gregorium Thavmaturgum, Dionyſium Alexandrinum, , Methodium, Athanaſium, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Epiphanium, Gregorium Nyſſenum, Joannem Chryſoſtomum, Cyrillum, Simeonem Stylitam &c; hos omnes alióſque multos in Eccleſia Scriptores Græcos nobiliſſimos ordine temporum

hìc allatos præceſſerunt annis, dignitate & fortè meritis, utpote Martyrij coronâ exornati Romani Pontifices natione Græci DD. Anacletus, Evariſtus, Teleſphorus, Hyginus, Anycetus, Eleutherius, Antherus, Sixtus II. Dionyſius, Cajus, omnes Seculi II. & III. Pontifices Oecumenici.

A Seculo VI. ad noſtram uſque ætatem tyrannorum multorum veriùs, quàm Jmperatorum Græcorum mens ſiniſtra Divinæ Sapientiæ, Fidei Magiſtræ, inter Græcos movit bellum graviſſimum. Belli flammis fomitem addiderunt Epiſcopi ſchiſmatici non pauci, hæretici plurimi, & tandem invalente Mahomete vis maxima, tyrannis, ignorantia, doctrina nova ex gentilium, Hebræorum & aliorum anti-Chriſtianorum erroribus variis conflata: unde Græcia quondam Sedes Sapientiæ dicta, loco pulſa ſedem reliquit Mahometanorum inſipientiæ.

DE JMPERATORIBUS ORIENTIS, SEU GRÆCIS POST DIVISUM DENUO ROMANUM JMPERIUM.

§. I.

SECULUM IX.

Anno Salutis 800. Carolus M. à D. Leone III. Pontifice Romano Occidentis Jmperator conſtitutus & coronatus eſt relicto Orientis Jmperio ſuis Jmperatoribus, quorum Seriem ad annum 800. vide in Serie Romanorum Jmperatorum; Seriem verò reliquam paucîs hìc amice Lector accipe.

I. Anno Domini 802. Nicephorus vir Conſtantinopoli Patritius, Jmperatori ſtemmate propinquus, Jrenem Jmperatricem res Jmperij agentem in inſulam Lesbum abire compulit. Conſcenſo itaque ſupremæ dignitatis Solio cùm ſæviret magìs, quàm imperaret, paſſim plurimis exoſus, & à Crunno Bulgarorum Rege victus, in tabernaculo ſuo eſt occiſus. Occiſi cranium auro illuſum Crunno Regi phialæ loco ſerviîſſe ſcribitur. Imp. an. 9.

II. Stauratius à Nicephoro patre in thronum evectus ob vitia & hæreſin Manichæorum ſceptro indigniſſimus, exhibuit ſe moribus indurato Pharaoni ſimillimum carcere digniſſimum.

III. Michael Curopalates ductâ in conjugem Procopiâ Nicephori gener, pulſo Stauratio contra Bulgaros haud felici Marte pugnavit: monaſterio igitur ſua ſponte incluſus faſces commiſit Theophylacto filio unà cum matre in exilium brevì abacto. Imp. an. 2.

IV. Leo V. Crannum Bulgarorum Regem fudit fugavítque. Dein verò in Iconoclaſtorum errores lapſus pariter Manichæos fovit: à Michaele igitur Balbo duce ſuo errorum ſuorum commonefactus, dum monenti eſt mortem minatus, mortis victima cecidit à Michaele præventus. Imp. an. 7.

V. Michael Balbus gravia Leonis vitia auxit ſuis majoribus: Epiſcopos enim ſacrarum imaginum cultores partim exilio, partim morte multavit, bardus veriùs, quàm Balbus dicendus. Imp. an. 9.

VI. Theophilus Balbi filius vitioſi patris æmulator Imagines ſacras vetuit pingi, avium aliorúmque animalium formas iisdem longè præhabens. Imp. an. 12.

VII. Michael III. Porphyrogenitus Theophili filius Theodoram matrem Imperij columnam ex aula pulſam cœnobio incluſit, ut viam vitiis aperiret. D. Methodius eadem ætate Theodoræ auxiliis potens ſacrarum Imaginum cultui vigorem reſtituit multo conſervatum tempore. Imp. an. 25.

VIII. Baſilius Macedo humili loco natus promeritus eſt honorum verticem, Jmperator inſignis Religione & multis clarus virtutibus; Magiſtratus quippe diviſit inter viros integerrimos: tribunalia conſtituit æquiſſima: plateas obiturus præmiſit, qui nuntiarent obviis, adfuturum mox Cæſarem ope & opera indigentibus. Nullus Jmperatorum facilè ea ætate plura templa condidit & inſtauravit, quàm Baſilius, cujus auxilio celebratum eſt Conſtantinopoli Concilium IV. Oecumenicum an. 869. Ruſſorum converſio Cæſari huic debetur maximè. Imp. an. 20.

IX. Leo VI. Jmperator doctior, quàm acceptior fuit multorum odiis expoſitus etiam inter rem ſacram: accedenti enim propiùs ad arã fuſtis

fuſtis à ſicario in altum libratus vitam certò certiùs ademiſſet, niſi lychnus in templo pendulus cadentem fuſtem impediîſſet. Imp. an. 25.

§. II.

SECULUM X.

X. Conſtantinus VII. Porphyrogenitus 48. annorum Jmperator annos ſeptem numeravit, cùm Leonem genitorem tumulo inferrent. Mortem Conſtantino attulit venenum Jmeratoribus & Regibus multis malum commune.

XI. Romanus Conſtantini natus neglectâ Jmperij curâ anno Principatus ſui tertio vitam inter epulas & compotationes abſolvit helluoni, quàm Principi ſimilior.

XII. Nicephorus II. Theophaniam Ottoni II. Occidentis dein Jmperatori promiſſam Sponſam ne dimitteret, ex Germania miſſos à Cæſare Legatos in Calabria occidi mandavit. Otto igitur rei indignitate motus cæſis Græcorum plurimis, Saraceniſque ex Jtalia pulſis Calabriam totam & Apuliam Occidentis junxit Jmperio; Nicephorus verò ob inertiam ſuam & avaritiam Græcis maximè inviſus, primùm lapidibus impetitus, inde verò ſomnum capiens eſt interfectus. Theophania igitur matrimonij vinculo Ottoni juncta conjunxit Regna & animos. Imper. an. 7.

XIII. Joannes Zimiſius ab eunuchis avaritiæ causâ eſt è medio ſublatus poſt 6. an.

XIV. Romani I. Jmperatoris filij Baſilius II. & Conſtantinus VIII. Saracenorum & ſocij & duces effecti, Apuliam Calabriámque Germanis eripuerunt capto in pugna ipſo Occidentis Jmperatore Ottone II. cui tantùm profuit Græcorum lingua, quam apprimè callebat, quantùm paulò antè obfuit Græca fides: Græcæ enim linguæ beneficiô libertati reſtitutus ingenti ſtrage Saracenos proſtravit, relictis ſeveriſſimæ vindictæ veriùs, quàm juſtitiæ exemplis. Im. an. 50.

§. III.

SECULUM XI.

XV. Romanus II. Conſtantini VIII. gener, cùm prolem haud ſuſcepiſſet ex Zoe ſua conjuge, ab hac veneno & fune eſt ſuffocatus poſt an. Imp. 6.

XVI. Michael Paphlago annis ſeptem potiùs cum morbis certavit, quàm imperavit.

XVII. Michael Calaphates imperavit menſibus quatuor; Zoe enim conjux animadvertens, Michaeli non Imperatricem magìs, quàm Imperium placere, Auguſtum orbavit utroque oculo & Imperio.

XVIII. Conſtantinus IX. Monomachus, ut imperaret, conjugem ſibi junxit Jmperatricem Zoem, cum qua annos 12. vixit.

XIX. Theodora Zoes ſoror an. 2. moderata eſt Imperium.

XX. Michael Stratonicus relicto Imperio induit Monachum, unius an. Jmperator.

XXI. Jſacium Comnenum adeò obcæcavit avaritia, ut bona ſua domibus ſacris juxtà ac profanis diripi mandàrit. Docuit tandem glaucoma demere oculis morbus graviſſimus multorum peccatorum ſalutaris medicus: Purpuram enim commutavit lacernâ hirſutâ inter cœnobitas adſcriptus. Imp. an. 2.

XXII. Conſtantinus X, cognomento Ducas, & belli duces & conſpicuos doctrinâ viros permagni æſtimans, id diſcriminis inter utroſque notavit, quòd doctrina longè præſtet militiæ. Imp. an. 4.

XXIII. Romanus III. ab Jmperatrice Eudoxia vidua in prælio captus, mox cœpit eandem amoris vinculo, ob formæ præſtantiam ex ſervo à Domina Cæſar creatus. Captus idem à Saracenorum Rege, ſed & libertati reſtitutus, æqualem gratiam minimè impetravit à filio Andronico, à quo oculis orbatus nihil vidit magìs quàm filij ſcelera. Imp. 2. an.

XXIV. Michael Ducas Conſtantini X. filius idoneus magìs monaſterio, quàm Imperio viſus, devictus eſt à Nicephoro ſucceſſore. Imp. an. 7.

XXV. Nicephorus Botoniates talionis pœnam ex ſuo merito paſſus, à ſucceſſore in monaſterium abire juſſus eſt.

§. IV.

SECULUM XII.

XXVI. Alexius Jmperarorum fuit primus ea ex familia, cui vates prædixit, tot fore ex eadem Jmperatores, quot literas numeraret

ret vox Græcorum aima. Oraculum fuiſſe eventus monſtravit; Alexium enim ſecutus eſt XXVII. *Ioannes*, Joannem XXVIII. *Manuel*, Manuelem XXIX. *Alexius II.* quorum primus imperavit an. 39 ſecundus 25. tertius 38. quartus 3.

Joannes cùm venaretur, telo adeò læſit dexteram, ut Medicorum conſilio foret præcidenda. Verùm Jmperator *ab unimano Cæſare Imperium regi non poſſe* reſpondens, mori maluit, quàm mutilari.

Manuel Conrado II. Occidentis Jmperatore expeditiones ſacras proſequenti gypſum miſcuit annonæ, unde copioſus miles interiît Germanus.

Alexius II. ab Andronico ſtrangulatus cecidit.

XXX. Andronicus Comnenus ſuis ſuſpicionibus ſemet occidit: nam vanè metuens, ne occideretur ab Iſacio, occiſus eſt ab eodem, quem parabat occidere, cauſam utriuſque probante populo. Imp. an. 2.

XXXI. Jſacius Angelus eremicolam conſuluit, quo fato Sceptrum eſſet amiſſurus: fatum igitur non verbo ſed facto oſtendit vates: arrepto namque cultello eruit oculos Jmperatoris imagini, ipſi verò Jmperatori frater poſt 10. an. Imperij.

XXXII. Alexius Angelus à Francis Venetíſque Conſtantinopolis victoribus è Solio dejectus Succeſſores duos Alexios nomine, ne quidem unius anni Jmperatores eſt nactus, poſtquam imperavit an. 9.

§. V.

SECULUM XIII.

XXXIII. Balduinus Belga Venetorum fretus copiîs Conſtantinopolim urbem & orbis Solium occupavit. Profuit plurimùm ea victoria Venetis; ab eadem namque ætate Creta & inſulæ per mare Mediterraneum multæ aliæ Venetorum Reipublicæ paruêre. Felix hactenus, minimè verò deinceps Balduinus à Bulgaris captus, & truncatis manibus pedibúſque in campis relictus exſpiravit unius anni Jmperator.

XXXIV. Henricus Balduini frater, poſtquam ferè 11. annos imperando ſuperavit, abſque prole maſcula mortuus Jolanthæ filiæ Sceptrum optavit.

XXXV. Petrus Antiſiodorenſis Gallus Jolanthæ conjux ex Gallia in Italiam, ex hac Conſtantinopolim properavit. Sed Coronam, quàm Romæ datam accepit, citiùs ferè amiſit, quàm Conſtantinopolim venit; à Græcis enim captus amiſit etiam libertatem, Imperium & vitam poſt an. 5.

XXXVI. Robertus quoniam ſibi à vitiis temperare non noverat, minùs aliis imperare potens finiît an. Jmperij octavo vitam, factus adulter ſibi ſuíſque maximè noxius; mater enim carceri mancipata, conjux verò naribus mutilata inter ærumnas delituerunt.

XXXVII. Balduinus II. Latinorum, ùt vocârunt, Jmperatorum in Oriente ultimus, contra Michaelem Palæologum pugnaturus fruſtra in ſuppetias vocavit Venetorum auxilia, contra Genuenſem Rempublicam eodem tempore bellis occupata: relictâ igitur Jtaliâ dum Franciam adiît, invenit auxilij loco ſepulchrum. Imperavit an. 21. omnes verò Jmperatores vel Germani vel Galli ſimul 58.

XXXVIII. Michael Palæologus fugiente Balduino facilè ſuperavit Conſtantinopolim, præſertim cùm proditio ſuas etiam vires Marti jungeret. In votis erat Michaeli non minùs conjungere Græcam Latinæ Eccleſiæ, quàm conjunxit Conſtantinopolitanum & Græcum Imperium; verùm conatus plurimis placuit, eventus diſplicuit. Interea dum Balduini imperârunt, Græcorum Jmperatores fuerunt Theodoricus I. Laſcares, Joannes III. Ducas, Theodorus II. Laſcares, Joannes IV. Laſcares.

XXXIX. Imperante Andronico ſeniore Mahometani Natoliam penitus occupârunt. Externis his hoſtibus auxilio fuerunt domeſtici Jmperatoris filij Conſtantinus & Michael ob perfidiam ferè inauditam in parentem tentatam eodem judice è medio ſublati. Furioſis filiis acceſſit furor

XL. Andronici nepotis, qui ut imperaret, avum Jmperio exegit in monaſterium ibidem brevì occiſum, mortem procurante Andronici junioris tutore Joanne Cantacuzeno. Hic regnandi libidine obcæcatus, per avum & nepotem clientem ſuum velut per gradus laboravit eniti in Solium: verùm non omnis ex voto fluxit eventus: non enim ſoli, ſed ambobus imperare conceſſum: at duos cùm unum

non

non capiat Solium, Jmperatorem alterum Joannem cœpit monaſterium, multorum etiam Jmperatorum capaciſſimum. Imper. ſenior an. 45. Jun. an. 6.

§. VI.

SECULUM XIV.

XLI. Joannes Palæologus aliis Calo dictus, ut Bulgaros hoſtes repelleret, Turcarum auxilia imploravit, qui ocyus venerunt hoſtes veriùs quàm hoſpites; reditûs enim omnis oblitos ſe finxerunt Adrianopoli ditionis ſuæ facta, & felici rerum ſuarum ſucceſſu elati adeò, ut univerſo Orientis Imperio minitarentur palàm interitum: quin eò jam progreſſi ſunt audaciæ, ut exauthorato Joanne Jmperatore filium præhaberent patri, qui imper. an. 43.

XLII. Andronicus à Turcis datum & ablatum doluit Sceptrum, non niſi annis 2. ſervatum: Bajazethi enim tyranno mox diſplicuit, qui paulò antè placuit, ut ſors ſimilis Jmperatori tertio, Turcarum mancipio obtingeret.

XLIII. Jmperator ſimul & mancipium fuit Manuel Palæologus Andronici IV. frater à Bajazethe Turcarum ſupremo capite in ſpeciem amatus, ut amplior locus eſſet odio: nam Manuel poſt brevem temporis intercapedinem Turcarum armis impetitus, ut vel glorioſè vinceret, vel non impunè vinceretur, multos ex Oriente & Occidente vocavit in ſuppetias populos. Tamerlanes igitur Tartarorum Dux ſupremus copioſo ſtipatus exercitu præſtò adfuit, qui tamen Jmperij in Oriente ruinam ultimam non tam prohibuit, quàm brevi temporum intervallo diſtulit, tametſi Bajazethem in pugna decretoria victum & captum ferreæque caveæ incluſum tenuerit ac ſecum triumphi teſtem duxerit. Tam in annis Andronici, quàm Manuelis numeratis non conveniunt authores; ultra 30. ambobus ſimul concedunt omnes.

§. VII.

SECULUM XV.

XLIV. Joannes VII. cognomine Palæologus multùm ſanè conatus eſt Jmperium ſuum ſervare ſibi & Eccleſiæ; eapropter in Jtaliam

liam profectus deſideravit unicè Græcos uniri penitus Latinis, ſpe fretus maxima, perinde uniri poſſe vinculo firmiſſimo Occidentis & Orientis Imperium, quorum ultimo extrema minitabatur Amurathes II. Turcarum caput ſupremum, tametſi Joanni VII. promiſſam pacem ſervaret, fortè non ſervaturus, niſi contra Hungaros & horum Ducem ſtrenuiſſimum Joannem Hunniadem, & Scanderbegos alióſque Chriſtianorum Heroes pugnandum fuiſſet.

XLV. Conſtantinus XI. Palæologus quamvis fœdus pacis à Joanne genitore & Amurathe II. nexum, confirmatum & jurejurando promiſſum à Mahomete II. Turcarum Jmperatore acceperit, anno tamen 1453. Conſtantinopolis à fœdifrago hoſte variis aſſultibus tentata, tandem eſt expugnata, poſtquam undecim Seculis & 91. annis à Conſtantino nimirum I. ad XI. ita ſtetit, ut nunquam Chriſti vexillum glorioſum ſuo loco penitus potuerit amoveri. Pugnavit equidem Conſtantinus longo tempore, & Jmperatoris munere defunctus eſt ſtrenuè; denique tamen à Juſtiniano inter Duces ſupremo poſt acceptum vulnus fædiſſimum in modum deſtitutus, à civium plurimis derelictus, à transfugis proditus, & ab hoſtium multitudine ſuperatus nihil ardentiùs optavit, quàm Græcorum trucidari manibus, ne vivus veniret in Mahometanorum poteſtatem. Verùm tametſi nemo in Imperatorem manum auderet extendere, ex parte tamen damnatus voti ſui partim ſuorum, partim hoſtium impetu proſtratus, unà cum multis commilitonibus pugnantium pedibus eſt contritus. Expugnationem Conſtantinopolis prædicere & Jmperatori & Jmperio Occidentis veriùs, quàm Orientis jam dicendo viſa eſt nubes raro ſplendens lumine, quæ cernentibus plurimis de cœlo deſcendit, ſed & aſcendit terrámque reliquit.

§. VII.
SYNOPSIS HISTORIÆ MAHOMETANORUM ANTIQUÆ.

SYnopſis hæc comprehendit Secula ſeptem: anno namque Salutis 570. ſectarum peſſimæ initium fecit Mahomet in Arabia ex patre ethnico, matre verò Hebræa plebeis natus. Ab his educacatus, & mercatori prædiviti conductus famulus, hero ſuo mortuo re-

lictam vendicavit ſibi ſubſtantiam ditiſſimam & viduam. Divitiis ſociavit dolos, præſtigias & religionem tartari prolem, doctrinam nimirum ex Hebræorum, ethnicorum & Chriſtianorum dogmate malè conſarcinatam, ad quod præſtandum operam ſuam contulit Sergius monachus Neſtorij ſectator. An. 622. Meccâ Arabica urbe fugatus Mahomet venit Medinam itidem Arabiæ urbem hodie Mahometanis *Talnabi*, hoc eſt Prophetarum ſedem dictam. Fugam hanc nuncupârunt *Hegiram*, cujus tempus ſtatuerunt ſibi æram, à qua non minùs dies aut annos cœperunt numerare, quàm ſuos numerârunt Chriſtiani à nato Servatore Chriſto. Anno hujus Servatoris 631. è vivorum numero evocatus Mahomet poſt triduum ſe vivis reſtituendum falsò prædixit pſeudopropheta, cujus cadaver diſcipuli ferreo ſacrophago incluſum vi magnetica in altum attraxerunt, ut oculis fucum facerent, ſimplicem & indoctum populum fraude circumvenirent, ac denique doctrinæ Mahometanæ authoritatem conciliarent. Et ſanè incaſſum haud laborârunt; ex eo enim tempore & Meccam & Medinam exuvias Mahometis ſui honoraturi venerunt ex Palæſtina, Ægypto, Regno Marrocano & India remotiſſima magno numero viri fœminæque, quorum diviſas turmas nominare *Caravanas* conſueverunt.

Doctrinam Mahometis libro, quem *Alcoranum* appellant, contentam amplexi ſunt ambabus, utì dicunt manibus inter ſuos æſtimatiſſimi doctores Melichi Arabum & Africanorum, Ali Perſarum, Omari Turcarum, Odemani Tartarorum primi Magiſtri, & recipiendæ doctrinæ Mahometicæ authores, quorum univerſi cum ſuis gregibus Saracenorum nomine ſunt appellati, vel ab urbe Sara Mahometi amica, vel veriùs à Sara Abrahami conjuge, à qua originem ſuam ſe deduxiſſe mentitus eſt Mahomet. Nomen alterum Mahometanis indidit vel Agar Abrahæ uxor altera, vel dedit nominis origo non abſimilis, unde etiam Agarini dicuntur.

Anni centum fluxerunr à Mahometis obitu, qua ætate Turcæ, olim Scythæ Latinis appellati, per Caucaſum montem migratione facta occupârunt Georgiam, Turcomanniam aliáſque ſuperioris Aſiæ Provincias. Arma equidem armis oppoſuerunt primò Saraceni: at

at tandem Europæorum vires & robur reveriti utrique, ne inter duos pugnantes gauderet tertius, contra hunc ipſimet animos & copias conjunxerunt ea lege, ut Turcæ advenæ Mahometis legem ſartam tectámque ſervarent ſub doctore & authore poſt Mahometem primo Omari.

Saracenis univerſis Mahomete inter vivos ſuperſtite mandata dedit unus Dux ſupremus, Calipha, aut etiam Sultanus cognominatus; eodem autem ſublato, & populo mirum in modum jam aucto conſtituti ſunt Caliphæ numero quadraginta.

Inter dogmata illud etiam dictâſſe ſuis Mahometem ferunt, nimirum ut firmiſſimo tenerent animo, factu optimum fore & neceſſarium, ut gentem multiplicarent, & ſuam doctrinam quaquaverſum propagarent. Hoc igitur dogmate freti & armis inſtructi, atque in partes diviſi priſcis ſuis poſſeſſoribus eripuerunt integras in Aſia Provincias, anno nempe 631. cœſo Juzdegire Perſarum Rege ultimo Perſidem.

An. 636. Syriam & Palæſtinam.

An. 648. Cyprum & Rhodum aliáſque inſulas.

An. 671. minorem Aſiam hodiernam Natoliam.

An. 763. Provincias fluvio Euphrati adſitas.

An. 1303. Erexerunt in eadem Natolia Imperium Ottomanicum:

Indiam verò aliàque Aſiæ remotiora Regna, quamvis non invaſerint Saraceni, doctrinam tamen ſuam eò uſque dilatârunt multis ibidem populis acceptam..

Pari propemodum modo inundârunt maximam Africæ partem an. 647. ſub Heraclio Orientis Jmperatore; & an. 696. totum Herculeum fretum; unde ſecuta eſt Europæ etiam pars Meridionalis & Orientalis haud exigua; nam circa annum 714. occiſo Roderico Hiſpanorum Rege rapuerunt Hiſpaniam ferè univerſam, ex qua non niſi poſt ſeptem ſecula repelli & longiùs removeri potuerunt. Circa annum 823. mare Mediterraneum & Creta inſula in prædam ceſſit his barbaris. An. 827. totum Siciliæ Regnum; & an. 847. magnam Italiæ inferioris partem ita expugnârunt, ut etiam Romæ appropinquarent.

Sa-

Atque adeò Saraceni intra duorum Seculorum breve ſpatium terrarum orbi univerſo partim dominari, partim dominiô ſuô vim minitari potuerunt.

A Seculo Chriſti XI. Romani Pontifices, Jmperatores, Reges Galliæ & Angliæ aliíque in Europa Duces maximi collato auro & junctis viribus copioſiſſimis quinque expeditionibus ſupra reliquas majoribus, imò maximis profecêre tantùm, ut duodecim Reges Hieroſolymæ ſedem Regiam conſervârint erectam per duo Secula; at tandem longè major jactura ſanguinis, quàm victoriæ pretium bello ſacro finem impoſuit. Acceſſerunt cauſæ aliæ multæ, inter quas dixerunt fuiſſe primas, Jmperatorum nempe in Oriente deſidiam; diverſitatem nationum in exercitu Chriſtianorum & enatas inde diſcordias; Jmperatorum in Occidente quorumpiam cum Romano Pontifice diſſenſionem; & demum plurimorum mortalium tam in Oriente, quàm Occidente inveteratam malitiam. Cæterùm Hieroſolymîs Reges regnârunt

I. Godofredus Bullionius, II. Balduinus I. III. Balduinus II. IV. Fulco. V. Balduinus III. VI. Almericus. VII. Balduinus IV. VIII. Balduinus V. IX. Guido. X. Almericus II. XI. Joannes Brennius. XII. Fridericus II.

§. XVIII.

SYNOPSIS HISTORIÆ MAHOMETANORUM RECENTIORIS, IN QUA SERIES TURCICORUM JMPERATORUM.

SECULUM XIV.

AB annno 1326. quo fundamenta Jmperio Turcarum jacta ſunt, ad ætatem noſtram numeramus Jmperatores ſex & viginti, quorum omnium

I. Ottomanus, aliis etiam Oſman dictus, natione Tartarus, vel ex Græcorum Jmperatorum ſtemmate oriundus, in dotem conjugis ſuæ Aladini filiæ accepit Ottomancziam urbem; unde Ottomani nomen proveniſſe autumant. Primus hic gradus dignitatis ac poteſtatis viam altioribus aperuit; brevì enim Iconij Calipha creatus

in ſuas partes pertraxit Provincias haud paucas, quibus omnibus ut Jmperator imperaret, Bruſiam Bythiniæ dixit Sedem Jmperatoriam, quam Mahometani *Portam* appellare ſolent. Nos non immeritò plurimorum ſcelerum januam appellabimus. Imperavit an. 24. Filij fuerunt & nepotes ejuſdem Turcarum Jmperatores hactenus omnes.

II. Orchanes Ottomani filius ditionis ſuæ fecit Nicæam Bythiniæ urbem, dum filius ejuſdem cum patre nominis Turcarum Dux armis ſubegit Callipolim Romaniæ propugnaculum. Hic idem dein leporem perſequens ex equo præcipitatus eſt filius mortis victima; pater verò adversùs Tartaros militans telo trajectus cecidit annorum 31. Jmperator.

III. Amurathes I. an. 1360. in ſuppetias vocatus Joanni Palæologo ſuccurrere potuiſſet videri, niſi Adrianopolim occupatam ſibi ſervâſſet, vim inferens maximam primò hoſtibus Bulgaris, inde verò etiam Joanni Jmperatori & Eccleſiæ Chriſtianorum univerſæ: ex eo enim tempore ſui parentibus liberi erepti, & à teneris annis inter arma educati, Janitzarorum, ùt vocant, turmas conſtituerunt. Ducem ſupremum his copiis præficiendum appellavit Vezirium magnum hocce nomine deinceps conſtanter appellatum. Imp. an. 32.

IV. Bajazethes reportatâ prope Nicopolim victoriâ adversùs Ludovicum Hungariæ Regem ad ſupremum gloriæ verticem ferè pertigiſſet, niſi Tamerlanes obicem poſuiſſet in Natolia, ubi trecenta militum utrinque dicuntur eſſe deſiderata. Victoria Tamerlanis fuit prœmium, quo glorioſus Bajazethem ferreæ incluſum ſervavit caveæ, quòd non abſimilem pœnam Bajazethes Tamerlani optâſſet & minitatus fuiſſet, ſi captum intueri liceret. Imperavit annis 10. Captivus longo tempore non vixit, dum vivere diutiùs noluit vitæ propriæ judex & carnifex; caput enim impetu tanto impegit in ferreos caveæ clatros, ut effuſo cerebro rara avis exſpirârit. An. 1402. Fata Bajazethis longè diverſa fuiſſe teſtatur *Foreſtius*.

§. IX.

SECULUM XV.

V. Joſua, Solimannus I. & Muſa tres Bajazethis filij ita ſucceſſerunt ſibi, ut primus à ſecundo, ſecundus à tertio, tertius à quarto fuerit è medio ſublatus.

VI.

VI. Mahometi fratrum quarto ne occurreret Germanorum exercitus, obicem poſuit Huſſitarum ſeditio pertinax: per annos igitur 8. quibus imperavit, Imperium ſuum auxit terminis longè amplioribus.

VII. Amurathes II. Janitzarorum promotor Conſtantinopolim incaſſum obſidione cinxit; Theſſalonicam verò expugnavit, & Joannem Caſtriotum Epirotarum Ducem ſuperavit tribus ejuſdem filiis in obſides requiſitis & in Aſiam abſtractis. Dein ex Servia ſua pulſus Dux Georgius, & Uladislaus Hungarorum Rex in prælio victus auxerunt triumphum Amurathis. Clades è contrario repetitis crebrò victoriis dederunt maximas Joannes Corvinus Hungarorum Dux glorioſus in Hungaria, atque ex parte altera Georgius Caſtriotus, qui ſuamet dexterâ duo Turcarum millia trucidâſſe ſcribitur. Imperavit Amurath 29.

VIII. Mahometes II. an. 1453. expugnavit Conſtantinopolim numerans ſub ſignis 250000. & naves ducentas: tantis tamen copiis nec territus nec devictus Joannes Hunniades Albam Græcam conſervavit ab interitu deletis Turcarum 40000. Nequaquam pari felicitate pugnavit Georgius Caſtriotus, qui patriâ ſuâ pulſus in Italiam venit & ſepulchrum invenit, cui lacrymis parentavit univerſa Eccleſia Romana. ſub Mahomete II. didicêre, primùm Turcæ certare ſclopis aut ſclopetis, ùt vocant, poſtquam arcanam pulveris pyrei vim & virtutem ſuis hoſtibus maximis prodiderunt Chriſtiani. Imperavit an. 30.

IX. Bajazethes II. ante alios fratrem Zizimum expertus eſt hoſtem potentiſſimum, denique tamen fugatum in inſulam Cyprum, inde verò in Italiam, ac demum in Hiſpaniam translatum, ubi fatis conceſſit ex multorum opinione Chriſtianis. Interea Bajazethi ab inſidiis fratris libero, pene vitam ademiſſet monachorum quiſpiam, qui dum ſtipem rogavit, ictum intentavit, ſed incaſſum; quo ex tempore manus ligantur ad Turcarum Imperatorem acceſſuris. Imp. an. 31.

§. XX.
SECULUM XVI.

X. Selimus corpore parvus, major animo & ſcelere, ne Achmet frater potiretur Jmperio, fratrem frater prodidit. Ægyptum dein unà cum Syria poteſtati Ottomanicæ ſubjecit & finem impoſuit Mamelucorum in Ægypto Regibus an. 1517. Hungariâ etiam potiundi ſpe fretus, poſtquam venit ad eum locum, in quo contra parentem pugnavit quondam rebellis filius, peſtifera lue correptus interiît an. Imperij 8.

XI. Solimannus II. dum legit in Hiſtoria patria, Albam Græcam, Rhodúmque inſulam hactenus ſtetiſſe inexpugnabiles, tanto contra utramque pugnandi eſt incenſus deſiderio, ut utramque unà cum urbibus Hungarorum non paucis expugnârit, ipſa etiam Viennâ ſede Jmperatoria arctiſſima obſidione cincta, & 70. aſſultibus incaſſum tentata. Imp. 46.

XII. Selimus II. tametſi probè meminiſſet mandati paterni, quo vini uſum prohibuit ſeveriſſimè, duos tamen prægrandes ſcyphos merô plenos abſolvit Bacchi filius, dum Imperij diadema induit. Cùm ſciret etiam, nefas eſſe Mahometanorum Regibus ædem, quam Moſchæam appellant, condere, niſi Regno aut Jmperio augmentum addidiſſent, hanc ob cauſam & Cyprum inſulam, & Natoliam victoriis ſuis præfixit metam. Verùm terminos multùm diverſos ſtatuit Selimo Joannes Auſtriacus an. 1571. poſt navale prælium rarâ potitus victoriâ. Selimus itaque aquîs punitus & vino potus nimio, pœnas dedit etiam Neptuno & Baccho poſt 8. Jmp. an.

XIII. Amurathes III. non Herculis ſed Veneris filius videri poterat fœminarum mancipium plurimarum. Eodem imperante veriùs, quàm pugnante victi Europæi Tartari, datúmque initium in Hungaria bello per annos 15. continuo, in quo Jaurinum traditum vel proditum Hardekio comiti infamem attulit necem. Imp an. 20.

XIV. Ut Mahometi hujus nominis III. ſoli liceret imperare, fratres novemdecim & concubinas patris decem è medio quamprimum ſuſtulit, ne fortè ſuperſtes foret ex genitore in utero matris ſemen aut ſanguis. Tùm verò armis intentus maximè, amiſit tamen

Stri-

Strigonium, Jaurinum & Albam Græcam; Agriam verò & Caniſiam victor intravit, Chriſtianorum avaritiâ & proditione, non Turcarum armis devictam. Eadem tempeſtate vinum liberaliſſimè potatum ſeditioni anſam dedit graviſſimæ; quare tanta vini copia Mahometis mandato in mare eſt effuſa, ut ejuſdem pretium duobus aureorum millionibus par fuerit æſtimatum. Imperium ejus fuit an. 8.

§. XXI.

SECULUM XVII.

XV. Achmet I. inducias pactus cum Romanorum Jmperatore Rudolpho II. optavit ſibi commune cum eodem Jmperatoris, quin & fratris nomen; diverſus longè ab iis Turcarum Jmperatoribus, qui victoriis variis & aucto identidem Jmperio ſuo Occidentis Imperatores contemnere, quàm venerari malebant. Imperio præfuit an. 14.

XVI. Muſtapha I. à fratre Achmet in carcere eſt cuſtoditus longo tempore, ne inſidias pararet. Licèt verò ob diuturnam captivitatem nunc ferociret, nunc triſtaretur, & demum ad inſaniam redigeretur ferè Muſtapha, è carcere tamen in Solium evectus, umbra potiùs Jmperatoris, quàm Jmperator fuit brevi tempore.

XVII. Oſmannus Achmetis filius bellum movit maximè Polonis, contra quos 400000. in aciem eduxiſſe memoratur; tanta tamen multitudine hoſtium, etſi numero longiſſimè inferior, neutiquam tamen territus, minùs longè ſuperatus, nec latum cedere unguem ſtatuit Rex Sigiſmundus III. Oſmanni victor glorioſiſſimus. Imperavit an. 5.

Muſtapha I. denuo ex captivitate in thronum evocatus, vocantibus obedivit, ut videretur imperare. Obedientis igitur ſimul & imperantis mandato fune ſuffocatus eſt Oſmannus nepos. Vix annis duobus nomen Jmperatoris tulit; à ſenatu enim exauthoratus imperantibus ſimul multis paruit.

XVIII. Amurathes IV. an. ætatis 12. jam diademate exornatus Jmperator juventutem ſuam dotibus raris excultam vitiis denique deteſtandis fœdavit tantæ avaritiæ & ferociæ tyrannus effectus, ut ſacrifi-

culos ſuos etiam ſupremos contempta lege Mahometana, Duces item & gregarios, incolas & advenas abſque cauſa legitima vel ipſe trucidârit, vel trucidari mandârit. In delitiis numeravit eam etiam, quibus tela in Vezirij filium ad metam ſibi præfixum direxit, & aliàs aciem acinacis ſui exploraturus, obvios quoſque capite plexuit. Annis 15. imperavit.

XIX. Jbrahim imperante fratre vinculis ligatus eſt haud modico tempore animo magis, quàm corpore captus; tametſi enim gibboſus, informis & epilepſiæ morbo foret ſubjectus, captivitate tamen ſolutus carnis deſideriis fræna laxavit & aliis multis vitiis, ob quæ denuo carceri incluſus reſti fuit ſuffocatus, poſtquam annis 5. aut pluribus fratrem Amurathem tyrannide æquavit vel ſuperavit.

XX. Mahometes IV. pugnavit adversùs Venetos, quibus Cretam inſulam eripuit; item adversùs Georgium Ragozium Tranſylvaniæ Ducem, cui Principis loco Michaelem Abaffi ſubrogavit; non minùs contra Polonos, quorum Rex Joannes victor triumphavit; & demum adversùs Cæſarem Leopoldum, cui Neoſelium primò ſuperatum ademit, eidem relicturus nobilem ad S. Gotthardum victoriam. Bello alteri materiam præbuit Tekelius perfidorum Hungarorum non paucorum caput perfidiſſimum, vocatis in Hungariam barbarorum copiis, ut rem affligeret Chriſtianam. Ingemuit tum maximè Vienna, quæ poſt acceptam in Hungariæ finibus cladem, arctam pertulit obſidionem. Docuêre ibidem tres copiarum Duces ſupremi, quantùm poſſent Viri Jmperij Principes, ſi conjunctis animis viribúsque mallent adversùs Chriſtianæ Reipublicæ hoſtem certare, quàm connivendo eundem animare. Joannes III. Polonorum, Maximilianus Bavariæ, & Georgius Saxoniæ Electores iidem Duces fuêre ſtrenuiſſimi, qui Sedem Imperatoriam obſidione liberârunt. Victoriam hanc ſecutum eſt fœdus Cæſarem inter, Poloniæ Regem & Venetorum Rempublicam, quorum ultimi navalibus præliis & victoriis hoſtes repulerunt, dum Jmperator in Hungaria palmas collegit. Mahomet igitur ob clades varias è Solio in captivitatem abſtractus numeravit annos 39. Jmperator.

XXI.

XXI. Mahomete in carcerem ducto reductus eſt frater Solimannus, cui maximè Germanorum victoriîs ereptæ ſunt in Hungaria Alba Græca, Alba Regalis, Segethinum, Mongatſchium & alia non infimæ notæ propugnacula. Verùm & hìc & aliàs ſæpe extrema luctus occupavit; elapſo enim brevi temporis ſpatio Alba Græca à proditoribus Solimanno tradita poſt ſe traxit urbes minores. Prope Salankemum tamen Marchio Badenſis Ludovicus relatâ gloriosâ victoriâ rem reſtituit magnam partem & multorum erexit animos, animis cadente Solimanno, qui imperavit an. 4.

XXII. Achmetes II. junior Mahometis IV. frater ex carcere etiam in ſolium eductus pugnavit cum Germanis & Venetis, quibus Cretam inſulam proditio eripuit. Res paulò felicior fuit in Hungaria; in qua Varadinum Cæſar expugnavit, Albam verò Græcam incaſſum expugnare laboravit. Imp. an. 4.

XXIII. Muſtapham II. Mahometis IV. filium ſuperavit primò Fridericus Auguſtus Saxonum Elector prope Temesvvariam, dein verò prope Zentham Dux Eugenius Sabaudus. Glorioſas has victorias ſecutæ ſunt induciæ in annos 25. duraturæ, ſi fidem & pacem conſervare tanto tempore didiciſſet hoſtis nec fide nec pace dignus. Imp. an. 8.

§. XXII.

SECULUM XVIII.

XXIV. Achmetes III. dum juratam fidem ſervavit Cæſari, Moſcoviæ Duci ſe probavit hoſtem, quem Moſcorum hoſtis alter irritavit ſuperatus prope Bultavam Suecorum Rex Carolus XII. ad Achmetem fugiens, ut mortem effugeret. Venetorum deinde victor Peloponeſum occupavit; ubi ante elapſum induciarum terminum ad arma provocavit Carolum VI. qui inſtar ſolis lunam Turcicam graviſſima eclypſi obſcuravit, dum Temesvvariam & Albam Græcam cum finitima Regione victricibus radiis illuſtravit, & Romanæ Fidei lumine denuo recreavit. Lege *Foreſtium*, *Schererum*, *Funccium* &c.

§. XXIII.
CONCLUSIO SIMUL ET REFLEXIO SUPRA STATUM EUROPÆ UNIVERSUM.

P. Henricus Scherer in Geographia ſua Politica, poſtquam totius Europæ ſtatum multis deſcripſit, tandem *pag. 586.* ſuccinctam rerum multarum repetitionem & nationum in Europa ſingularum breve compendium annexuit ſequentem in modum:

Luſitani cenſentur generoſi & aſtuti, eorúmque	milliones	4.
Hiſpani ſerij & cunctabundi, - -	milliones	6.
Galli vivaces & impetuoſi, - -	milliones	24.
Itali facundi & ſuſpicioſi - -	milliones	7.
Germani ſuperiores liberales & creduli,	milliones	14.
Germani inferiores conſiderati & moroſi,	milliones	9.
Belgæ frugales & obſtinati - -	milliones	7.
Angli ingenioſi & obſtinati. - -	milliones	4.
Scoti militares & truces, - - -	millio	$1\frac{1}{2}$.
Hiberni benevoli & otioſi. - -	millio	$1\frac{1}{2}$.
Hungari & Croatæ audaces & glorioſi,	milliones	4.
Poloni & Lithuani animoſi & jactabundi,	milliones	7.
Valachi, Moldavi, Bulgari, Slavi & Coſaci bellicoſi & inculti - -	milliones	3.
Græci conſiderabundi & infidi. -	milliones	2.
Turcæ laborioſi ac tumidi, - -	milliones	2.
Moſcovitæ tenaces & arrogantes, -	milliones	7.
Tartari crudeles & barbari, - -	millio	$1\frac{1}{2}$.
Dani conſiderabundi & obſtinati, -	milliones	3.
Sueci duri atque ſeveri, - -	milliones	4.
Norvegi ſimplices & familiares, -	millio	$1\frac{1}{2}$.
Lappones ſordidi ac ſuperſtitioſi eorúmque	millia	10.
Hebræi fœtidi ac fraudulenti eorúmque millia		300000.

Igitur Summa habitatorum totius Europæ emerget ad 113000000. hoc eſt 113. milliones; Omiſſis 310000.

Per-

Pergit ibidem *P. Schererus* tribus paragraphis, quos tres Politicorum catalogos appellat, Europæorum mores ſequenti methodo ob oculos ponere.

CATALOGUS I. EUROPÆORUM.

Hiſpani aliis præſtant Theologicis & ſpeculativis ſtudiis.
Galli Criticis. Itali Politicis.
Angli Phyſicis & experientiis. Germani & Belgæ Humanioribus.
Dani & Sueci Nauticis. Hollandi Geographicis.
Hungari, Poloni, Moſci & Turcæ millitaribus.

CATALOGUS II.

Hiſpani ſcitiſſimè præparant corium Cordubenſe.
Galli excellunt aliis calcographiâ. Itali Architectonicâ.
Germani manu & artefactis. Belgæ texendis aulæis.
Hollandi ſtruendis navigiis Angli Pannificio.
Dani paſcuis & piſcaturis. Sueci & Norvegi cædendis lignis.
Hungari ærifodinis. Turcæ adornandis tentoriis.
Poloni & Moſci præparandis ferarum pellibus.

CATALOgUS III.

Commendatur
Italorum urbanitas, Hungarorum audacia,
Gallorum promptitudo, Turcarum vigilantia,
Hiſpanorum conſilia, Polonorum animoſitas,
Germanorum fides & conſtantia. Moſcorum celeritas,
Anglorum perſpicacia, Danorum dexteritas,
Belgarum parſimonia. Suecorum liberalitas.
Batavorum induſtria, Norvvegorum ſimplicitas.

§. XXIV.
DE NUMERO HOMINUM IN EUROPA UNIVERSA.

Dicta paragraphi prioris ferè ad verbum deſcripta habes, Lector, ex *P. Henrico Scherero*, cujus teſtimonio cùm omnia accuratè ſint collecta ex variis authorum libris, ſua equidem non carent authoritate. Attamen etiam adeò firma cenſeri non debent, ut im-

pugnari paululùm nequeant; præſertim ſi cenſum aut hominum numerum penitùs inſpiciamus: concedamus namque, in univerſis Galliæ Provinciis cenſeri capitum milliones 24. Hoc dato plures, quàm modò legimus, hominum milliones concedere oportebit Hiſpanis, Italis, Germanis, Anglis, Hungaris, Turcis & Hebræis. De Hiſpanis ordiamur, & ad Turcas uſque ductis rationibus deſcendamus.

Abundè conſtat Geographis, à Regno Hiſpaniæ univerſo ſuperari Regnum Galliæ & longitudine & latitudine. Conſtat non minùs ſingulas univerſæ Hiſpaniæ Provincias non minùs eſſe fertiles, quàm ſunt in Gallia: unde Hiſpaniæ fertilitas multos multis Seculis attraxit advenas. At verò obiicit hìc rerum Hiſpanicarum vir peritus: Hiſpani naturâ ſuâ ad multiplicandam gentem ſunt minùs idonei; expulêre etiam procul Hiſpaniæ finibus Hiſpanorum Reges Mauros, Saracenos & Hebræos tanta multitudine, ut Regnum ſuum magna ex parte inquilinis orbatum denique lugerent. Repono, me quoque hoc duplici argumento perſuaſum, non auſum fuiſſe tantam aſſerere Hiſpanis hominum multitudinem, quantam Gallis: at ſimul addendum exiſtimo, non poſſe probari eorum calculum, qui Gallis 24. Hiſpanis verò 6. duntaxat hominum milliones dederunt; tametſi enim Hiſpanos ad generandas proles minùs quàm Gallos natura mater voluerit eſſe habiles; non tamen eapropter Hiſpani ſunt dicendi ſteriles, utpote paſſim liberis tot inſtructi, quot coronandis menſis ſufficiunt, uti exploranti Hiſpanorum familias patebit. Fluxerunt etiam jam duo cum dimidio Secula, ex quibus Ferdinandus Catholicus Hiſpanorum Rex potentiſſimus Maurorum & Hebræorum reliquias ſuis Regnis expulit, quorum loco invitati venerunt numero maximo Galli, Belgæ, Itali, quin & Germani, qui Regionum ſitu & feracitate, nec non lucrum augendi ſpe potenter allecti, ſedem in Hiſpania perpetuam fixerunt, & tanto jam tempore Hiſpanis ingens hominum augmentum addiderunt. Argumento mihi etiam eſt, quòd ab annis 24. quibus Philippus V. ex Gallia migravit in Hiſpaniam, non modò Rex regiam auxerit familiam, ſed & commilitones ex Francia plurimi, ſimúlque cives numero longè plures incrementum dederint permagnum generi Hiſpano: igitur non aberrant fortè à legiti-

gitimo calculo illi, qui hodie in Hiſpaniæ Regno numerant hominum milliones 8. aut omnino 10. aut etiam 12.

De Italis quid dicam, ſi huic annumerem propinquiores inſulas Siciliam, Sardiniam, Corſicam & alias Venetorum inſulas procul dubio etiam ſuperiùs numeratas, quæ profectò ſimul conjunctæ cum univerſa Italia in tantam excurrunt longitudinem & latitudinem, ut ſaltem mediam Galliæ partem adæquent, aut etiam multùm ſuperent. Jam verò nôrunt vel etiam Italiæ modicè periti, Italiam & propinquas Italiæ inſulas urbibus, & urbes hominibus ita eſſe inſtructas, ut fortè non minùs in domibus & plateis denſentur hominum turmæ, quàm in Francia. Quare qui in univerſa, ſcilicet continenti & inſulana Italia numerârunt hominum milliones 10. aut etiam 12. ne ſuo calculo deceptos dicamus facilè.

Germaniam univerſam ſi ob oculos ponamus, excedit ipſa Galliam multis milliaribus: quis verò Europæorum neſcit Germaniam urbibus, oppidis, caſtellis & pagis ita eſſe repletam, ut etiam ſylvæ in habitationes amænas paſſim cernantur converſæ. Teſtis ſit ſylva Hercynia jam non ampliùs ſylva, ſed villa continua frequentibus oppidis & Monaſteriis diſtincta. Dividatur obſecro diviſione jam uſitata Germanicum Imperium in novem Circulos, quibus nimirum hoc loco non annumerabimus Circulum Burgundicum maxima ex parte hodie unitum Galliæ: ſi jam in unoquoque Circulo tres capitum milliones numerari credimus, 27. milliones noſter numerabit calculus, quem à veritate multùm aberrâſſe nemo ſuſtineat dicere, ſi nunc ſingulorum, nunc univerſorum Circulorum, & in quolibet Circulo quorumvis Statuum capita non perfunctoriè numeraverit. Minùs mirabitur Lector hæc dicta, ſi Germanico Imperio annumeratum hoc loco non neſciat totum Bohemiæ Regnum cum vicinis Provinciis, quin & Helvetiam cum Regionibus fœdere connexis: nam has omnes in numerum Germaniæ venire voluit cum ſociis Authoribus *Schererus* noſter: unde tametſi ex novem Germaniæ Circulis ſinguli non comprehenderent ternos hominum milliones, facilè tamen defectum ſupplerent copioſiſſimis ſuis inquilinis Bohemia & Helvetia adeò, ut à 30. hominum millionibus non procul abeſſe poſſit univerſa Germania,

quamvis Belgium univerſum in cenſum non veniat. Confirmâſſe, imò multùm exceſſiſſe opinionem hanc videri potuit Chriſtianus *Funccius* tomulo 1. pag. 107. & 108. qui hunc in modum ſcripſit: *quantas copias Germania in aciem educere poſſit, inde apparet, quòd Imperatori ultra ducentorum millium exercitum ſuppeditare poſſit. Et, ſi tantùm Cœnobiorum & Diœceſium ratio habeatur, illiſque Eccleſias Parochiales addideris, quilibet autem locus unum ſuppeditet militem, vicies centies mille homines in promptu facilè futuros eſſe, perhibent.* Hæc *Funccius*, quæ vix alius inveniet.

Non placet etiam uſque adeò Anglorum, Hybernorum & Scotorum Summa non magna; cùm ſimul numeratorum non niſi 7. milliones adæquare dicantur: quamvis enim lateat neminem, tria hæc Regna ſua magnitudine neutiquam æquari uni Galliæ Regno ſanè maximo, palam tamen etiam eſt cunctis, Anglorum præcipuè Regnum præteritis pridem ſeculis adeò hominum copiâ eſſe ſtipatum, ut non rarò Gallis majores viribus, numero vix inferiores æſtimati fuerint domi foríſque, hodie verò poſt unionem trium Regnorum crevit, impari tamen Galliæ modo & numero, ùt fatemur omnes: igitur qui numerat in triplici Magnæ Britanniæ Regno hominum milliones 10. aut 12. acu rem propiùs tangit.

Vix placere poteſt etiam æquis rerum æſtimatoribus Hungarorum & Croatarum computatio, præſertim verò, ſi unà computentur Tranſylvani, Sclavonij &c, quos omiſſos aliàs invenimus eſſe hoc loco computandos. Regnum itaque Hungariæ cum Tranſylvania, Sclavonia, Boſnia, Croatia &c computatum eſt magnitudine ſua ampliſſimum & multis refertum urbibus, quas copioſi inhabitant populi locorum fertilitate ineſcati: hanc ob cauſam à ſcopo minùs aberrabit, qui hodie in memoratis Hungariæ Provinciis Carolo VI. ſubjectis exiſtimat inveniri 6. quàm 4. duntaxat hominum milliones.

Vix capiendam exiſtimo Turcarum hominum copiam ſanè non nimiam, quam nimirum 2. duntaxat millionum compendio conſtrinxerunt Authores: etſi enim Turcæ Europæi ſolùm, minimè verò Aſiatici hoc cenſeantur loco, major tamen meritò deſideratur numerus. Conſtantinopoli medius fidius non minor apparet hominum

num cumulus, quàm Lutetiæ, ubi vivere creditur integer variorum hominum millio. Talis ac tanta mortalium multitudo ſi Pariſiis, cur non etiam Conſtantinopoli Romæ jam veteris urbe æmula, quàm poſtremis Seculis polygamia multis multiplicavit modis. Si adhæc ſolius Bulgariæ & Romaniæ, nec non inferioris Serviæ multas Turcarum urbes, & in urbibus confertam Turcarum multitudinem luſtraverimus, ô quàm facilè unus altérque, quin & tertius fortè apparebit Turcarum millio! Addere lubeat, quòd in finibus Lithuaniæ, in ipſis verò viſceribus Moldaviæ, Dalmatiæ, univerſæ Græciæ, & inſulis Archipelagi Europæis ingens Turcarum numerus à longo tempore Chriſtianorum oculos lateat.

Tandem etſi optandum foret, ut omnes in Europa nationes Hiſpanorum & Gallorum exemplis animatæ Hebræos ſuis Provinciis pridem exegiſſent, atque adeò nullus eorundem hodie ſupereſſet numerus, prô dolor! cogimur tameu præſertim in Italia, Germania, Gallia, Bohemia, Hungaria, Polonia aliiſque Europæ Regnis & Provinciis intueri tantam fraudulentorum Hebræorum multitudinem, ut 300000. compendio neutiquam queat comprehendi: quare integrum Judæorum millionem in Europa inveniri hodie non vanè credit Chriſtianus. His ita conſideratis licebit per Lectoris veniam rationibus finem imponere & audacter dicere: in univerſa Europa facilius numerare eſt 140. aut fortè 150. quàm tantùm 113. hominum milliones.

PARS II.

PARS II.

DE ASIA.

EX Europa tranſeamus in Aſiam, quoniam ita rerum ordo poſtulat: in Aſia præmiſſo brevi marium & principum fluminum compendio univerſa Imperia & Regna in ſynopſin redigantur, poſtquam Europæ totius pars nobiliſſima ſat multîs paginis eſt deſcripta.

§. I.

DE MARIBUS ET FLUMINIBUS IN ASIA ET CIRCA ASIAM MAJORIBUS.

1. Pontus Euxinus ſeu mare nigrum,	Schwartze Meer.
2. Mare Caſpium ſeu Hyrcanum	Caſpiſche Meer.
3. Mare Mediterraneum, -	Mittelländiſche Meer.
4. Mare Rubrum ſeu Erythræum,	Rothe Meer.
5. Mare Arabicum. -	Arabiſche Meer.
6. Sinus Arabicus, - -	Arabiſcher Meer-Buſen.
7. Mare Indicum, - -	Indianiſche Meer.
8. Mare Japonicum, - -	Japoniſche Meer.
9. Oceanus Orientalis ambiens Aſiam.	Groſſes Meer umb Aſien.
10. Mare Tartaricum ſeu Scyticum.	Tartariſche Meer.
11. Mare Pacificum. - -	Stille Meer.

1. Euphrates in ſinum Perſicum decidens.	Flumina.
2. Obius in Mare Tartaricum deſinens.	
3. Indus in Mare Arabicum defluens.	
4. Ganges in Mare Indicum deſcendens	

§. II.

DIVISIO TOTIUS ASIÆ IN SUA IMPERIA ET REGNA.

GEographi varij diverſa methodo diviſerunt Aſiæ partes maximas. Fortè non diſplicebit Lectori ea etiam methodus, qua dividitur univerſa Aſia in ſua Imperia & Regna, nimirum in Imperium

rium Turcarum Aſiaticum, in Perſicum, Tartaricum, Mogolicum, Sinicum, Japonicum & Zeilanum: dein verò in Regna diverſis Regibus ſubjecta; quibus accedent diverſæ inſulæ diverſis dominis ſubditæ. Atque hunc ipſum nunc ordinem ſervare liceat.

§. III.

TABULA CHOROGRAPHICA I.

JMPERIJ TURCICI IN ASIA.

Imperium in Aſia Turcicum à Septentrione junctam ſibi habet Moſcoviam; ab Oriente Imperium ſeu Regnum Perſicum; à Meridie Africam; ab Occidente Europam, ſeu Imperij Turcici partem Europæam. Tam longitudo quàm latitudo hujus Imperij, etiamſi ſeparetur ab Arabia, Tartaria Turcica & Provinciis Ægyptiacis, eſt talis ac tanta, ut pleriſque in locis æquet 300. milliaria Germanica.

Provinciæ Jmperij hujus ſunt partim cis, partim trans fluvium Euphratem. Cis Euphratem ſunt

I. Natolia. II. Soria. III. Arabia Turcica. Trans Euphratem

I. Georgia. II. Turcomannia. III. Aſſyria, hodie Diarbecker.

§. IV.

TABULA CHOROGRAPHICA II.

DE REGNIS AUT PROVINCIIS TURCARUM CIS EUPHRATEM.

I. Natolia inter Archipelagum, mare Mediterraneum & Pontum Euxinum ſita ob merces Italis, Hiſpanis, Batavis & Anglis notiſſima, dividitur in quatuor Provincias, nimirum in

1. Natoliam preſſiùs ſumptam, 2. in Amaſiam, 3. in Caramaniam, & 4. Armeniam minorem, hodie Alauduli dictam.

Urbes in Natolia ſunt præcipuæ: Cotyæum, Cutaye. Smirna. Pergamus. Burſia. Epheſus. Troja. Nicæa, Iſnich. Cryſopolis, Scutari. Nicomedia, Iſmid. Phœda, Foya. Miletus, Milaſſo. Philadelphia, Filadelfi. Sardis, Sardo. Haud procul his urbibus Chalcedon, Laodicea & Coloſſæ urbes ſtetiſſe feruntur.

Urbes in Amaſia ſunt: Amaſia, Amaſan. Neocæſarea ſeu Tocata, Tocat. Trapezus, Trebisonde. Amiſus, Siſimo. Sebaſtopolis, Sivvas. Hac in Provincia fuit Nazianzum.

Urbes in Caramania ſunt: Iconium, Cogni. Tarſus, Tarſo. Accedit Malatia in Alaudulenſi Provincia.

Cæterùm hæ Provinciæ & harum partes longè diverſis olim ſunt appellatæ nominibus, qualia fuerunt Phrygia, in qua Troja; Myſia, in qua Pergamus; Ionia, in qua Smyrna &c. Reliqua nomina erant Bithynia, Paphlagonia, Galatia, Cappadocia, Armenia Minor, Cilicia, Licaonia, Pamphylia, Lycia, Lydia, Doris, Æolia &c.

His Provinciis acceſſerunt inſulæ Natolicæ ſequentes, Cyprus, Rhodus, Chius, Lesbus &c.

II. Soria aut meliùs Syria, hodie Soriſtan, inter fluvium Euphratem, mare Mediterraneum media, in tres minores dividitur Provincias, ſcilicet in Syriam propriè dictam, Aleppo. Phæniciam, Tripoli. & Palæſtinam, Damaſco.

In Syria ſunt urbes: Aleppum, Aleppo. Alexandria, Scanderona. Antiochia, Antachia. Seleucia. Samoſata, Samoſat. Mons Libanus. Tripolis Syriæ, Tripoli di Sora. Damaſcus, Damas. Sidon, Sayd. Joppe, Affa. Ptolomais, Acre. Samaria hodie ſub ruinis. Hieroſolyma, Jeruſalem. Hiericus, Jericho. Nazarethum, Nazareth. Tiberias, Genezareth. Gaza &c.

III. Arabia Turcica inter Palæſtinam, Euphratem, Arabiam Perſicam & mare Rubrum media abundat thure, balſamo, unionibus aliiſque rebus. Si non dividatur ab ea, quæ hodie tributum ſolvit Perſarum Regi aut Jmperatori, ejusdem ſunt tres partes, nimirum Arabia felix proxima mari Arabico; Arabia deſerta proxima Euphrati; & Arabia petræa proxima Palæſtinæ.

In Arabia petræa præter Medabam vix aliæ ſunt urbes; ſunt tamen in eadem montes Horeb & Sinai.

In Arabia deſerta ſunt: Anna & Baſſora.

In Arabia denique felici numerantur Mecca patria Mahometis. Zibithum ſedes Reginæ de Saba, Zibith. Medina aliis Methymna, Talnabi. Adenum, Aden. Maſcatum, Maſcate. Masfa. Mocha.

§. V.

§. V.

TABULA CHOROGRAPHICA III.

DE REGNIS SEU PROVINCIIS TURCARUM. TRANS EUPHRATEM.

I. Georgia hodie Gurgiſtan dictum inter Pontum Euxinum & mare Caſpium ſita, diviſa eſt à nonnullis Geographis in tres minores Provincias, ſcilicet in

In Iberiam ſeu Georgiam propriè appellatam. In Albaniam.
In Colchidem ſeu Mengreliam.
In harum prima ſunt urbes: Artaxata, Teflis. Cori.
In ſecunda ſunt Media, Chippich. Albaida, Stranu.
In tertia ſunt Cotates, Chiuſathes. Alalzica, Alalziche.

Hanc Provinciam plurimi Chriſtianis Dogmatis, improbis tamen etiam moribus imbuti colunt, qui partim Turcarum, partim Perſarum Jmperatori tributa pendunt.

II. Turcomannia, olim Armenia major nuncupata, & multis etiam Chriſticolis habitata, inter Turcas & Perſas trans Euphratem eſt media, dividitúrque in Armeniam majorem & Curdiam Turcis Curdiſtan dictam;

In priori ſunt urbes Erzerum, Arziris. Charſe, aliis Chorſa, Cars. Majafareckinum. Manuſcutum, Manuſcut.

In poſteriori ſunt Artemita. Tigranocerta, Bitlis. Schildirum, Chelate.

III. Meſopotamia, Turcis Diarbeck dicta, eſt infra Turcomanniam, ubi Euphrates & Tigris fluvij in Sinum Perſicum ſimul decidunt, & Paradyſum fuiſſe traditur. Dividitur Provincia hæc in Meſopotamiam, hodie *Diarbeck*, & Chaldæam ſimúlque Babyloniam, hodie *Gerack*. In priori ſunt urbes Amida nigra, Caraemit. Scaphe, Aſanchiff. Carra, Horſan. Ninive, aliis Mauſilum, Moſul. Orpha, olim Edeſſa, Ophra. Arbela, Scherezul.

In poſteriori ſunt Bagdadum, Bacdat. Caſa. Zigira, Gezira, Veſetum, Waſet.

Etiam his in terris non deſunt hodie Chriſtianis Sacris inſtructi incolæ, qui partim Turcis, partim Perſis ſubjacent. Hactenus de Turcarum Imperio Aſiatico plura dicere libuit, quàm de ſequentibus. Argumentum longioris moræ fuit terra olim Hebræorum populo habitata, & in Sacro Codice Dei digito nobis deſcripta, atque adeò ſeris Lectoribus etiam commendata.

DE PERSARUM IMPERIO. TABULA CHOROGRAPHICA UNIVERSÆ PERSIDIS.

§. 1.

PErſia Septentrionem verſus jungitur Caſpio mari; ab Oriente Imperio Tartarorum; Ab Occidente Arabiæ Turcicæ; à Meridie Arabico mari. Tantæ videtur eſſe magnitudinis, ut longitudine 400. & totidem ferè æqualis ſit milliaribus Germanicis latitudine. Perſia univerſa vel in XII. vel plures dividitur Provincias totidem Regnis propemodum pares; Earundem hæc ſunt nomina:

I.	Perſis ſeu Perſia propria hodie -	Farſiſtan.
II.	Suſiana, in qua Suſa, - -	Chuſiſtan.
III.	Parthia, aliis Jraca, - -	Erak.
IV.	Media Tropatia, - -	Aderbeizan.
V.	Servania in qua Derbentium. -	Scirvan.
VI.	Gilania. - -	Kilan.
VII.	Choroſania olim Bactriana, -	Choroſan.
VIII.	Sabluſtania, - -	Sabluſtan.
IX.	Sigiſtania, aliis Siſtania, - -	Sitziſtan.
X.	Candaharia, - -	Candahar.
XI.	Sindia, - -	Send.
XII.	Chermania, olim Caramania. -	Cherman.

Imperium Perſicum, aliis Regnum dictum frequentiùs, maximam ſui partem eſt urbibus & oppidis excultum, multis abundans &

& naturæ & artium beneficiis. Perſæ quamvis ſpeltæ & avenæ ſemina rejiciant, nihilominus copiâ magnâ ſeminant triticum, hordeum, orizam, lentes, fabas, piſa aliáque legumina. In paſcuis maximè frugiferis cernuntur greges ovium, boum, camelorum, & maximè equorum, quibus ex oriza & hordeo pabulum projiciunt, ut ingens eorundem ſit pretium & robur ad ferenda belli onera: nam Perſarum militia ferè ſolis conſtare conſuevit equitibus. Vineas colunt, tametſi Alcorani lege prohibeantur vinum bibere, quod tamen permagni æſtimatum vicinis vendunt Armenis, aliiſque advenis, & Chriſtiana Sacra vel ideo etiam tolerare didicerunt eum ferè in modum, quo Chriſtiani in Europa tolerant Hebræorum focos & aras. Menſas ipſi onerant ovinâ & altilibus præſertim avibus, quibus accedit potus ex aqua & vino decocto, Cavee, Thee, ùt vocamus, & tabaco. Mercimoniorum maximus eſt uſus, & vigor Europæis etiam jucundiſſimus: inter merces verò eminent ſericum, byſſus & bombyx, unde ingentes colligit proventus annuos Rex Perſarum. Habitus, mores & religio Perſarum etſi multis in rebus ſit ferè eadem, quæ Turcarum, revera tamen ſunt plurimùm diverſi, & hoſtes eorundem perpetui; cùm mutua pariant odia & mercimoniorum ratio, & diverſiſſima Alcorani, quo utuntur & Perſæ & Turcæ, interpretatio. Gubernandi & conſervandi methodus Perſis, quàm Turcis, eſt longè mitior, & in exteros etiam manſuetior; unde Germanorum in Perſide æſtimatio magna, quòd efferos Turcarum mores & ſacra deteſtentur, ac ſæpe armis perſequantur communem Germanorum & Perſarum hoſtem victores Germani. Inter Perſas non minùs, quàm inter Europæos honoratur nobilitas; cui eam ob cauſam ad honores & munera publica ante alios patet acceſſus. Nobilibus pares habentur viri doctrinâ exculti, ùt puta, Matheſi, Perſarum Hiſtoriâ & Philoſophiâ, quibus conſervandis ac promovendis erexerunt Academias & Gymnaſia. Imperium Perſicum eſt Monarchicum ſimul & hæreditarium adeò, ut ſi deficiant proles legitimæ, aditus ad Solium pateat filiis ex concubina natis. Imperatores ſuos appellant Perſæ *Sophi* & *Schach*, quæ vox gemina Regem ſonat, qui univerſas ſuas Provincias per duodecim *Chanos ſeu Sultanos* gubernat: eoſdem Ger-

mani aut Latini Regis Vicarios aut pro-Reges dicerent, quorum intereſt deſtinatum ſibi conſervare militum numerum ad nutum Regis intentum. *Chanis* proximi ſunt Kalenteri & Darugæ, quorum hi urbibus præſunt, illi proventus Regios curant tanto numero, ut anni ſinguli, quos Perſæ unà nobiſcum ex ſolis curſu dimetiuntur & dies 356. numerant, 15. aureorum milliones æquare dicantur.

§. II.

DE REGIBUS PERSARUM.

IN Serie Regum Perſarum reperiuntur quatuor claſſes tribus interregnis diſtinctæ: claſſis prima naſciturum præceſſit Chriſtum; claſſes tres natum Chriſtum ſunt ſecutæ. Primam claſſem abrupit Alexander M. Darij ultimi cognomento Codomanni victor. Claſſis ſecunda eſt extincta à Saracenis victoribus an. Chriſti 630. & duravit interregnum hoc Seculis pluribus, donec nimirum Tamerlanes Tartarorum Dux potentiſſimus ſub finem Seculi XIV. Saracenos & quosvis etiam in Perſide hoſtes ad internecionem delevit, relinquens ex genere ſuo hæredes ſimúlque Perſarum Reges quatuor, quos de *Ariete nigro* appellârunt. Seculo XV. an. 1469. claſſis quarta & ultima cœpit regnare, & regnat uſque hodie: cuius ſtemmati de *albicanti Ariete* nomen indiderunt Perſæ. Totidem ſunt Regum Perſarum ſtemmata, veluti præſens Series demonſtrat.

CLASSIS I.

I. Cyrus an. Mundi 3500. Perſarum Rex.
II. Cambyſes Cyri filius.
III. Darius Hyſtaſpes nobilis Perſa ex Regio ſtemmate.
IV. Xerxes Hyſtaſpſis filius.
V. Artaxerxes Longimanus Xerxis frater.
VI. Xerxes II. Longimani filius.
VII. Darius Nothus Longimani ex concubina filius.
VIII. Artaxerxes Memnon Darij Nothi filius.
IX. Artaxerxes Ochus Memnonis filius.
X. Orſames Ochi filius.

XI. Da-

XI. Darius Codomannus Memnonis ex filia nepos. Regnârunt Reges hi ad annum M. 3724. per annos 208.

CLASSIS II.

I. Artaxerxes ab anno Chriſti 227. Perſarum Rex.
II. Sapores I.
III. Hormisdas I.
IV. Varanes I.
V. Varanes II.
VI. Varanes III.
VII. Naſſes.
VIII. Hormisdas II.
IX. Sapores II.
X. Artaxerxes II.
XI. Sapores III.
XII. Varanes IV.
XIII. Isdigerdes I.
XIV. Varanes V.
XV. Isdigerdes II.
XVI. Perozes.
XVII. Obalas.
XVIII. Cabades.
XIX. Zamaſpes.
XX. Coſroes M.
XXI. Hormisdas III.
XXII. Coſroes II.
XXIII. Siroes.
XXIV. Adeſer.
XXV. Barazas.
XXVI. Borane Regina.
XXVII. Hormisdas IV. prope Mergam urbem à Saracenis victus & Regno pulſus, & ſecuti ſunt in interregno Reges diverſi.

CLASSIS III. De Ariete nigro.

I. Caraisſuff Tamerlanis hæres ab an. 1409. Rex Perſarum.
II. Amiſcander.
III. Jooncha.
IV. Acenhaly.

CLASSIS IV. De Ariete albo.

I. Uſſum-Caſſan ab an. 1469. Perſarum Rex.
II. Calif.
III. Jacup Chior Zeival.
IV. Dyaſangor.
V. Roſtam.
VI. Haymecbec.
VII. Alvvambec.
VIII. Morat.
IX. Sophi Jſmael.
X. Scha Tama.
XI. Scha Iſmael.
XII. Scha Mehemed.
XIII. Emir Hemſe.
XIV. Scha Soffi.
XV. Scha Abas.
XVI. Scha Iſmael II. noſtri Seculi Perſarum Rex.

DE

DE TARTARORUM IMPERIO TABULA CHOROGRAPHICA

TARTARIÆ UNIVERSÆ.

§. I.

UNiverſa Tartaria intra Moſcoviam, mare Glaciale, Sinum Japonicum, Chinenſe & Perſicum Imperium, nec non mare Indicum latiſſimè & longiſſimè extenſa tantæ eſt magnitudinis, ut non multùm inferior ſit universâ noſtrâ Europâ, tametſi Jmperium Mogolicum à Tartaria ſeparatum foret.

Dividitur univerſa Tartaria in Provincias ſanè multas & magnas, nimirum in

I. Tartariam Maritimam ſeu Lapponicam, quæ eſt mari Septentrionali proxima, & complectitur novam Zemblam inſulam Septentrioni proximam. In Tartaria hac ſunt oſtia, promontoria & ſtationes Lapponum inſtar Regionum diverſarum circiter 20.

II. In Tartariam Moſcorum Tartariæ Lapponicæ conjunctam, in qua ſunt fluvij præ reliquis celebres Obius, Jeniſcea & Lena. Subditur Tartaria hæc utraque Magno Moſcorum Duci.

III. In Tartariam deſertam, aliis incultam ſeu vagabundorum appellatam, quæ Tartariæ Moſcoviticæ ad flumen Obium eſt adſita, & vagabundis inquilinis eſt repleta, quorum pars magna pendit tributa Moſcorum Duci.

IV. In Tartariam Usbeckianam ſeu Zagathaianam ad mare Caſpium & Regnum Perſicum adjacens, cui dominantur hodie diverſi Reguli. Olim erat Tamerlanis princeps ſedes.

V. In Tartariam Turcheſtanam non procul Usbekiana poſitam, quæ fuit patria Tamerlanis. Perſis magnam partem tributorum ſolvit.

VI. In Tartariam Tibeticam majorem & minorem, quas Mogolicum & Chinenſe Jmperium tenent medias, unde venerunt olim Turcæ in ſuperiorem Aſiam & inferiorem Europam.

VII. In Tartariam Sinicam Orientalem & Occidentalem, quarum ultimam Catayum appellant, unde torrentis inſtar cum exercitu egreſſus eſt priori Seculo Rex Niuki totius Chinenſis Jmperij victor & triumphator.

VIII. Tartariam Mogolicam, ſeu hodiernum Jmperium Mogolicum. Atque de his duobus poſtremis amplior erit ſcribendi locus, poſtquam de Tartarorum origine & progreſſu pauca fuerint præmiſſa, ut inde Jmperij Mogolici principium, Jmperij verò Sinici mutatio innoteſcat ampliùs.

§. II.

DE ORIGINE ET PROGRESSU TARTARORUM.

TArtari vetuſtiſſimis Seculis Scytæ nominati habitârunt cis & ultra montem Jmaum, nobis Caucaſum dictum, verſus Auſtrum & Ortum; victoriis dein celebres longè latéque extenderunt terminos, rapto vivere aſſuetus populus; qui quamquam ſæpiùs ab exteris Principibus petitus armis, nunquam tamen eſt ſubactus, victoriâ aut fugâ tutus & fretus: Cyrum namque Perſarum Regem cum omni ſuo exercitu Tomyride duce fœmina proſtraviſſe fertur; Darium verò turpi fugâ ſeſe recipere coegit. Alexander quoque Macedo ferè univerſas perdidit copias, quas adversùs Scythas eduxerat. Romanorum denique famam Scythæ audiêrunt, vires tamen & arma non ſunt experti.

Nomen *Tartarorum*, aut veluti placet aliis, *Tatarorum* Scythis dedit fluvius *Tatir* Scythiam ſuperiorem ſecans, quod nomen non ita pridem invaluiſſe tradunt: fortè tamen antiquius eſt, quàm de eodem Europæis innotuit, qui ante 400. annos primùm Tartaros cœperunt cognoſcere ſuo etiam detrimento maximo, poſtquam nimirum Duce & Jmperatore ſuo ſupremo Gingis-Chano univerſam propemodum Aſiam jugo ſuo ſubdiderunt, & tum Seculo XIII. quatuor validiſſimos exercitus adversùs totidem mundi plagas direxerunt, ut univerſum terrarum orbem unius Monarchæ dominio ſubjugarent. Nec ſuo caruit fructu ſpes Martis Tartarici; victoriis namque ovans non paucis penetravit in Poloniam, Hungariam, Bohemiam, Sileſiam &c. Verùm haud longo tempore ſtetit erectum à Gingis-Chano

Jmperium; eodem quippe Seculo XIII. inteſtinis diſſidiis convulſum in partes abiît, ubi Tartarorum Præfecti compluribus Regnis ſuum in commodum inſtitutis experti ſunt, Regna diviſa facilè deſolari aut diſſolvi: quod tamen ne perpetuò eveniret Tartaris, Tamerlanes Seculo XIV. Tartaricam Monarchiam reſtituit, ſed & in partes denuo poſt ejuſdem fata diviſam, veluti ſuperiùs allata Tartariæ univerſæ diſtributio oſtendit. Tametſi verò toties & tot in membra ſint diviſi Tartari, hodie tamen duo nobiliſſima per Aſiam univerſam Jmperia tenent, nimirum Mogolicum & Sinicum.

Cæterùm inter Tartaros religionis diverſitas eſt admodum magna; plurimi quippe ſequuntur Mahometis doctrinam, quam probârunt jam ab anno 1246. Teſtimonium recti animi & firmæ fidei prodituri crebrò exclamare ſolent: *non eſt Deus alius, niſi unus verus Deus.* Elatis in cœlum vocibus jungere dicuntur varios corporis motus perſuaſi firmiter, Deum non corde duntaxat aut ſpiritu, ſed toto corpore & cunctis viribus eſſe adorandum. Tartarorum alij præſertim Sinis proximi & mari vicini ſunt idololatræ, quorum religio eſt duos credere deos, unum cœli, terræ alterum. A priore, cui diebus ſingulis thus adolent, petunt, ut mens ſit ſana in corpore ſano: ab altero abundantiam frugum, & augmentum pecorum pecuniarúmque flagitant. Inſignem quoque honorem ſoli, lunæ, & quatuor elementis exhibent, iiſque ſacrificia offerunt. Animas hominum immortales dicunt non uni corpori annexas, ſed pro meritorum diverſitate in nobiliora aut ignobiliora corpora migraturas. De Tartarorum maxima potentia hunc in modum diſſerit P. Henricus *Scherer* in Geograph. Polit. Pag. 778. *Quodſi tota Tartaria ab uno capite regeretur, tam amplum vix eſſet in Aſia, imò in toto terrarum orbe Jmperium, utpote quod ab Auſtro in Boream per 300. & ab oſtio Danubij verſus Ortum ultra 1900. leucas decurrit. Gens tota ferè militaris, & licèt hodie titulus Magni Tartarorum Cham deſierit, ipſúmque Jmperium in complura Regna & dominia ſit diviſum, habent tamen ſingula potentiam formidabilem, quæ quocunque ſe vertit, ſine clade inde non recedit. Ducenta & trecenta millia ſubinde ex pluribus Hordis ſive turmis collecta ex improviſò regionem vicinam invadunt, & veluti torrens inundant & opprimunt.* Cauſa progreſ-

greſſuum maxima eſt conſtans concordia ſubditorum & reverentia in ſupremum caput ad ſuperſtitionem uſque exacta: vereri enim & revereri ſummopere Principem ducitur honori & merito inter merita ſupremo: à Principe lædi, ſpoliari bonîs & vitâ non vertitur vitio. *Vide dicenda de Mogolis Jmperio.*

DE MAGNI MOGOLIS IMPERIO.
TABULA CHOROGRAPHICA
UNIVERSI JMPERII MOGOLICI.

§. I.

IMperium Mogolicum maximam totius Indiæ partem comprehendens jungitur Tartariæ verſus Septentrionem; tangit verò montes inter ſe & Chinenſe Jmperium verſus Orientem; montes alios & Regna diverſa ad fluvium Gangem verſus Meridiem; & denique Perſicum Regnum verſus Occidentem. Longitudo & latitudo Imperij hujus intra duos fluvios, nimirum Indum & Gangem maximam ſui partem contenta eſt talis ac tanta, ut hæc 400. milliaribus non multùm inferior, illa verò ſit ſuperior. Numerant hoc in ampliſſimo Jmperio authores plerique 40. aut plura Regna, quæ ejusdem ferme ſunt nominis, cuius ſunt urbes in Regnis principes, utì ab exemplis mox patebit.

PARS I. In Orientis parte ſunt Regna, veriùs Provinciæ

I. Agra, cuius nominis urbs & Jmperatoris ſedes.
II. Buckar.
III. Kakarum.
IV. Narvar.
V. Jeſſehmer.
VI. Gor.
VII. Gualeor.
VIII. Hardvvare.
IX. Jamba.
X. Jenupar.
XI. Karakatanka.
XII. Multan.
XIII. Nagracut.
XIV. Naval.
XV. Ougeli.
XVI. Patan.
XVII. Pitan.
XVIII. Raiapor.
XIX. Rantipor.
XX. Sambal.

PARS II. In Occidentis parte ſunt Regna.

I.	Attock.	XI.	Cambaya.
II.	Bando.	XII.	Gurchito.
III.	Beishar.	XIII.	Hendovvne.
IV.	Bakar.	XIV.	Janagar.
V.	Cabul.	XV.	Jenupar.
VI.	Candiſch.	XVI.	Lahor.
VII.	Caſimer.	XVII.	Multan.
VIII.	Chitor.	XVIII.	Patan.
IX.	Guzurathe.	XIX.	Suratte.
X.	Bember.	XX.	Tatta.

§. II.

DE ORIGINE ET PROGRESSU ALIISQUE REBUS JMPERATORIS MOGOLIS.

IMperium Mogolicum Tamerlanis Tartarorum Ducis ſupremi dicitur eſſe partus poſthumus, cui ante duo Secula datum exordium: atque adeò teſtibus paſſim multis Magni Mogolis Jmperium aliud non ſonat, quàm Tartari Magni Regnum, aut Jmperium Tartarorum Magnum, ob magnitudinem locorum, multitudinem ſubditorum & divitiarum copiam hoc nomine appellatum. Deſcripta jam ſuperiùs multitudine Regnorum ſeu Provinciarum fas ſit paucîs etiam enarrare hominum eo in Jmperio numerum maximum & redituum Jmperatori ſolvendorum ſummam ſanè non exiguam. Varij variè de utrisque reliquêre nobis potiùs dubia argumenta, quàm certa teſtimonia. In ſola urbe Jmperatoria Agra inveniri circiter 200000. hominum aſſerunt, qualem ac quantum numerum Chriſtianus *Funccius* de ſolis militibus intelligendum eſſe exiſtimat: unde ſi ex eodem authore totius Mogolici exercitus colluviem intelligere aveamus, teſtis idem nobis erit, M. Mogolis Jmperatorem ex univerſis ſuis Provinciis equitum computare 300000 peditum verò millia ferè abſque numero præter quinquageſies mille elephantos in prælium educi ſolitum. Hyperbolem intelligimus, ſed ſimul ex ungue leonem colligimus; ſi namque tantus ſit M. Mogolis exercitus, quantum nunc ſingulorum, nunc univerſorum inquilinorum ſummarium

eſſe

eſſe cenſebimus? longè ultra 50. milliones qui dixerit, nimium dixiſſe nemo Zoilorum dicat facilè! Redituum annuorum aureos montes potiùs, quàm colles ob oculos nobis ponere conatus eſt idem *Funccius* his verbis: M. Mogol omnium hujus univerſi Regum ditiſſimus eſſe perhibetur: dicunt autem ejus ærarium continere mille quingentos milliones Joachimicorum noſtratium: quam ſummam his verbis exponit: Sie habens ihm nachgerechnet / daß Er an Paarſchafft bey anderthalb 1000. Millionen Reichs-Thaler habe. Hæc verò commoda Jmperatoris ſingularia collocemus modò unà cum incommodis hunc in modum ab eodem authore allatis.

Primò abundat quidem ibi miles, ſed militaris rei peritiâ non adeò eſt inſtructus Secundò Portubus deſtituitur. Tertiò Portugalli totum ſinum habent Cambajenſem in ſua poteſtate. Quartò ſunt ibi præterea multæ Regiones ſteriles. Quintò obſtat quoque progreſſibus M. Mogolis locorum natura: Caucaſus enim diffundit ſe in illis confiniis mille ramis, quorum aliqui terminant Regna; alijs non ſufficit terminare, ſed & cingunt ea murorum inſtar: alij concludunt ea prorſus; alij autem reddunt tranſitus difficiles. His adjungitur temporis jactura, quam Principes Mogolici, quibus magnum dominium, neceſſariò faciunt in itineribus: æſtas enim elabitur, antequam eò, quò tendunt, cum equis ſemi-enectis exercitúque laſſato pervenerint, ingrüitque hyems, quæ ipſis adverſa, hoſtibus commodo &c. Sic ergo obſtacula hìc ſunt moralia, obſtacula civilia, ſed & obſtacula naturalia, quæ M. Mogoli vias evagandi latiùs præcludunt. Hactenus Funccius.

Regimen Mogolicum eſt verè Monarchicum, quin & Deſpoticum; Jmperator quippe totius Jmperij ſolus dominus pro majeſtate ſua de rebus ſubditorum poteſt diſponere liberrimè bonorum hæres omnium, quin & vitæ & necis arbiter ſubditorum etiam communi licèt corruptâ ſententiâ definitus. Ex Jmperatoris nutu pendent leges, Magiſtratus, curia, toga & ſagum. Ex Ducibus & Præfectis Jmperatoriis tantò quiſque eſt dignior in aula, quantò plures ſub ſua poteſtate numerat milites; unde in aula magnates iidem ferè ſunt, qui belli duces, quorum primi Omrahi appellantur. Filij Jmperatoris ſuis ſub ſignis ſingulis numerant equitum 15000. Minorem numerum ducunt Duces etiam ſupremi, quos ritè obſervato or-

dine ac proportione ſequuntur Marſebdari & Ruſindari inferioris dignitatis Duces.

Religio M. Mogolis ad normam Mahometis inſtructa diverſum etiam à Turcarum placitis ſibi finxit Alcorani ſenſum & ſententias multas, quibus imbuti Mogolici intra ſuos fines tolerant idololatras, Brachmanes &c. Nec uſque adeò odio forent Chriſtianorum aræ, ſi Luſitani, Batavi, Angli & Dani potiùs animas, quàm divitias didiciſſent lucrari. Cæterùm M. Mogolis Jmperium Europæis omnium primi teſte ipſo *Chriſtiano Funccio* Heterodoxo aperuerunt Patres ex Societate JESU à Batavis & Anglis paulò pòſt etiam in Aſia denigrati & malè habiti.

DE IMPERIO SINARUM.
TABULA CHOROGRAPHICA
TOTIUS JMPERII SINICI.
§ I.

IMperium Sinicum à ſua Tartaria, quæ non minor terrarum amplitudine eſt ipſo hoc ſuo Jmperio, à nobis hìc tantiſper ſeparatum, tantùm complectitur ſpatium, ut longitudine ſua 440. latitudine verò circiter 300. milliaria Germanica ſi non ſuperet, multùm minimè ab iiſdem ſuperetur. Si tamen tabulæ Geographicæ, ùt ſæpe ſolent, non fallant. A Septentrione Jmperio Sinico adjacet Tartaria Sinica extra muros Sinicos conſtituta; ab Oriente mare Sinicum; à Meridie India extra Gangem ſita & ab Occidente Tartaria Tibetica &c.

Dividitur Jmperium Chinenſe in partem Borealem & Meridionalem; pars Borealis muris 500. milliarium ſpatio longis eſt adſita, & numerat tres ampliſſimas Provincias ſupra fluvium Hoang, tres item infra & retro eundem fluvium. Supra ſunt Provincia Seu

I. Regnum Chinenſibus Xuntien & Peching, Tartaris verò Catayum dictum, quæ ipſa dividitur in varias minores Provincias

urbibus ſuis ab arte & opere laudatiſſimis inſtructas: urbs in hoc & Regnis aliis princeps ſimúlque Jmperatoris ſedes eſt Pechinum.

II. Regnum dicitur Xanſi in plures Provincias diſtributum, quæ ejuſdem ſunt nominis, cuius ſunt Metropoles, E.g. Taiyven, Evencheu, Lugan, Pingyang, Taitung.

III. Regnum Xantung, quod etiam in minores Provincias & urbes paris nominis dividitur E.g. Cingcheu, Laicheu, Tengcheu, Tungchang, Yencheu. Infra fluvium Hoang ſunt.

I. Nanking, ſeu Kiamnan Regnum, in quo ſunt plures quàm decem diverſæ Provinciæ, E.g. Changcheu, Chingkiang, Chincheu, Fungiang, Gamking, Hoaigang, Holicheu, Lucheu, Ninque, Sucheu &c.

II. Hoan Regnum, cuius Metropolis Caifung cum ſeptem Provinciis minoribus.

III. Xenſi Regnum, cuius urbs prima Siganum cum ſeptem Provinciis m.

Pars Jmperij Chinenſis Meridionalis complectitur novem aut decem ampliſſimas Provincias, ſeu totidem Regna, ſcil.

I. Hugvang Regnum, cuius princeps urbs Vuchang cum tredecim Provinciis m.

II. Suchven Regnum, cuius urbs maxima Chingtu cum ſeptem Provinciis m.

III. Kianſi Regnum, cuius præcipua urbs Nanchang cum decem Provinciis m.

IV. Chekiang Regnum, cuius nobiliſſima ſedes urbs Hancheu cum decem Provinciis m.

V. Fockien Regnum, cuius metropolis Focheu cum ſeptem Provinciis m.

VI. Queicheu Regnum, cuius princeps locus urbs Queyang cum octo Provinciis m.

VII. Quantung Regnum, cuius Metropolis Quancheu cum decem Provinciis m.

VIII. Quangſi Regnum, cuius urbs ſuprema Queilin cum decem Provinciis m.

IX. Junan Regnum, cuius eſt ejuſdem nominis urbs Regia cum decem Provinciis m.

X. Leaotung Regnum extra fines Sinarum, cuius ejuſdem nominis urbs cum ſex Provinciis m.

In tot Provinciis cenſentur primæ claſſis civitates præcipuè Jmperatori, Mandarinis & civibus accommodatæ 175. Item urbes rei militari potiſſimùm adaptatæ 274. quæ ſunt ſecundæ claſſis. Denique urbes aliæ claſſis tertiæ ſunt inventæ 1288. quibus annumerantur oppida & pagi numero ſanè plurimi & hominibus refertiſſimi: præterquam enim, quòd Sinarum lege polygamia præcipiatur veriùs quàm prohibeatur, lex alia admodum juvenibus & pene pueris præcipit feſtinata matrimonia: unde Sinarum nemo facilè ultra ætatis añum 20. præſertim verò ſexus fœmineus differt thori conſortium, quod adeò ferax ac fœcundum eſſe teſtantur, ut raró mater inveniatur, quæ vel omnino ſterilis, vel annis ſingulis prolem non parturiat intra idoneam ætatem. Igitur hominum adeò excrevit numerus, ut non deſint authores, qui perhibent, ultra ducentos capitum milliones à conductis hanc in rem inquiſitoribus fuiſſe numeratos: quàm ingentem copiam tametſi nimiam quantam dicat *Foreſtius*, is ipſe nihilominus concedit, ultra 70. hominum milliones fortè inveniri facilè in Sinarum Jmperio. Nec deeſt tantæ hominum multitudini rerum omnium copia maxima: abundat enim Jmperium hoc feraciſſimum diverſiſſimis fructibus facili negotio aut pretio comparandis, item argento, auro, unionibus, Byſſo, Bombyce, pretioſis lignis & variis omnino mercibus, quæ aliáque multa etiam ante Tartarorum irruptionem & Tartariæ cum Sina conjunctionem Jmperatori in annos ſingulos tantam redituum ſummam pepererunt, ut eandem 150. ſcutatorum, ùt vocant millionibus æqualem, aut etiam longè ſuperiorem dixerint. Atque propter talem tantámque auri ſumam, & rerum aliarum abundantiam, locorum ſitum, & cœli clementiam Sinæ Jmperium ſuum nominare conſueverunt *Jmperium præſtantiſſimum, Regionem mundi mundiſſimam, civitatem ſupremam ac maximam, Paradyſum terreſtrem, centrum terræ, & pacem generis humani.*

§. II.

§. II.
DE ORIGINE ET PROGRESSU JMPERATORUM SINICORUM.

SI veritatem potiùs quàm vanitatem ſectarentur Sinæ in inquirenda majorum ſuorum origine pervetuſta, tunc miſsîs procul fabulîs dicerent Jmperium ſuum equidem eſſe antiquiſſimum, minimè verò ultra diluvij maximi tempora extendendum; aut annos conditi Mundi augendos, ne diminutus videatur numerus Sinarum ſuperbiâ innatâ confictus. Perantiquum ſanè Sinarum eſſe aut Regnum aut Jmperium, fatentur etiam Europæi Scriptores multi Eg. *Hornius*, *Mareſius*, *Funccius*, *Scherer*, *Kircherus*, *Foreſtius aliique*, qui Sinis dempto glaucomate, aut depoſitîs larvîs genuinam nobiliſſimi Jmperij antiquitatem nobis deſcriptam conati ſunt relinquere ferè hac methodo: Diluvij tempus incidiſſe in annum M. 1656. eſt S. Codici conformis ſententia, & authorum præſtantiſſimorum opinio: annis deinde elapſis non niſi 29. anno nimirum M. 1685. jam poſitum eſſe fundamentum Sinarum Jmperio authore Futeo, ſeu Foqui, aut denique Phut ex Noachi nepotibus proximis nato, non eſt iiſdem teſtibus vana opinio. Hunc ipſum Futeum inſecutos eſſe octo ſucceſſores, à populo lectos, legimus. Mutatâ dein ſententiâ publicâ Jmperatores ad noſtram uſque ætatem dedit *hæreditas Jmperatoria*, ſi paucos excipiamus, ducentos quadraginta. Atque hæc capitum ſupremorum ſeries in unam ſupra viginti ſucceſſu temporis diſtincta eſt ſtirpes & familias, veluti præſens tabula exhibebit.

I. Stemma Jmperatorum Sinicorum *Hia* dictum numeravit 18. Jmperatores, qui imperârunt ab anno M. 1785. uſque ad annum 2182.

II. Stemma *Xanga* appellatum habuit Jmperatores 27. ab anno 2182. uſque ad annum 2846.

III. Stemma *Cheva* vocatum conſtitit ſupremis capitibus 35. ab anno M. 2846. uſque ad annum 3745.

IV. Stemma *Cina* nuncupatum in quarto jam finitum eſt Jmperatore, duravit ab anno M. 3745. uſque ad annum 3794.

V. Stemma *Hana* aſcendit ad 26. Jmperatores ab anno M. 3794. uſque ad annos Chriſti 190.

VI. Stemma *Hevana* duobus conſtans Jmperatoribus habuit ſucceſſores 15. ex Stemmate *Cina* uſque ad annum Chriſti 419.

VII. Stemma *Suma* in octavo finitum Jmperatore imperavit ab anno 419. uſque ad annum 478.

VIII. Stemma *Cia* quinto jam terminatum Jmperatore an. 501. mortuo.

IX. Stemma *Leama* 4. numerans extinctum eſt anno 555.

X. Stemma *China* 5. conſtans capitibus ſolium reliquit an. 590.

XI. Stemma *Sua* non niſi 3. floruit Jmperatoribus uſque ad an. 618.

XII. Stemma *Tamga* 21. Jmperatoribus glorioſum thronum implevit ad annum 905.

XIII. Stemma *Heuleam* in altero Jmperatore exſpiravit an. 913.

XIV. Stemma *Heuteam* quarto completum eſt Jmperatore an. 935.

XV. Stemma *Heucin* 2. Jmperatores ad annum uſque 943. amiſit unà cum ſolio.

XVI. Stemma *Heuchana* in 2. capitibus 2. numeravit duntaxat annos.

XVII. Stemma *Heuchea* in tertio Jmperatore an. 960. eſt conſummatum.

XVIII. Stemma *Sumga* 18. Jmperatoribus triumphavit, quorum ultimus an. 1280. fatis conceſſit.

XIX. Stemma *Jvena*. 9. complectens Jmperatores ex Tartaris Occidentalibus an. 1369. finiît.

XX. Stemma *Mima aut Taminga* 16. comprehendens Jmp. regnavit uſque ad annum 1642.

XXI. Stemma *Cima* 3. Jmperatores natione & origine Tartaros Orientales numerans floret uſque hodie.

§. III.
DE SINARUM DOTIBUS ALIISQUE REBUS DIVERSIS.

Ex allata hactenus Jmperatorum Sinenſium ſerie apparet, Jmperium hoc à multis omnino Seculis hæreditatis jure firmiter ſtetiſſe: idem ad Monarchiæ methodum, Ariſtocratiæ tamen le-

ges

gibus temperatam, fuiſſe inſtitutum, vacat colligere: quippe & leges & Proceres Sinici dum Jmperatorem ſuum fulcire non ceſsârunt, eidem tamen non unum duntaxat obicem poſuerunt, quò minùs pro arbitrio imperare licuit. Hoc etiam noſtro & priori Seculo, poſtquam Sinarum Jmperium Tartarorum victricibus armis ſuccubuit, quamvis minor fortè legum antiquarum valor, & Magnatum poteſtas, quàm quondam, iidem nihilominus ſuis conſiliis ad antiquarum legum Regulas directis multa efficiunt tum in rebus Eccleſiaſticis, tum Politicis, tum etiam Literariis. Quotquot viri principes Jmperatori ſunt à conſiliis, tot diſtribuuntur in diverſa Collegia, quorum omnium primum & Jmperatori proximum quatuor aut ſex conſtat capitibus arcano ſuo conſilio Jmperatorem juvantibus. Collegium alterum Sinis *Lipu* appellatum ex ſupremis Præfectis colligitur. Collegium aliud conſtituunt viri, qui proventus Jmperatoris colligunt, & rationes publicas dirigunt. Collegium à prioribus diverſum curat ritus, conſuetudines Eccleſiæ Sinicæ & Rempublicam Literariam. Collegium etiam ſuum adornant militiæ Præfecti. Inter Collegia Sinica venit etiam ordo Architectorum. In Collegiis aliis ſententiam dicunt criminum judices, & cauſas examinant advocati &c. Univerſim itaque numerantur novem Collegia, quorum quodlibet in novem denuo gradus diſtinctum adeò Mandarinorum copioſum efficit numerum, ut hunc 32000. æqualem eſſe ſcribant. Præfectis Jmperatoriis, Mandarinis non Sinarum, ſed Luſitanorum more dictis, miſcentur plurimi per univerſum Jmperium nobiles, quos eo venerantur honore, quo Germani ſuos Comites aut Dynaſtas. Cur autem Jmperatores Tartaro-Sinici imperandi aut regnandi methodum in ſtatu ferè priſtino reliquerint, argumento ipſis erant leges, mores & conſuetudines Sinarum magna ex parte non mutatione, ſed confirmatione opus habentes: timor item obſtabat, ne mutatio ſtatus violenta anſam præberet ſeditioni; hanc etiam ob cauſam nec ſuſcepta eſt aut imperata novitas Religionis, quæ omnino diverſa eſt hodie hoc in Jmperio: pars enim à Doctoribus Romanis ritè credere eſt docta & hoc & priori Seculo. Pars alia arte, ſcientia & ingenio inter Sinas nobilis tametſi ad Aras Chriſti acceſſerit nec-

dum proximè, contemptis tamen deorum ſimulacris uni Deo litandum eſſe contendit. Pars verò Sinarum & penates colit, & inter deos cœlum, ſolem & præſidem tempeſtatis numerat. Deum ab his diverſum ſibi fingunt, quem Bonziis ſeu ſacrificulis ſuis præeſſe, & Ordinis ſui Religioſi authorem fuiſſe docent. Religioſi hi in duas dividuntur claſſes, quarum prima cælibatum, altera conjugium eligit: priores pluris, poſteriores minoris longè habentur, eò quòd etiam Sinis parùm convenire cenſeantur Religioſa Regula & cum ſexu altero carnis commercia. De Tartarorum aris diverſimodè dicendum: pars enim uni, pars pluribus thus diis adolet inter mille ſuperſtitiones: pars alia ex Alkorano ſibi format ferè ad libitum religionem: adeò innatum eſt mortalibus immortale venerari Numen & vitam ſperare alteram!

Cæterùm inter Sinas momenti eſt maximi Rituum patriorum & ceremoniarum perpetua cuſtodia, quam ad amuſſim teſtantur ſubditi ſuo Jmperatori, Jmperator ſuo deſtinato tempore Jmperio, inferior majori, amicus amico, hoſpes hoſpiti, junior ſeniori, inquilinus advenæ, conſanguineus conſanguineo, filij parentibus &c. Ritus verò patrios quò quis callet magìs, eò ampliùs honoratur, & ſi Princeps ſit vir, propemodum adoratur: quam ob cauſam & libri docendis Ritibus idonei teruntur paſſim manibus, inſtituuntur ſcholæ, conducuntur Magiſtri, experimenta capiuntur domi foríſque; & tum primùm cùm vel adornantur convivia, aut amicus amico fert munera, aut notus non ignoto fit obvius in publico &c, certant inter ſe & verba Sinica ſubtili ac moderato ſonitu, conſonant caput, manus, pedes & in corpore membra ſingula haud brevi mora & abſque moderamine. Ritus patrios proximè ſequitur ſcientiarum & artium ingens æſtimatio; unde Literatorum præſtans eſt numerus, in quo cenſentur 10000. eorum duntaxat, quos Loizios, Latini verò Licentiatos appellant. Univerſis lege publica præſcribuntur ſex libri, quorum primus geſta Jmperatorum ordine temporum apprime deſcripta continet; alter verò liber Ritus Sinicos; tertius Carmina ad linguam patriam exacta; quartus Hiſtoriam Jmperij; quintus Regulas de Moribus inſcribitur; ſextus denique ſynopſim librorum quinque

com-

comprehendit. Libri alii magno numero ſunt typis Sinicis impreſſi (typorum ſeſe primos authores dicunt) de dicenda Jurisprudentia, Aſtronomia, Medicina & Philoſophia, quibus facultatibus maximopere dant operam Sinæ. Imò inter ſcientias arduas non immeritò numerari poteſt Sinarum lingua, quæ conſtare dicitur 24. literarum millibus ob varietatem ſonitus & accentûs, qui eidem voci monoſyllabæ diverſiſſimam aut omnino contrariam dant ſignificationem. Hanc ipſam ſuam linguam tradunt eſſe vetuſtiſſimam, & vel ideo etiam maximi habendam; qua proinde utuntur Sinæ garruli tum ad ſui ipſorum, tum ad linguæ patriæ vanam commendationem, quam nihilominus plurimi adeò ignorant, ut unius Provinciæ inter Sinas etiam incolæ non bene diſtinguant alterius Provinciæ licèt viciniſſimæ idioma patrium. Non pauci hanc ob rem notârunt probè dialectorum variorum difficultatem bellorum etiam tempore maximè noxiam, quæ in exercitu copioſiſſimo, quantum nempe ad 600000. aſcendere aut longiſſimè majorem non verentur ſcribere, eam non rarò peperit confuſionem, qualem ferè experti ſunt Babylonij. Inter vitia Sinarum igitur vel maximè venit lingua nimiùm laudata & alia non ſimplex ſuperbia, qua elati nationes alias contemnunt facilè, quin & fraudibus circumvenire inter Sinas vix putatur nefas. Genij vanitas apparet quoque in veſtitu, inceſſu, ædificiis & conviviis à ſumptibus & ceremoniarum copiâ ſplendidis, ubi menſam vino etiam modico onerare vetatur graviſſimè: unde meri loco parantur vaſa ab arte & potu quovis vino pretioſiori æſtimata.

DE JAPONICO IMPERIO.
TABULA CHOROGRAPHICA
TOTIUS IMPERII JAPONICI.

§. I.

IMperium Japonicum haud procul Jmperio Sinico verſus Orientem ſitum, & mari omni ex parte circumdatum eſt inter nobiliſſimas totius orbis inſulas numerandum: diſtinguitur idem in

tres diverſas inſulas ſibi maximè contiguas, quæ longitudine ſua 180. latitudine verò nunc 50. nunc pauciora longè numerant milliaria Germanica. Niphon ſeu Japonia univerſa olim in 40. Regna diſtributum, hodie in V. tantum dividitur Provincias, quarum

I. Jetſengo, in qua Meacum metropolis totius Japoniæ quondam, hodie verò Jedo.

II. Jamſoit ſeu Jamiſtero, in qua Amanguccium caput Provinciæ.

III. Jetſegen, in qua Funda urbs princeps Provinciæ.

IV. Ochi, in qua Fitachia ſedes prima Provinciæ.

V. Quanto, in qua Yendo, aliis Yedo urbs ampliſſima cum Regio palatio.

Inſula altera Ximo ſive Saicock dicta olim in complura ſeu Regna minima diviſa, numerat urbes Bungum, Cangoximam, Facatam, Nangaſachium, Satzumam aliáſque urbes fuſo Chriſtianorum ſanguine illuſtratas.

Inſula tertia Xicoco ſeu Tokoeſi nominata diviſa eſt quondam in IV. minora Regna. Præ aliis hodie notiores ſunt in eadem urbes, Toſa, Sanuchia, Xium &c. Taceo Japonum inſulas minores.

De his Provinciis hunc fermè in modum cum Chriſtiano *Funccio* ſcribunt authores plures: Japonia eſt inter omnes univerſi orbis inſulas meliores numeranda, eò quòd abundet omnibus ad vitam humanam tam neceſſariis, quàm rebus utilibus; non enim ibi duntaxat aer eſt ſaluberrimus, ſed & reperiuntur omnia ferè Europæ fructuum genera, mala ſcilicet Perſica & præcocia ceraſa, pruna, poma, pyra, quæ *boni Chriſtiani* nuncupantur. Præter hæc ingens aliorum fructuum copia ibidem habetur: præcipuè frumento & oryzâ abundant. Reperitur & ibi argentum in ſumma ſua perfectione, ſed in commerciis non uſurpatur: ſolo enim auro utuntur, ſicut & parvâ æris monetâ, quam nimis purificando depravant. Chalybs ibi etiam eſt optimus: ſunt acidulæ & thermæ, quibus incolæ ſuis morbis medentur. Tot ſunt in Japonia feræ, ut domeſtica animalia parvipendant, quamvis & horum non ſit inopia. Varia denique mercium genera producit: ſed præcipuè omnia panni ſerici genera, ùt ſerica crudá, ſuccinum, lapides pretioſos, moſchum, æs, chalybem & laccæ opera.

Huc-

Hucuſque alij. Ex quibus colligunt ingentes Jmperatoris Japonici theſauros fortè Sinicis pares, aut multùm non minores.

§. II.

DE ORIGINE ET PROGRESSU JAPONUM, ALIISQUE INTER JAPONES REBUS.

Ante octo circiter Secula à Sinenſibus ortum ſuum traxiſſe creduntur & populi & Jmperatores Japonici; prioribus verò temporibus Japoniam ferè univerſam fuiſſe incultam tradunt. Gens hodie populoſiſſima ad gerenda bella eſt peridonea & jugum ferre docta. Unicum Japones venerantur ſupremum veriùs tyrañum quàm Jmperatorem, cujus in deſpotica poteſtate eſt ſubditos Regulos, Optimates & Præfectos quosvis in exilium mittere vel perimere leviores etiam ob cauſas. Jmperatori ſubordinantur in principe urbe Præfecti ſupremi tres, quorum primus *Zazo* dictus rerum ſacrarum curam gerit. Alter *Uco* nomine dignitatum & honorum gradus in Imperio moderatur. Tertius *Cubama* nominatus belli ac pacis tranſigit negotia. His proximi dignitate ſunt, qui Jmperatoris munus ſupplere dicuntur & Reges vocantur per Provincias: his verò junguntur Coricæi, Latinis ſupremi inquiſitores dicti, quorum maximè intereſt explorare ſenſus & animos in Jmperatorem ſuum: quin etiam à conſiliis perpetuis ſupremo in quavis Provincia Præfecto eſt ab Jmperatore conſtitutus vir princeps, qui res majoris momenti quaſvis ſuo modo & tempore perſcribit accuratè. In urbe, quæ ſedes Jmperatoris ferè continua, palatium ingentis operis & raræ artis, in cujus ſpatioſiſſimo ambitu cernuntur etiam miniſtrorum maximorum ædes multo auro exornatæ. In his ipſis ædibus præſcripto tempore jubentur adeſſe primarij Proceres, & inde datur copia revertendi ad Provincias, ſi numeri ſuo ſatisfeciſſe ſint judicati. In aula inter ſupremos honores & curas numerantur militia & mercatura: prioris causâ aluntur conſtanter ferè 200000. peditum & millia multa equitum, quibus eadem propemodum inſtrumenta bellica ſerviunt, quæ Europæis, non tamen idem tractandi arma modus expeditùs & facilis, ſi gladios rotandi & cudendi chalybis artem excipiamus. Corpus Im-

Imperij Japonici univerſum ob oculos poſitum ſi cupiamus, idem in quinque diſtribuitur ordines, ex quorum primo poſt Jmperatorem ea venit multorum dignitas, qualis Ducibus, Marchionibus & Comitibus noſtris eſt ferme propria, quamdiu tamen per Japoniam ſunt quieta omnia: aliàs verò etiam ſummi periclitantur de libertate & capite. In altero ordine obſervantur deorum ſacrifiiculi etiam ipſi in ſuos gradus diſperſi, calvo capite & raſo mento Japonibus venerandi, quorum intereſt fœminarum fugere conſortium. Ordo tertius eſt minorum nobilium & civium majorum. Ordo penultimus comprehendit artifices & opifices; ultimus eſt denique ruricolarum & pauperum, quorum exigua inter ſuos eſt copia.

Quamvis ex hactenus dictis palàm ſit, Imperium Japonicum fuiſſe in ſupremi Principis potiſſimùm vim, jus & comodum directum; cùm nihilominus abhinc ſeſqui Seculo quidam Jmperatorum *Dyarus* nomine trium filiorum pater potiùs tertio, quàm primo genitum ſibi elegiſſet, aut in throno ſucceſſorem, aut ſupremæ potentiæ deſideràſſet eſſe participem; hanc ob cauſam filiorum omnium denique adversùs ſe provocavit iram, & rei militaris ſupremi potentiam, ac demum etiam ſeditionem publicam.

Oleum flammis jam altiſſimis dederunt mercatores ex Europa Heterodoxi, qui Catholicorum Sacerdotum Aris jam glorioſis perinfenſi, ſub larva Religionis ſynceræ Japonenſium ſolio occultas ſtrui inſidias mentiti ſunt. Unde Cubonis, Nobanangæ, Taicoſamæ, Daifuſamæ, & Camboſanæ priorum Seculorum Jmperatorum continui furores in plurima tum indigenarum, tum advenarum Chriſtanorum millia annis diverſis debachati ſunt, & eos denique poſuerunt ſuggerente orco obices, ut niſi per calcatam Crucifixi Dei imaginem, quod publicum negatæ Romanæ Religionis indicium interpretantur, in Japonum Imperium vigiliis circum undique clauſum penetrare nemini exterorum conceſſum ſit. Religio proinde fuit & eſt hodie idololatrica, in multas tamen ſectas diſperſa, atque in univerſo Imperio laſſa laxáque, ut ſi ſacrificulos demamus, vix multi ſæpe & ſeriò diis litent; quamquam inter Japones ſuperſtitionum uſus & abuſus frequentiſſimus & ſtolidiſſimus; unde niſi aſtrorum obſerva-

ſervatores & varios haruſpices de futuris eventibus conſuluerint, nihil facilè audent moliri.

Superſtitionibus accedunt vitia Japonum non pauca, nimirum Bachi & Veneris commercia Sodomorum mori non abſimilia. *Funccius P. I. de Imp. Japonico pag. 319.*

DE REGNIS IN ORIENTALI INDIA.

TABULA CHOROGRAPHICA TOTIUS INDIÆ PENINSULANÆ.

§. I.

UNiverſam Indiam diviſerunt authores Geographi non pauci in Peninſulanam & Inſulanam; priorem partem hoc loco, poſteriorem loco altero dabimus.

India Peninſulana Gange nobiliſſimò fluvio in Regnum geminum aut Provinciam ampliſſimam diviſum Peninſulas duas ferè æquales oculis intuentium objicit; quare partem unam Indiam intra Gangem, alteram verò Indiam extra Gangem nominatam intelligimus.

India intra Gangem ultra 150. milliaria Germanica ab Imperio M. Mogolis ad mare Indicum numerans trianguli ferme refert figuram. Dividitur eadem in tria Regna, quarum

I. Occidentem verſus dicitur Regnum Decan, quod Imperio Mogolis adjacet, & Jmperatori ejuſdem ſecundum partem maximam ſubditum eſt.

II. Cuncanum Regnum, cujus pars ſubditur Regi proprio, pars verò Luſitanorum Regi eſt ſubjecta: hac ipſa in parte Goa ſedes Regia ſimúlque urbs princeps eſt ditionum omnium in Aſia Luſitanorum.

III. Malabaria dividitur in duo aut tria minora Regna, nimirum in 1. Regnum Calecuticum, 2. Cananorium, & 3. Cochinum, in

quorum ultimo partem notabilem occupârunt Batavi, quibus proinde tributa ſolvit Regni Regulus: Regna reliqua ſuum conſervârunt Regem.

IV. Orientem verſus eſt Regnum Colconda & alterum Orixa dictum ſuis itidem Regulis ſubjectum.

V. Regnum Biſnagar, in quo portus nobiliſſimus Coromandel etiam ſuomet Regi ſubditus.

VI. Narſinga, in qua Batavi & Dani urbes occupârunt. His accedit Ora Piſcaria.

India ultra Gangem infra Tartariam & Chinenſe Imperium Peninſula, longitudine ſua ultra 300. latitudine verò circiter 150. milliaria Germanica numerat. Sunt in eadem diverſa omnino Regna minora diverſis Regibus ſubjecta, & quidem

I. Ava Regnum, quod unà cum Regno Aracan uni ſupremo ſubjacet Domino.

II. Pegu Regnum uni quondam Regi ſubjectum, hodie in partes diſtractum.

III. Siam Regnum Regi ſuo hujus nominis ſubditum. Huc pertinet Malaca urbs ditiſſima an. 1640. Luſitanis ab Hollandis erepta. Non minùs huc reducitur

IV. Camboia Regnum verſus Orientem ſitum.

V. Cochinchina Regnum Jmperio Sinarum propinquum, &

VI. Tunquin Regnum, quod alij Imperio Chinenſi annumerant.

§. II.

TABULA CHOROGRAPHICA
INDIÆ INSULANÆ.

INſulæ Indicæ ſunt numero plurimæ & divitiis refertiſſimæ: unde Europæis & Aſiæ Regibus à Seculis duobus factæ ſunt theatrum Martium: partem itaque conſervârunt Reges domeſtici; partem verò majorem occupârunt Europæi, præſertim verò Batavi vulgò Hollandi: omnium inſularum ſit

I.

I. Sumatra infra Regnum Siamenſe ſita & ferè 300. milliaribus longa & 40. lata. Subditur diverſis Regulis, cum quorum mercatoribus Europæi negotia tractant.

II. Juva Sumatræ propinqua, non tamen longitudine aut latitudine eidem æqualis, ſubjecta & ipſa eſt diverſis Regulis mercaturâ Europæ notis.

III. Borneo inter Javam inſula inſularum ibidem maxima & ab Adamantis pretio celeberrima, minùs tamen quàm aliæ Europæis nota.

IV. Celebes Borneo proximæ inſulæ; quas poſſident diverſi Reguli aromatum mercibus famoſi.

V. Moluccenſes inſulæ complures, ex quibus ſunt celebriores, Ternate, Tidor, Machian, Motir & Bachian, Amboina, Banda, Terra dos Papos &c. Singulis ferè præſunt Reguli Hollandis tributarij facti.

VI. Sinarum Jmperio propiores ſunt Philippinæ inſulæ tanto numero, ut facilè 1000. numerârint teſtes oculati. Hoc verò ſunt appellatæ nomine, quòd ſub auſpiciis Philippi Hiſpanorum Regis II. ſint primò Europæis inventæ. Maxima harum pars etiam hodie paret Hiſpaniæ Regibus; Mindana tamen unà cum aliis minoribus obedientiam detrectâſſe dicitur.

VII. Formoſa quondam Batavis poſſeſſa, ſed denuo à Sinarum piratis erepta.

VIII. Nova Britannia inſula ſpatioſiſſima primùm hoc Seculo inventa.

IX Ceylan, cujus inſulæ permagnæ infra Indiam cis Gangenſem ſitæ partem Batavi eripuerunt Luſitanis; partem alteram conſervârunt Reguli Indici.

X. Europæ proximiores inſulæ ſunt Maldiviæ, aliàs Maldivarum Archipelagus dictæ numero plurimæ & uni Regi ſubditæ, minùs tamen ab Europæis celebratæ.

XI. Ab Europa remotiores ſunt inſulæ Marianæ, olim Latronum dictæ, Seculo XVI. ab Hiſpanis inventæ.

XII. Terræ denique Auſtralis inſulæ ſunt Zeelandia, Nova Guinea. & Nova Carpentaria, atque Nova Hollandia.

Tot itaque inſulæ hactenus paucîs deſcriptæ cùm Regibus & Regulis religione, regnandi methodo & moribus diverſiſſimis ſubiiciantur, proniſſimum eſt inde colligere, quàm diſpar ſit inter tot Indiæ habitatores & vivendi & credendi ratio.

Cæterùm cùm oculis etiam manifeſtum ſit Aſiam univerſam amplitudine ſua eſſe adeò Europâ noſtrâ majorem, ut eandem media ſui parte ſuperare videatur; cùm inſuper perſpectum ſit, multis Imperia & Regna per Aſiam omnia populîs eſſe refertiſſima; has ob cauſas non nefas eſt dicere, numerum hominum in Aſia univerſa facilè æqualem cenſeri trecentis hominum millionibus: ſi namque per Imperia & Regna denuo deſcendere lubeat & numerare non diſpliceat

I.	In Jmperio Turcarum Aſiatico -	30. milliones.
II.	In Jmperio Perſarum - -	40. milliones.
III.	In Tartarorum diverſorum Regnis -	40. milliones.
IV.	In Jmperio M. Mogolis - .	50. milliones.
V.	In Jmperio Sinarum - -	80. milliones.
VI.	In Jmperio Japonum - -	20. milliones.
VII.	In Indorum multis Regnis & inſulis univerſis	40. milliones.
	Hac ratione numerantur hominum	300. milliones.

Quodſi verò Lectorum quiſpiam uni alterive Jmperio numerum mortalium juſtô majorem exiſtimet hoc loco datum, is deprehendet facilè, Jmperiis aliis numerum juſto minorem eſſe conceſſum: quodſi itaque & numerorum exceſſus & defectus inter ſeſe ritè fuerint comparati, ſe invicem ita complebunt, ut noſtra ſumma difficulter poſſit impugnari. Hæc de Aſia. Vide *Athanaſium Kircher*, *Henric. Scherer*, *Ant. Foreſtium*, *Chriſtian Funccium*, *Hornium*, *Gonzalez &c.* Qui in multis capitibus & ſentiunt nobiſcum & diſſentiunt.

PARS III.

PARS III.

DE AFRICA.

EX Aſia in Africam ordo jubet transvolare calamum, ut & hujus partis permagnæ Jmperia aut Regna breve redigat in compendium, poſtquam maria & majora Africæ flumina ſynopſi breviſſima abſolverit.

§. I.

DE MARIBUS ET FLUVIIS IN ET CIRCA AFRICAM MAJORIBUS.

Africa magna ſui parte jungitur

I. Mari Mediterraneo Boream verſus.
II. Mari Rubro ſeu Erythræo Orientem verſus.
III. Mari Arabico & Indico etiam verſus Orientem.
IV. Mari Æthiopico verſus Meridiem.
V. Mari Atlantico verſus Occidentem.

Verſus Meridiem & Occidentem ſunt etiam maria Guineæ, Congi & Caffariæ dicta.

Fluvij majores ſunt duo duntaxat, nimirum: 1. Nilus Albus & 2. Nilus Niger, qui uterque ex eodem fonte hauſtus dividit aquas, ita ut Nilus Albus inter Orientem & Septentrionem in mare Mediterraneum deſinat; Nilus Niger verò Occidentem verſus in Oceanum Atlanticum effluat.

§. II.

DIVISIO TOTIUS AFRICÆ.

COmmodè dividitur tota Africa in tres partes ſupremas, ſeu tres Angulos, quorum primus ſeu dexter verſus Orientem; ſecundus ſeu ſiniſter verſus Occidentem; tertius verſus Meridiem excurrit.

In primo angulo ſunt Regna ſequentia 1. Ægyptus. 2. Nubia. 3. Abyſſinia. 4. Zangebar.

In ſecundo angulo ſunt Regna, nimirum 1. Barbaria. 2. Biledulgerid olim Lybia dictum. 3. Zahara ſeu Sarra. 4. Nigritia, aliis Nigritania. 5. Guinea.

In tertio angulo ſunt 1. Regnum Congo, 2. Caffraria. 3. Monoemugi & 4. Monomotapa. De ſingulis nunc pauca ſunt dicenda.

ANGULUS I.
TABULA CHOROGRAPHICA I.

§. I.
DE ÆGYPTO.

ÆGypti Regnum inter mare Mediterraneum & Rubrum, item inter Regnum Nubiæ & deſertum Biledulgerid medium longitudine ſua circa 180. latitudine verò 105. æquat milliaria Germanica.

Urbes præcipuæ in Ægypto ſunt Cair, ſeu Alkair, aut etiam dicta Nova Babylonia. Alexandria olim, hodie Scanderik dicta. Damiata &c.

Regnum hoc ob Nili aquas, quas annis ſingulis effundere ſolet, frugiferas fertiliſſimum tantâ copiâ gignit frumentum, ut meritò *granarium* Africæ & Aſiæ appellari queat. Saluberrimæ ibidem carpuntur herbæ & olera; plantantur vineæ; venduntur uvæ paſſæ, mel, ſaccharum, lana, linum & goſſypium.

Ægyptum Seculis vetuſtiſſimis inter ſuas Provincias numerârunt Perſæ, dein Græci, poſt Græcos Romani; fugatis Romanis Califi, Mamelucci & Turcæ tandem occupârunt, ſub quorum jugo hodie ſordet. Olim namque urbium 20. millia maximam partem venuſta ſunt numerata; hodie verò urbium plurimæ deſtructæ, & quæ ſervatæ ſunt, multis opplentur ſordibus.

§. II.
TABULA CHOROGRAPHICA II.
DE REGNO NUBIÆ.

REgnum Nubiæ proprio Regi, Turcarum nunc, nunc verò Abyſſinorum tributario ſubjectum, atque infra Ægyptum poſitum, longi-

longitudinis & latitudinis eſt talis, ut prior circiter 260. poſterior 150. ſit æqualis. Rigatur ipſa fluviis Nilô & Nubiâ: unde multis in partibus æquè eſt frugum ferax, ac Ægyptus. Urbes numerantur paucæ, quas inter celebriores ſunt Nuebia, Cuſa, Dancala, Gorhamum, Gualva &c. Religio Nubianorum à Chriſtiana non abhorret multùm.

§. III.

TABULA CHOROGRAPHICA III.

DE JMPERIO ABASSYNORUM.

IMperium Abaſſynorum, ſeu abyſſinorum ab aliis vocatum, nec non Æthiopia ſuperior dicta, olim longiſſimum ſimúlque latiſſimum, numeravit 30. circiter Provincias, è quarum numero rapuerunt Turcæ & Gales populi ad mare Rubrum & Africum omnes. Hodie nihilominus Jmperio huic tantam concedunt chartæ Geographicæ amplitudinem, ut longitudo circiter 500. latitudo autem 300. Germanicis milliaribus pares eſſe videantur. In finibus Jmperij hujus reperitur fons utriuſque Nili.

In Jmperio hoc etiamnum varij varia numerant Regna hoc ordine:

I. Regnum Barnagaſſo prope mare Rubrum.
II. Tigre, ſeu Figre Mahon Barnagaſſo propinquum.
III. Angote infra Tigre.
IV. Fatigar ad dextram Regni Angotani.
V. De Xoa infra Regnum Fatigar.
VI. Belequanze infra Regnum Angote.
VII. D'Amara ad Æquatorem.
VIII. Damut juxta D'Amaram.
IX. Ambiam infra Æquatorem.
X. Agag infra Ambiam.
XI. Gemen ad dextram Regni Ambiam.
XII. Guara intra Agag & Gemen.
XIII. Fungi infra Guaran.
XIV. Caſates infra Fungi.

XV.

XV. Gorga ad dextram Fungi.
XVI. Gaſabela infra Fungi & Gorgam.
XVII. Zet & Narea in finibus, ubi fons Nili.

Plura hujus Jmperij Regna afferuntur ab authoribus paulò mutatis nominibus.

Inter florentiſſima Jmperia continuò numeratum fuit Abaſſynorum Jmperium, utpote etiam Nili patria auro, argento, cupro, ferro, plumbo aliiſque rebus pretioſis abundans. Agri & prata non minùs feracia hìc coluntur bis in anno, quàm in Ægypti Regno, quare teſte *Funccio* vulgus de hoc Jmperio credidit, id omnino feliciſſimum eſſe; ibi ſiquidem prata ſemper virentia, & nullo labore quæſitas eſſe dapes, ibidem Elyſios inveniri campos. At tandem mutatum nomen Jmperij aut Regni Germanis audiri cœpit Schlaraffen-Land. Anſam fortaſſis etiam dedit ſtatus Abaſſynorum, qui ferè nullam quondam admisêre urbem, ſed pagos tantùm ex humilibus conſtructos domibus. Ipſius Jmperatoris, quem *Negus* appellant, aula ita fors hodiè eſt vaga & incerta, ut raró admodum in eodem loco conſiſtere conſueverit. Unde Jmperatorem proceres, quin & militum multa millia Jmperatorem præeuntia, comitantia & ſequentia, partim præcedunt, partim ſequuntur tentoria in plauſtris plurima, quæ in urbis methodum conſtructa ultra 30000. hoſpitum excipiunt. Teſte enim *P. Scherero* corporis cuſtodiam in Abaſſynorum Jmperio unà conſtituunt 35000. peditum & 5000. equitum.

§. IV.
DE ORIGINE, PROGRESSU ET REBUS ALIIS ABASSYNORUM.

ABaſſynos à Chaldæis originem traxiſſe, & ex Aſſyriorum Regno in Africam vetuſtiſſimis jam ſeculis tranſiiſſe tradit ex Nicephoro *Chriſtianus Funccius*. Nomen hoc ſuum à diverſis diverſiſſimè pronuntiatum, debere creduntur Arabum linguæ; quamvis Abaſſyni Chaldæorum linguâ utantur, dum ad aras faciunt. Regimen Jmperatoris eſt partim Monarchicum, partim Deſpoticum, ita ut non tantùm inferioris, ſed & ſuperioris ordinis homines co-

gan-

gantur eſſe ſervi. Quo faciliùs verò Abaſſyni ſupremo capiti ſerviant, cauſa eſt, quòd eidem ſanctum & prope divinum aliquid ineſſe ratum fixum habeant. Ut vicinæ Turcarum, Arabum aliorúmque hoſtium poſſint reſiſtere potentiæ, amicitiam colunt Abaſſyni cum Luſitanis maximè, à quibus arma ſæpe & conſilia petunt, atque artem militandi ampliùs perdiſcunt. Opes Jmperatori tametſi terra ipſa pariat, tanta tamen minimè eſt redituum ſumma, quantam Jmperatorum aliorum in Europa & Aſia eſſe intelleximus, eò quòd ab artibus & mercatura vix magnum exſpectent lucrum. Nec militia eorundem comparanda eſt facilè cum Turcarum aut Perſarum Marte: Abaſſyni namque corporis viribus infirmiores, & non niſi vi metúque ſæpe coacti, ac denique arte bellica minùs inſtructi pugnant abſque ordine, fugiunt & vincuntur crebrò: unde magna Jmperij hujus pars à Turcis & hoſtibus Abaſſynorum aliis eſt occupata.

Abaſſynos authorum alij religione Jacobitas in Concilio Chalcedonenſi jam condemnatos, alij alterius nominis dicunt eſſe ſectarios. Chriſtianos ſed ſimul Schiſmaticos appellant omnes, quòd præter Patriarcham ſuum in terris ſupremum Præſulem non admittant, niſi fortè eorundem Jmperatorem excipias, quem *Joannem Præſbyterum* nominare conſueverunt priſtinis jam temporibus. Hoc ipſum nomen à multis authoribus diſquiſitum & examinatum legere eſt in *Athan. Kircheri China illuſtrata, Chriſtian Funccio & aliis.*

Infantes recèns natos baptizant, utrumque nihilominus ſexum, pueros nimirum die ætat. 40. fœminas verò 80. circumcidendos eſſe tradunt. In ſtatu Eccleſiaſtico Abaſſyni Sacerdotes Clerici & Monachi ſunt plurimi, qui vel D. Antonij, vel Baſilij rigidiſſimè dicuntur cuſtodire regulam. Quin ipſorum Abaſſynorum militum, non dicam civium, adeò ſeverum eſſe dicitur jejunium, ut 50. dierum intervallo per annos ſingulos ita vires frangere cogantur, ut pedes denique vix pares inveniantur ſuſtinendæ moli corporis. Probè gnari ſeveritatis hujus vicini Arabes & Mauri movere bellum ſolent Abaſſynis, cùm infirma hoſtium nôrunt corpora. Hæc compendiô data ſufficiant, qui plura requirunt, *legant citt. authores.*

§. V.

TABULA TOPOGRAPHICA
DE REGNO ZANGUEBAR.

ZAnguebar juxta Jmperium Abaſſynum à Caffraria uſque ad Ægyptum & mare Arabicum protenſa Provincia dividitur in Orientalem & Auſtralem; in parte priori ſunt Regio Abex ad mare Rubrum & Arabicum ſub poteſtate Turcarum. Item Regio Adel, Adea, Magadezo, Brava & Ajania, quæ ſuis ſubduntur Regulis, quorum alij Jmperatori Abaſſynorum, alij Turcarum tributa ſolvunt. Pars Auſtralis, ſeu infra Æquatorem poſita continet Regiones aut portus Melindam, Monbazam, Quiloam, Mozambicam, Angocham & Mongallo, quorum plerique ſuis ſubjiciuntur Regulis; pars tamen ſubjecta eſt Luſitanorum Regi. Atque hæc Provincia ſanè longiſſima & par magnitudine ſua Regnis, ob vicinum mare & frequentes fluvios eſt perquam fertilis & ob mercimonia Europæ, Aſiæ & Africæ celebris.

ANGULUS AFRICÆ II.
TABULA CHOROGRAPHICA I.

§. I.

DE BARBARIA.

BArbaria ad mare Mediterraneum adjacens tantæ eſt longitudinis, ut hujus maris longitudinem ferè adæquet, atque adeò milliaria Germanica 750. circiter numeret. Latitudo è contrario eſt parva & varia ita, ut nunc 20. nunc 30. nunc 50. nunc 100. dicat milliaria.

Dividitur Barbaria in VI. diverſa Regna, nimirum I. In Regnum Feſſanum, II. Marroccanum, III. Algerianum IV. Tunetanum, V. Tripolitanum, VI. Barcanum.

TA-

§. II.

TABULA CHOROGRAPHICA I.

DE REGNO FESSANO ET MAROCCANO.

REgnum Feſſanum columnis Herculis, atque adeò Hiſpaniæ proximum complectitur urbes ſequentes, Feſſam, ſeu Fezzam, Fez. Salam, Salee. Miqueneſiam, Miquenez. Arzillam, Arzill. Cæſarea Tingitana, Caſſar. Septa, ſeu Ceuta. Teteguina, Tetucan. Melila. Lixa, Larache. Velia rupes, Pennon de Velez &c. ſunt ſub poteſtate Hiſpanorum.

Regnum Maroccanum dividitur in VII. aut VIII. Provincias. I. Eſt Marocco. II. eſt Ducala. III. Omirabih, aut veriùs Azafia. IV. Haſchora. V. Suſa. VI. Tagavoſtum. VII. Tedneſta.

Regnum hoc Fez-Moroccanum hodie dictum eſt, quòd Regnum utrumque ſubjiciatur uni Regi, qui glorioſum Jmperatoris nomen ſibi poſtulat; nomen tamdiu eidem neutiquam invidendum, quamdiu Jmperatorum aut Regum nemini injuriam pepererit. Regnum autem Feſſanum circa annum Chriſti 800. condidêre Ommiadæ ex Syria per mare Mediterraneum fugitivi, partim Hiſpaniæ, partim Africæ Hiſpanis proximæ Provincias petiêre. Ex his oriundus Idris Rex prope Atlantem montem in Mauritania, quo nomine olim vocabantur hæc Regna, urbem Fez condidit, poſita in eadem Sede Regia. Urbs hæc ingens moles operæ & artis opus Mahometanis dicta eſt Porta Occidentalis, quemadmodum Cairum in Ægypto Porta Orientalis.

Urbs Maroccum caput Regni Maroccani à literis & rebus aliis quondam celebre obtinuit nomen, quod eidem comparârunt inquilini plurimi, qui eò profecti Grammaticæ, Poeſi, Aſtronomiæ & legibus patriis dediſſe operam dicuntur neglectâ ferè omnis conſcientiæ & Theologiæ curâ. Hodie ſilent hìc locorum etiam Muſæ, barbarorum neutiquam hoſpites aut amicæ. Regnum utrumque coaluiſſe unum in Jmperium ante aliquot ſecula ferunt. Fortè factum fuiſſe ritè putamus, cùm Mauri ex Luſitania & Hiſpania maximâ copiâ pulſi per mare Mediterraneum ſeſe in Africam receperunt: nam primùm

mùm ab aliquot Seculis hanc Africæ partem Mahometanis plurimis impletam eſſe ſcimus, poſtquam Hiſpaniæ Regna multo tempore habitata relinquere Catholicis poſſeſſoribus jure merito ſunt compulſi.

Jmperator Fez-Maroccanorum ſolet appellari Xeriffus, aut Sciriffius, perinde ac ſi diceretur *Legum ſupremus interpres & cognatus Mahometis*, quoniam ex hujus ſanguine, quotquot ſe deſcendiſſe opinantur, Xeriffos ſemet appellent in affectando hoc nomine præter alia multa ſuperſtitioſiſſimi. Superſtitioni verò vel exordium feciſſe, vel augmentum adjeciſſe dicitur Seculo XVI. Mahomet Benamettus nomine, cujus ad texendos dolos & fraudes nati facti auſus primos & progreſſus ferè hunc in modum deſcribunt authores varij, quorum verba huc transfero.

Cùm prioribus Seculis aliquis nomine Xeriffius Africam partim ab Arabibus, partim à Luſitanis laceratam cerneret, ſpem occupandæ Mauritaniæ Tingitanæ concepit. Hic è poſteris Mahometis ſe ortum eſſe jactabat, & cùm magnam vitæ auſteritatem populo monſtraret, illum ſibi conciliavit, & ſe primum Xeriffum nominavit. Idem tres filios ſuos iis artibus, quæ animos conciliant, mira calliditate inſtruxit, eoſdémque ad ſepulchrum Mahometis ablegavit, qui iter hoc tanta cum ſanctitatis opinione ingreſſi ſunt, ut felices ſe exiſtimârint Afri obvij, ſi veſtimenta illorum tantùm exoſcularentur. Hi Sycophantæ profunda ducebant ſuſpiria, & lacrymis etiam intermixtis hominum animos in ſe rapiebant: cúmque domum reverſi eſſent, pater duos illorum Fezzam miſit, ex quibus minor inſtitutioni filij Regis admotus eſt: Utrique & aulæ & populo probanti operam ſuam conceſſit Rex vexillum cum tympano æneo & aliquot equitibus, quibuſcum populum circuire & contra hoſtes inflammare poſſet. Confluxit ad hos fratres ingens hominum multitudo; cúmque Luſitanorum ſtrenuus dux, non tamen ſine morte unius ex fratribus his bello victus eſſet, blandis verborum lenociniis effecerunt Xeriffi, ut in urbem Maroccum admitterentur; ſed perfidiâ pleni Regem Maroccanum veneno ſuſtulerunt, eóque facto Hametus Xeriffus unus ex fratribus Regnum ad ſe pertraxit. Hac fortuna turgidi Xeriffi Regem Fezzanum contemnere, eíque tributum, quod promiſerant, negare cœperunt, imò Regi eidem nunciari juſſerunt, ſe ùt Mahometis ſucceſſores à tributo immunes, ſibique plus juris in Afros eſſe, quàm Regi Fezzano, qui cùm fra-

tri-

bus bellum intuliſſet, victus eſt. Tandem inter fratres Hametem & Mahometem diſſidium oritur, cujus eventus hic fuit, ut junior majorem cum Rege Fezzano prælio vicerit, & Regnum occupaverit. Atque hac ratione Jmperium in familiam Xeriffam hactenus devolutum eſt. Ita ferè ad verbum Poppingus & Funccius P. I. de Jmp. Fez-Maroccano.

Cæterùm Jmperium Fez-Maroccanum uſque adeò ad Jmperatoris rem augendam eſt intentum, ut Mauri non decimas tantùm frugum ſuarum, ſed primitias quoque pecoris ſolvere cogantur: eſt & hic tam domuum quàm capitum ſingulorum cenſus. Accedunt vectigalia & alij proventus multi: dicuntur enim cives Feſſani peregrinarum, quæ in urbem invehuntur, mercium quinquageſimam, exteri verò decimam partem perſolvere. Tam equitum quàm peditum Jmperatori huic ingens fertur eſſe numerus, qui fermè in quinque claſſes diſtribuitur: prima claſſis eſt equitum 2700. & pyrabolariorum 2000. altera eſt 6000. equitum, quos Aciem Regalem nuncupant, quoniam hæ nobilium ſunt copiæ. Tertia eſt illorum, qui ex agris ſuis multis pretium exigunt & agmen ipſi conficiunt Quartam ferè conſtituunt Arabes: quintam denique conducti Europæorum more milites. Religionem cuſtodiunt Fez-Maroccani Mahometanam à Turcarum tamen multò diverſam: Mahometanis miſcentur Hebræorum plurimi unà cum Saracenis ex Hiſpania pulſi. Hiſpanis cùm non deſint urbes & oppida hac etiam in Africæ parte, inde etiam tolerantur Chriſtiani duræ ſervituti & multis fraudibus cum violentia conjunctis obnoxij, & horum multi ad lapſum & fidem negandam proni.

§. III.

TABULA CHOROGRAPHICA II.

DE REPUBLICA ALGERIANA.

Regnum olim Algerianum in Reipublicæ methodum hodie mutatum tributa pendit Turcarum Jmperatori, cujus Baſſa, ùt vocant, Algerij ſedem figit ſtabilem, & annis ſingulis promiſſum colligit aurum.

Reſpublica inter Jmperium Feſſanum & Regnum Tunetanum ad mare Mediterraneum media longitudine complectitur ferè 100. milliaria Germanica, latitudine verò 50. aut longè plura.

Urbes in eadem ſunt Algerium, Algier. Conſtantina, olim Citta, Conſtantine. Bugia. Telenſinum, Telenſin. Portus Magnus, Marſalquivir. Bona, olim Hippon. Oranum, Oran.

Algerium urbs hujus Regni aut Reipublicæ hodiernæ maxima tantæ eſt magnitudinis, ut 15000. domorum in eadem habitentur. Numerus hominum longè ſuperat 100000. inter quæ Chriſtianorum plurimos inveniri ajunt, qui Chriſtum negârunt palàm mortis & tormentorum metu territi. Eſt hæc ipſa urbs, quin Reſpublica univerſa ſeminarium piratarum; ad prædandum enim & rapiendum educatur & inſtruitur juventus Agleriana tanto ſuo lucro, ut Luſitanis, Hiſpanis, Gallis, Anglis & Batavis multa diripuerint victores mercibus onuſta navigia totius Europæ dolore ſingulari. Igitur Carolus V. Jmperator & Hiſpanorum Rex potentiſſimus Seculo XVI. claſſem inſtruxit, ut Algerium piratarum ſedem principem impugnaret; verùm tempeſtate maris diſſolutis & ſubmerſis navigiorum multis in Hiſpaniam re infecta eſt reverſus. Exemplum Caroli ſunt ſecuti ſucceſſu temporis Duces varij à Gallorum, Anglorum Regibus & Republica Batavorum cum claſſibus miſſi, quorum tamen omnium vanus labor fuit in expugnanda Algerianorum civitate.

§. IV.

TABULA CHOROGRAPHICA III.

DE REGNO TUNETANO.

REgnum quondam Tunetanum intra mare Mediterraneum, Regnum Tripolitanum & Algerianum medium, hodie more Reipublicæ Algerianæ methodum vivendi obſervat. Nomen accepit ab urbe principe Tunis dicta, quæ 100000. dicitur numerare familias partim Hebræas, partim Mahometanas, quæ hic dominantur ea ratione, ut in ſuo Baſſa Turcarum Jmperatorem venerentur, cui annua tributa ſolvunt. A duobus Seculis variè hoc Regnum fuit im-

imutatum; circa annum namque 1540. Carolus V. Jmperator Tunetanis Regem Conſtituit Hiſpanorum Regi ſubditum. Anno 1570. reſtitutum eſt ſuo Regi, cui denuo Hiſpani auxilia promiſerunt confirmato fœdere. An. 1574. exgugnavit Tunim Amurathes Turcarum Jmperaror, cujus & ſucceſſorum jugo ab ea ætate uſque hodie ſubditur. Urbes in Tunetanis Provinciis ſunt

Tunis Genuenſibus ac Venetis ob merces celebris.

Africa, alio nomine media.

Goleta olim Chriſtianis refertiſſima, hodie magna ſui parte in eorundem carceres immutata.

§. V.

TABULA CHOROGRAPHICA IV.

DE REGNO TRIPOLITANO.

Regnum antiquis Seculis Tripolitanum more priorum converſum eſt in Reipublicæ methodum, quam obſervant maximè Mahometani & Hebræi mercatores Turcarum Jmperatori, aut hujus loco Baſſæ conſtanter præſenti imperata ſolventes tributa. Respublica hæc ad mare Mediterraneum poſt Tunetanum ſita poſt Chriſti incunabula fidem ſervavit Romanis. Seculo XI. aut XII. Chriſtianis Regibus Palæſtinam cum exercitu petentibus eſt aſſertum. Multo & vario tempore propriis obedivit Regibus. Seculo XVI. à Carolo V. fuit expugnatum; ſed & eodem Seculo Chriſtianis à Turcis ereptum. Urbes præ aliis notiores ſunt Tripolis piratarum Tripolitanorum caput. Capes, Ethamma, Mahara, Sarmana &c.

§. VI.

TABULA CHOROGRAPHICA V.

DE REGNO BARCANO.

Regnum Barcanum, aliis minor Libya, aliis Marmarica olim dictum, ad mare Mediterraneum inter Tripolim & Ægyptum eſt tractus longiſſimus, magna ex parte ſterilis & Turcarum jugo ſubditus à multis Seculis. Olim nonnullæ urbes & oppida viſebantur, hodie verò ſola ferè ſupereſt Barca, unde Regio nomen obtinuit.

Cæ-

Cæterùm in memoratis hactenus Barbariæ Regnis magno Eccleſiæ bono nati ſunt Viri à morum probitate & doctrinâ celeberrimi, nimirum

D. Cyprianus ex Rhetoricæ Profeſſore celeberrimo Seculo Chriſti III. electus eſt Epiſcopus Carthaginenſis & Africæ Primas.

D. Auguſtinus in Numidia natus an. 355. Hippone dein mortuus Epiſcopus an. 430. ætatis ſuæ 76.

D. Fulgentius Seculo V. & VI. Ruſpenſis Epiſcopus zeloſiſſimus, quem Seculo II. & IV. præceſſerunt

SS. Victor & Melchiades Romani Pontifices. Sileo multos alios, *de quibus P. Schererum* vide.

§. VII.

TABULA CHOROGRAPHICA VI.

DE LYBIA HODIE BILEDULGERIDIA.

Biledulgeridiæ longiſſimus eſt tractus, à mari nimirum Atlantico uſque ad Ægyptum per leucas Germanicas circiter 750. extenſus, & tantæ propemodum longitudinis montibus, quos ab Atlante Atlanticos dicimus, in altum elevatus. Nomen verò recens dedit tractui Regnum Biledulgeriæ in Libya medium, & inter reliqua maximum, quod unà cum cæteris in varias dividitur Provincias hoc ordine:

I. Teſſet, in qua Teſſetum caput Provinciæ. II. Dhara, in qua hujus nom. urbs cap. Provinc. III. Tafilet. IV. Segelmeſſe. V. Tegorarin. VI. Techort. VII. Guardala. VIII. Biledulgerid Provinciarum omnium ſitu ultima.

Provincias has majori ex parte montanas & deſertas inhabitant duorum hominum ſortes, quarum altera urbes & oppida more aliorum extruxit; altera verò nulli locorum affixa eò vagatur, quò fert vel impetus, vel ſpes prædæ invitat. Sors illa, quæ ſtabilem fixit ſedem, Mahometana ferè imitatur ſacra; altera verò deorum cultui & mille ſuperſtitionibus vacat.

§. VIII.

§. VIII.

TABULA CHOROGRAPHICA VII.

DE ZAHARA OLIM LIBYA EXTERIORE DICTA.

ZAhara eſt itidem tractus longiſſimus, qui alteri adjacens atque inter hujus anguli Regna maxima omnino medius à mari Atlantico protenditur uſque ad Nubiæ Regnum numerans 700. circiter leucas Germanicas; Provinciæ ejus ſunt VII. aut plures Tropico Cancri proximæ, nimirum I. Zanhaga. II. Zuenziga. III. Targa. IV. Saara. V. Lempta. VI. Gaoga. VII. Berda. VIII. Borno. IX. Tegazza.

Zahara ob verticales ſolis radios ſub æſtatem Europæorum patitur æſtus homini vix tolerabiles; namque ob intenſiſſimos calores nigreſcunt homines, comburitur ſuperficies camporum, exiccantur fontes, augetur & incenditur arena, & vix tutam relinquunt homini habitationem feræ Eg. leones, pantheræ, ſtruthiones & ſpuria animalia multa, quæ ob pabuli penuriam pluribus æſtatis menſibus inſidianttur humanis corporibus, aut ſaltem horum fontibus. Has ſimiléſque ob cauſas rari his in terris habitatores valles, ſylvas & fontes tuguriis propinquos quærunt, & ut ſpecus ſubterraneas ſuas ritè cuſtodiant, cum brutis & hominibus bruto non multùm diſſimilibus certare parant ab externis bellis fermè ſecuri, quòd victoriis adversùs hoſce eremicolas obtentis non reſpondeat lucrum aut fructus malè ſperatus. Regimen dicitur eſſe penes diverſas familias, aut ſingulas minimùm Provincias, quæ Mahometis leges obſervant more populi exlegis.

§. IX.

TABULA CHOROGRAPHICA VIII.

DE NIGRITIA.

NIgritia ad Oceanum Occidentalem adſitum terræ ſpatium ampliſſimum inter Zaharam, & Guineam medium complectitur milliaria Germanica longitudine circiter 600. latitudo diverſa numerat nunc 300. nunc 250. nunc 100. nunc pauciora.

Nigritia diſtinguitur in varia omnino Regna, aut veriùs Regiones ſequentibus nominibus noſcendas:

I. Guangaro. II. Cano. III Caſſena. IV. Agades. V. Tombus. VI. Canvia. VII Gualata. VIII. Genehoa. IX. Jouli. Atque hæ omnes dicuntur Boreales.

I. Zanfara. II. Zegzeg. III. Gago. IV. Baugana. V. Cuntori. VI. Manding. VII. Cacagcalis. VIII. Sauſos. IX. Becca. X. Bena. XI. Melli.

Regnum Nigritia appellatur hoc nomine à Nigro Nilo, quem ſibi medium ferè adorat ob perpetuos ferè calores ſolis, quos ſuſtinet Nigritia inter Æquatorem & Tropicum Cancri tota media. Hoc ipſum nomen haud immeritò Regno inditum credunt non pauci ab hominibus inibi natis ſuamet naturâ nigerrimis, & Europæorum oculis multùm primo aſpectu formidandis, præſertim ſi pene toto corpore nudato, & deformem in modum cicatricibus, atque avium pennis diſtincto occurrant ſubitò, quales magno numero videre eſt in interiore Nigritia. Haud parùm verò differunt, qui ad oſtium fluminis Nigri, ſex aut ſeptem alveis in Oceanum Occidentalem ſeſe effundentis, urbes & oppida numero ſat magno extruxerunt mercimoniis Hiſpanorum præſertim Regi minimè ignoti, utpote cui parati ſunt vendere populares ſuos & non rarò liberos, ut ſerviant in Hiſpania & in America ſervitutem. Hiſpanos ſecuti Batavi cum Nigritianis merces comutant, quales ſunt pennæ ſtruthionum, gummi, amra, aurum foſſile &c.

§. X.

TABULA CHOROGRAPHICA IX.

DE GUINEA.

GUinea inter mare Atlanticum, Æthiopicum & Nigritiam prope Æquatorem media ultra 300. milliaria eſt longa, pluribus in partibus 70. aut 80. lata.

Dividitur hodie in Provincias IV. totidem magnis Regnis pares. Harum I. Latinis dicitur Montana Leonum in quatuor Provincias minores ipſa etiam diviſa, nimirum in Bolobere, Caſam, As Alagoas & Timnam.

II.

II. Malaquete appellatur, qua in Provincia ſunt urbes admodum paucæ.

III. Vocatur Guinea ſtrictiùs accepta, quæ diſtinguitur in plura Regna minora, quorum Reguli ſunt varij. Partem Regnorum abundè magnam vendicârunt ſibi Dani & Batavi atque Britanni, quin & Pruſſi cum Suecis.

IV. Accedit Beninum Regnum, vulgò Benin, cujus ſunt variæ urbes & oppida.

Guineam Seculo Chriſti XIV. ingreſſi ſunt Franci, quos ſecuti mercatores Luſitani: at hos & illos denique expulerunt avariſſimi æmuli Europæi Occidentales, qui hodie vim magnam auri, eboris, ſaccari, orizæ &c. in Europam transvehunt, quibus crebrò jungunt pſitacos, pavones, ſimias, quin etiam elephantos.

Inter Æthiopes numerati Guineæ habitatores aut deos colunt, aut Mahometanos imitantur moribus & religione barbari, quibus, ne Romanorum more diſcant credere, Europæi Romæ hoſtes obicem poſitum ſedulò cuſtodiunt.

Guineæ proximum eſt Regnum Biafarum, quod ipſum dividitur in Regnum hujus nominis, item in Regnum Medra, Gabon, Muyack, Giringbomba & Macoco, quæ omnia ſunt Æquatori propinqua, ſed parùm habitata, & ideo etiam Europæ minùs nota.

ANGULUS AFRICÆ III.

ANgulus Africæ tertius infra Æquatorem totus diſtinguitur in quatuor Regna, nimirum in I. Regnum Congo. II. Caffrariam. III. Monomotapam & IV. Monœmugi; de quibus nunc.

§. I.

TABULA CHOROGRAPHICA I.

DE REGNO CONGO.

COngo Regnum inter Regna Biafarum & Caffrariam medium 200. milliaria Germanica æquat facilè ſua longitudine. Vocari etiam conſuevit Æthiopia Media ſive Occidentalis. Dividitur Congo

in I. Regnum Loango. II. Congo. & III. Angolam, quæ etiam in ſuas partes dividuntur;

In Regno enim Loango ſunt, Lovango, Cacongo, Quilongo, Malemba, Mayumba & Setta cum totidem urbibus ejuſdem nominis.

In Regno Congo ſunt Bamba, Batta, Pango, Pemba, Sondo, Songo &c. totidem Provinciarum urbes principes.

In Angola viſuntur Loanda, Dongo, Bengela, Maſſingan ſuârum Provinciarum urbes maximæ.

Non procul his ſunt ſitæ Regiones Anzicanorum, Jaggorum, aliorúmque Æthiopum in montibus *Salis*, item inter lacus Zaire & Aquilunda; denique etiam Regnum Matame, quorum tamen notitiam non habemus niſi obſcuriſſimam.

Regnum Congo montibus, vallibus & fluviis minoribus diſtinctum abundat variis fructibus Europæ pretioſis, præſertim verò pomis citreis. Feræ & aves capiuntur ejuſdem generis, cujus ſunt in aliis Africæ Regnis nobilioribus. Creſcunt in eodem cedri aliæque pretioſi ligni arbores: unde ſui deſunt minimè proventus Regi præpotenti, cujus milites magno numero armantur arcu, ſagittâ, umbone, nodoſis fuſtibus &c. Caput tegitur caprinis pellibus avium pennâ exornatis. Pars noſtris Seculis didicit imitari Luſitanos, dum adversùs hoſtes pugnant pulvere pyreo & gladio, quæ inſtrumenta bellica viris dederunt animos majores, quàm fuerunt quondam, dum 20. Luſitani negotio facili ſuperârunt Congorum 200. Rex priori Seculo à Luſitanis Doctoribus ritè credere doctus ſub Paulo V. & Innocentio XI. Pontificibus Romanis ſuo & Procerum exemplo jam fidelium auxit magnopere numerum, qui tamen ſecundum magnam ſui partem etiam hodie antiqua ſectatur vitia, præſertim verò polygamiam. Regem ſequuntur more Europæorum viri Principes, Comites, Nobiles, cives & agreſtes, quos inter ſervata proportione ſunt diſtributi dominiorum limites, ex quibus ſua tributa ſolvunt Regi. Partem divitiarum non exiguam transvehunt Luſitani hoc in Regno dominorum non poſtremi, qui maximam Angolæ partem occupârunt.

§. II.

§. II.

TABULA CHOROGRAPHICA II.

DE CAFFARIA.

CAffaria alijs Caffraria pars extima Anguli in Africa tertij circumambit ferè Monotapam & extenditur uſque *ad caput bonæ ſpei* dictum; unde Caffariæ etiam caput Meridiem proſpiciens relinquit duplex latus longiſſimum unum ad Orientem, alterum ad Occidentem extenſum. Ad caput bonæ ſpei ſitum eſt caſtrum & Colonia Hollandorum. Pars Orientalis numerat urbes & oppida, ſcilicet Zefalam Jmperatori Monomotapæ factam tributariam; item Dejam, Zimbaum &c. Pars Occidentalis urbibus & oppidis deſtituitur, cùm nationes barbaræ in eadem vagentur abſque ſtabili ſede, quæ potiùs gallorum gallinaceorum more clamant, quàm loquuntur voce hominibus etiam vicinis vix intelligibili. Igitur idem eſt labor ferè, an advenæ cum brutis, an cum hominibus brutorum more viventium agant & pugnent; qua re probè notata Batavi aut ſubactis aut procul pulſis Caffraris partem Meridionalem induſtriâ ſuâ non multis abhinc annis ita excoluerunt, ut eadem Regio inter amæniſſimas Africæ Provincias non immeritò poſſit numerari.

§. III.

TABULA CHOROGRAPHICA III.

DE JMPERIO MONOMOTAPÆ.

IMperium Monomotapæ, aliàs Æthiopia inferior ſeu Auſtralis nominata, inter Jmperium Abaſſynum & Caffariam, nec non Regnum Monœmuginum omnino medium, cordis humani ferè ſpeciem refert longitudine & latitudine ultra 200. æquans milliaria Germanica, ubi eſt longiſſimum & latiſſimum. Authores nonnulli dividunt in Regna complura; alij verò quatuor contenti ſunt. Regnorum

I. Monomotapæ dicitur, in quo urbs Monomotapa cum urbibus aliis facilè 20.

II. Butuæ, in quo hujus nominis urbs princeps cum urbibus aliis circiter 12.

III. Imhambane, in quo Aagag caput Regni cum urbibus aliis quatuor.

IV. Inhamior, in quo Tonge urbs Regni maxima cum urbibus aliis.

Inter ditiſſima totius Africæ Regna primo venit loco teſtibus Luſitanis & Batavis Imperium Monomotapæ ſuâmet naturâ fertiliſſimum ob campos, prata, hortos, agros amæniſſimos, quibus accedunt aurifodinæ ſuo valore ſupra quaſvis alias præſtantes. Unde Jmperatori ingens auri pondus à ſubditis numero copioſiſſimis etiam non imperanti aut exigenti offertur. Divitiæ Jmperatoris Monomotapæ velut omnium aliorum Regum ſunt inſtar brachij ſiniſtri, militaris verò potentia inſtar brachij dextri, quod conſtituunt meri pedites partem corporis ſuperiorem nudi. Reges complures, utì Butuæ, Inhamior &c ſunt Monomotapæ tributarij, quorum tanta eſt in Jmperatorem ſuum reverentia, ut non niſi innixi genibus fas ſit eundem venerari & alloqui. Rex Inhamior priori Seculo à P. Gonſalvo Sylveria è Societate JESU Dogmate Chriſtiano imbutus eſt exemplum Regis, ùt fit, ſequentibus plurimis.

§. IV.

TABULA CHOROGRAPHICA IV.

DE REGNO MONOEMUGORUM.

Regnum hoc juxta Monomotapam inter Jmperium Abaſſynorum & Regnum Zangebar medium ovi imaginem refert: partim in eodem ſunt Provinciæ, partim urbes; Tirut, Gorga, Maboga, Camur, Caſat &c.

Concrevit hoc Regnum, aliis dictum Jmperium, ſenſim ſine ſenſu, dum multiplicati barbari de ſuis montibus familiarum ordine temporis ſucceſſu deſcenderunt, & maximè Abaſſyni Jmperij confinia occupârunt. Haud cuiquam metum incutere primò videri poterat; at cùm principiis non obſtarent Abaſſyni, vicini hoſtes auctis identidem viribus partem Jmperij avulſam partim urbibus, partim vallis & propugnaculis ita inſtruxerunt, ut nullo labore potuerint inde expelli; à quo tamen tempore adeò etiam circumvallantur hoſtibus multis, ut omni propemodum commercio ipſis interdictum ſit.

§. V.

§. V.

TABULA CHOROGRAPHICA V.

AFRICÆ INSULANÆ.

Inſulas Africanas dividimus in IV. partes.

I. Partem Inſularum harum conſtituant inſulæ Canariæ aut etiam Fortunatæ nuncupatæ, quæ omnes ſunt propinquæ Jmperio Marocco. Inſularum Fortunatarum ſunt hæc nomina: Canaria, Teneriffa, Forteventura, Ferro, Gomera, Lancellota, Palma, Gratioſa, Madera.

Inſulæ Canariæ Hiſpanorum Regi hodie ſubjectæ abundant vino optimo, de quo 16000. doliorum annis ferè ſingulis in Angliam avehi feruntur. Bis in anno ſeritur & metitur frumentum copioſiſſimum, nimirum menſe Februario & Majo ſeu Junio. Fructus arborum ſunt multi & rari; quibus accedunt pretioſum ſaccharum dictum Canarium, mel, lac & varij colores. Antequam Europæis ſunt inventæ, non niſi unum ſupremum Numen adorabant homines quondam parùm aſtuti: poſtea Fidei Romanæ myſteria edocti, & ferè in alios homines mutati artes varias mira facilitate didicerunt.

II. Pars Inſularum, dicuntur inſulæ Heſperides ſeu Gorgades, hodie verò Latinis Caput Viride, aliis de Capo Verde, aut Cabo Verde. Nomina inſularum ſunt ferè ſequentia: S. Jacobi. S. Luciæ. S. Nicolai, S. Vincentij, S. Antonij, Inſula Maij &c.

Inſulæ hæ omnes ſunt prope Nigritiam, ubi Niger ſeſe in mare effundit. Inveniſſe has traditur Aloyſius de Cadamoſta à Luſitanorum Rege, ſub cujus hodie etiam ditione eſt, eò cum navigiis miſſus. Minùs hæ ſunt celebres, quàm inſulæ Canariæ.

III. Pars eſt inter Orientem & Auſtrum juxta Zanguebar Regnum; inſularum ibidem omnium maxima Madagaſcar tantæ fertur eſſe magnitudinis, quanta eſt ipſa major Britannia. Galli vocârunt inſulam Delphini, Luſitani verò S. Laurentij. Galli partem exiguam, Luſitani partem occupant potiſſimam.

In IV. parte numerantur inſulæ plurimæ, quarum principes ſunt inſula S. Thomæ, inſula Principis, Ferdinandi, Anniboni, S. Matthæi,

thæi, S. Helenæ, Aſcenſionis, S. Mauritii, Borbonia, quarum hæc ditionis eſt Gallicæ, huic proxima Batavorum, reliquæ verò omnes Luſitanæ. Plures alias minores Africæ inſulas affert *P. Schererus & Geographi varij* ſcilicet *Gladov. Köhlerus, Atlas Weigelij* &c.

§. V.
SYNOPSIS DOMINIORUM IN AFRICA EUROPÆORUM.

ALlata hucuſque totius Africæ ſynopſis nos docuit, tantam eſſe Regum in Europa partim regnandi, partim diteſcendi famem auream, ut cùm deprehenderint, Regna aut Provincias ſuas in Europa terminis conſtringi admodum anguſtis, inde continuò ad nova anhelârint Regna licèt inter mille rerum diſcrimina: poſtquam verò hæc domeſticis poſſeſſoribus eripuerint, ipſi inter ſeſe Europæi armîs certârint invidiâ nova pericula contemnente & arma ſubminiſtrante. In Africa igitur hodie partim Provincias, partim inſulas Europæi Reges tenent, ſcilicet Hiſpanorum, Luſitanorum, Anglorum, Danorum, Suecorum & Respublica Batavorum, quorum avaritia Luſitânis divitias multas ſubtraxit. Qualis verò aut quanta quorumcumque Regum Africana portio, non eſt determinare facilè; cùm ferè annua mutatio hactenus facta ſit & deinceps timenda ab hoſtibus diverſis & tempeſtatibus.

§. VI.
DE NUMERO HOMINUM IN UNIVERSA AFRICA.

AUthores *Lypſiani Lexici* conſiderato totius Africæ ſtatu, quamvis eandem terrarum ſpatio ita magnam eſſe deprehenderint, ut Africæ partem dimidiam univerſæ Europæ æqualem dixerint, ita tamen hominum numero deſtitutam eſſe affirmârunt, ut ſummam incolarum in Europa tantò majorem auſi ſint dicere, quantò major eſt Africa Regionum magnitudine: quæ ſententia cùm fortè ſuis non deſtituatur patronis, adeò tamen firmata non eſt, ut in dubium trahi non poſſit. Tametſi Africæ pars media ob ſolis ardores perintenſos aliáve naturæ vitia habitatorum copiâ non abundet, ingens

gens nihilominus eſt bipedum numerus in finibus Africæ circumquaque univerſis ac ſingulis. Non grave ſit Lectori ſedulo angulos Africæ intueri cunctos; tum fortè non minùs impleri incolis fatebitur, quàm eſt impleta Europa noſtra, quæ ipſa etiam in Hiſpaniæ, Britanniæ, Scotiæ, Germaniæ & præſertim Borealibus Provinciis incolarum copiam continet haud numeroſam. Accedit quòd per hæc Secula noſtra ultima Mahometana polygamia non maritimas modò regiones, ſed ipſa Africæ viſcera gentibus impleverit, ut non paucis millionibus ſumma mortalium creverit, cui augmentum abundè magnum addiderunt ex Europa & Aſia populi plurimi partim animarum zelo, partim verò lucri eò tranſlati causâ & amore potentiſſimo. Quare eorum hìc arridet magìs opinio; qui arbitrati ſunt, in univerſa Africa fortè numerari hodie hominum milliones 140. Argumento fors fuit etiam, quòd Regnorum in Africa numerus major ſit tot millionibus: centum enim & quadraginta diverſa Regna per Africam univerſam reperire haud eſt difficilè. Quodſi verò cuilibet in Africa Regno ſuus non æquè reſpondeat millio hominum integer, non deerunt Regna non pauca alia, quæ duplum aut triplum continent ita, ut unius ſupra millionem exceſſus ſupplere poſſit facilè defectum alterius. Ita in rebus incertiſſimis opinari liceat.

PARS IV.
DE AMERICA.

AD optatam deniqne metam ut pervenire liceat, partem orbis IV. & ultimam aggredimur, cujus more aliarum partium breviſſimum compendium damus miſſuri illos, qui plura deſiderant, ad *P. Schererum* alióſque authores copioſiſſimos.

§. I.
DE MARIBUS ET FLUVIIS CIRCA ET INTRA AMERICAM.

AMerica jungitur mari Glaciali verſus Boream; Oceano Atlantico verſus Ortum. Mari Magellanico verſus Meridiem. Mari Pacifico verſus Occidentem.

Freta minora ſunt plura, Eg. fretum 1. Anian 2. Davis 3. Forbiſcher 4. Hudſonis. 5. Sinus Baffinis. 6. Butonis. 7. S. Laurentij. 8. Vermeio. 9. Mexicanus &c.

Sunt etiam alia marium circa Americam nomina, quæ vicinis Oceani partibus indiderunt diverſa Regna & Provinciæ in America Eg. 1. Mare Canadenſe ſeu Novæ Franciæ. 2. Virginiæ. 3. Californiæ. 4. Novæ Hiſpaniæ. 5. Peruvianum. 6. Chilenſe. 7. Paraquayæ. 8. Braſilicum.

In Septentrionali America ſunt præ reliquis fluvij majores, 1. Fuvius S. Laurentij in mare Atlanticum delabens. 2. Flumen Borbonicum in fretum Butonis deſinens. 3. Flumen Miſſiſippi in ſinum Mexicanum cadens.

In Auſtrali America ſunt majores fluvij, 1. Flumen Amazonum prope Æquatorem in mare ſe effundens. 2. Flumen Hiſpanis Rio de la Plata dictum in mare Magellanicum deſinens.

Fluvij minores ſunt præſertim in America Auſtrali omnino multi Eg. in Guiania & Caribania 1. Marvvynen. 2. Berbice. 3. Cayene. 4. Sinamari. 5. Sarname.

In Braſilia 1. Parayba. 2. Januarius. 3. Real. 4. S. Spiritus. 5. Siape.

In Paraquaya ſeu Paraquaria 1. Parana. 2. Tibagiva. 3. Bermeio. 4. Paraquay. 5. Carcaranna. 6. Yguazu. 7. Urugay &c. Atque ſic de aliis Provinciis.

§. II.

TABULA CHOROGRAPHICA I.

TOTIUS AMERICÆ SEPTENTRIONALIS ET ANGULUS I.

AMericam Septentrionalem non minùs quàm Meridionalem trianguli inſtar intueri liceat, ita ut unus angulus Septentrionem verſus, alter Meridiem, tertius Occidentem porrigatur. Hac itaque ratione invenitur IN ANGULO PRIMO

I. Nova Britannia. II. Nova Dania. III. Nova Francia.

IN ANGULO SECUNDO

II. Novum Mexicum. II. Regnum Mexicanum ſeu Nova Hiſpania. IN ANGULO TERTIO.

III Nova Anglia II. Florida, Virginia &c. III. Archipelagus Mexicanus cum aliis inſulis Americæ Septentrionalis. Atque adeò Americam in VIII. partes dividimus, quæ etiam deſiderant diviſionem in Provincias ſeu partes varias.

I. Nova Britannia & Nova Dania ſunt ſupra Circulum Arcticum polo propinquæ, atque adeò Provinciæ frigidiſſimæ à Suecis & Danis partim hoc, partim priori Seculo inventæ.

Dividitur Nova Britannia in Regiones tres, ſcil. in 1. inſulam Jame. 2. Stopelandiam. 3. in Harvvich Forlandiam, quæ hactenus plus laboris à Britannis fortè requirebant, quàm lucri dabant.

II. Dania Nova necdum eſt culta, nec etiam Danorum coloniis multùm inſtructa.

III. Nova Francia ſeu Canada univerſa, à Nova tamen Anglia hìc diſtincta, dividi poteſt in 1. Franciam Novam ſtrictiùs acceptam, 2. In Louiſiam. 3. In Pentilimnem.

Nova Francia Provincias 1. Saquenayam 2. & Acadiam unà cum tertia parte ſui nominis complectitur, numerátque urbes, oppida & portus Francicis nominibus expreſſos.

Pentilimnis in medio novæ Franciæ & Provinciæ Louiſianæ ſita & hoc nomine appellata eſt à quinque lacubus, quibus hæc ipſa diſtinguitur Provincia. Intra hos lacus varij habitant populi quondam ferociſſimi, hodie verò Gallorum induſtriâ ſedati ſimúlque ſacris Chriſtianis inſtructi. Habitationes horum creſcunt & perficiuntur cum tempore & indies.

Provincia Louiſiana triginta circiter gradibus magna, pars terræ eſt inter Pentilimnem & Novum Mexicum media, à barbaris necdum vacua aut munda; in finibus tamen hodie manſuetior, quoniam Chriſtiana. Stationes ólim barbarorum more diſperſæ cœperunt in urbes, oppida & pagos convenire.

§. III.

TABULA CHOROGRAPHICA II.

DE ANGULO AMERICÆ SEPTENTRIONALIS II. SEU NOVO MEXICO ET REGNO MEXICANO.

I. Novum Mexicum Regnum ampliſſimum inter Regionem Louiſiam, Floridam, Regnum Mexicanum & ſinum Californiæ verſus Occidentem eſt medium atque adeò longum, ut á Regno Mexicano uſque ad fretum Anian 500. circiter leucas Germanicas adæquare dicatur. Latitudo pleriſque in partibus ſuperat 200. milliaria. Ferè totum aut magna ſaltem pars Hiſpanorum Regi paret.

Mexicum Novum dividunt nonnulli Geographi in partem Septentrionalem & Auſtralem; in priori urbs maxima eſt S. Fidei, ſeu Granata nova dicta. Dividitur hæc pars in Provincias complures, in quibus urbium principum loco ſunt oppida Provinciarum capita, utì ſunt oppida S. Crucis, Bartholomæi, Bernardini, Antonij, Didaci, Dominici, aliáque multa Hiſpanorum hodierno more Divorum nominibus nuncupata.

Pars Auſtralis diſtinguitur in Provincias tres, nimirum I. in Cinalvam II. Novam Biſcaiam III. Sonoram, in quibus paucæ ſunt urbes,

urbes, plura autem oppida. Inter urbes eminent Cinalva, Culiacanum, Fanum S. Barbaræ, urbs S. Crucis &c.

II. Regnum Mexicanum ſeu nova Hiſpania infra novum Mexicum & ſinum Mexicanum ſitum, Meridiem verſus jungitur mari del Zur ſeu Pacifico: longitudine ſua cedit neutiquam Novo Mexico, quamvis æqualis ſit minimè latitudinis. Dividitur hoc Regnum in tres Provincias, quas vocant tria tribunalia ſeu vulgò *Audientias*, quæ veniunt his nominibus

I. Quadalajaræ II. Mexici. III. Guatimalæ. Hæ ipſæ Provinciæ maximæ ſubdividuntur in minores Provincias, nimirum

Quadalajara 1. in Provinciam hujus ipſius nominis, 2. In Los Zacatecas 3. In Xaliſco & 4. Chiametlan.

Mexicum 1. in Provinciam hujus nominis. 2. In Mechvacan. 3. Tlaſcalam. 4. Quaxacam. 5. Tabaſco & 6. Jucatan.

Guatimala 1. in Provinciam hujus nominis. 2. in Soconuſco. 3. In Chiapan. 4. in Honduras. 5. Nicaraguam. 6. Coſtaricam. 7. Veraguam. His annumerant aliqui Audientiam S. Dominici, de qua in America Auſtrali. Cæterùm utrumque hoc Regnum ferè totum ſub poteſtate hodie eſt Regis Catholici.

§. IV.

TABULA CHOROGRAPHICA III.

DE ANGULO AMERICÆ SEPTENTRIONALIS III. SEU NOVA ANGLIA, FLORIDA ET ARCHIPELAGO MEXICANO.

Nova Anglia in Boreali America infra Novam Franciam conſtituta dividitur in VII. Provincias, quarum

I. Nova Anglia ſtrictiori modo accepta. II. Regio Eboracenſis, quondam Novum Belgium, dum Batavis parebat. III. Nova Cæſarea. IV. Penſylvania. V. Mariana. VI. Carolina. VII. Pars Virginiæ. Atque has in Provincias priori præſertim Seculo populi multi partim Anglorum hoſtes, partim ſervi, partim etiam amici ſunt translati navigiis, qui extructis multis urbibus & oppidis Rei-

 publicæ

publicæ Anglicanæ aut hujus Regi mirum in modum prodeſſe cœperunt: urbes ferè iiſdem ſonant nominibus, quibus appellantur urbes in Europa Anglicanæ Eg. Barvicum, Cantabrigia, Edenburgum, Londinum, Eboracum, quibus tamen acceſſerunt nomina nova Eg. Philadelphia, Carolina, Marienſtadium, partim Græcis partim Germanis jam vetuſta & nota.

Partem novæ Franciæ aut Angliæ occupâſſe dicuntur Sueci & Hollandi, licèt horum poſteriores ab Anglis & Gallis ſuperati partem magnam amiſerint: unde nomen novæ Sueciæ,

II. Florida Provincia inter novam Franciam, Novam Angliam, Sinum Mexicanum & novum Mexicum media dividitur in Provinciam propriè dictam Floridam & Apalachiam, ex quibus Angli pulſis Gallis, maximam partem Floridæ & indigenis barbaris omnes ferè Regiones occupârunt.

III. Archipelagus Mexicanus inter Americam Septentrionalem & Auſtralem medius complectitur inſulas complures, quas inter duæ maximæ ſunt inſulæ

I. Cuba, ſive *Ferdinanda*, in qua ſunt urbes S. Jacobi, Havana, ſeu S. Chriſtophori, S. Salvatoris, S. Spiritus, SS. Trinitatis, S. Antonij &c.

II. Hayti hodie *Hiſpaniola* & Iſabella dicta, in qua ſunt ſedes & urbes principes S. Dominici, Conceptionis Immac. S. Jacobi cum Promontoriis variis. Vocantur hæ ipſæ inſulæ Antillæ.

III. Inſulæ his duabus minores ſunt Charibæ, aliis Charibum appellatæ, ex quibus ſub ditione Gallorum 16. aut longè plures nominibus partim Hiſpanis, partim Francicis ſunt notatæ. Pars inſularum alia ſubditur Anglis, alia Hollandis, alia Caribarum ipſis indigenis.

IV. Inſulis Charibum ſupra Æquatorem opponuntur inſulæ Lucayæ, quæ videntur eſſe ditionis variæ.

V. Inſulæ his longè ſuperiores ad Sinum S. Laurentij ſitæ vocantur inſulæ Novæ Franciæ, quarum tamen alias Franci, alias Hollandi, alias Angli armîs ſibi vendicârunt: eminet verò inter omnes maximè inſula *Terra Nova* dicta, quæ ſua magnitudine Britanniæ majori

majori Europæ dicitur eſſe æqualis. Partem hujus maximam relicta indigenis parte ſylveſtri Franci, Angli, Hollandi inter ſeſe diviſerunt.

Inſulas Bermudes, ſeu potiùs inſularum congeriem ſubdiderunt ſibi Angli.

VI. Inter inſulas Americæ Borealis jure veniunt Carolinæ, ſeu Californiæ uno nomine dicta Inſula, quæ inſularum omnium in toto terrarum dicitur eſſe maxima infra Americam Borealem verſus Occidentem ſita, pluribúſque oppidis & promontoriis ab Hiſpanis inſtructa.

§. V.

TABULA CHOROGRAPHICA IV.

TOTIUS AMERICÆ AUSTRALIS ET ANGULUS I.

America Auſtralis in tres diſtinguitur angulos, quorum primus Septentrionem verſus, alter Orientem, tertius Meridiem excurrit.

In Angulo I. continentur Terra firma. II. Guiana & Caribana. III. Regio Amazonum. IV. Peruvium.

In Angulo II. ſunt I. Braſilia & II. Paraquaria.

In Angulo III. inveniuntur I. Chile. II. Terra Magellanica cum inſulis.

I. Terra Firma in varias Provincias diſtinguitur, quas Hiſpani Gubernationes appellant: earundem omnium

I. dicitur Terra Firma propriè talis. II. De Carthagena. III. De Popayan. IV. De S. Martha. V. De la Hacha. VI. De Vencesvala. VII. De Paria ſeu Nova Andaluſia. VIII. De Granada. Ejuſdem nominis ſunt urbes principes in his Provinciis.

II. Guiana & Caribania ſunt duæ Regiones ſat amplæ ſupra ipſum Æquatorem inter Terram firmam & Regionem Amazonum poſitæ, quarum prima ferè ſubeſt adhuc ſuo Regulo barbarorum Domino. Altera partim Gallis, partim Hollandis eſt ſubjecta; partem minorem occupârunt Angli

III.

III. Regio Amazonum ſpatioſiſſima infra Æquatorem inter Terram firmam, Guianam, Braſiliam, Paraquariam & Peruvium media nomen ſuum ſortita eſſe fertur, quòd viſæ ſint ex Europa advenis fœminæ multæ arcu & ſagittâ inſtructæ. Teſtibus Luſitanis Regio Amazonum Europæis nondum penitus eſt perſpecta, nec habitari cœpta, niſi in finibus, in quibus habitationes mercimoniis aptas extruxerunt Luſitani.

IV. Peruvium Regnum in Zona Torrida conſtitutum inter Regionem Amazonum, Chile & mare ſui nominis medium ſubditur Regi Hiſpaniæ. Dividitur & ipſum veluti Regnum Mexicanum in tres Provincias, quas Hiſpani Audientias appellare conſueverunt. Harum eſt

I. Quitenſis, in qua ejuſdem nominis urbs & caput provinciæ. Acceſſerunt urbes complures non ignobiles: quin præter Quitenſem Provinciam ſunt duæ minores Provinciæ, nimirum Los Quixos & Pacomoros, quæ complectuntur etiam urbes Hiſpanarum urbium nominibus notas Eg. Baezam, Archidonam, Avilam, Sevillam, urbem S. Jacobi, Loyolam.

II. Provincia ſeu Audientia vocatur Limana ab urbe Lima, aliàs dicitur etiam Provincia *Peruana*, in qua reperiuntur urbes Hiſpanicæ multæ Divorum nominibus appellatæ Eg. S. Joannis, S. Jacobi, S. Michaelis.

III. Audientia appellatur de la Plata, ſeu etiam Argentina, quæ dividitur in duas minores Provincias, nempe in Los Moxos & Los Chareas. Urbes in his ſunt nobiliores Caniſiana, la Plata ſeu Argentina, urbs S. Joannis, S. Crncis, B. Virginis &c.

§. VI.

TABULA CHOROGRAPHICA V.

DE ANGULO AMERICÆ AUSTRALIS II. SEU DE BRASILIA ET PARAQUARIA.

I. Braſilia infra Æquatorem poſita Regio ampliſſima quatuor Conſtat angulis duobus in mare Braſilicum, & duobus aliis verſus Regionem Amazonum extenſis. Ferè tota hodie ſub ditione Luſitano-

norum dividitur in XIV. Præfecturas Luſitanis Capitanias appellatas. Nomina Provinciarum ſunt

I. Para. II. Maragnan. III. Siara. IV. Rio Grande. V. Baraiba. VI. Tamaraca. VII. Fernambuco. VIII. Seregippe. IX. Bahia de Todos los Sanctos. X. Ilheos. XI. Porto Seguro. XII. Rio Janeiro. XIII. Spiritu ſancto. & XIV. S. Vincentij.

II. Paraquaria ſeu Paraquaja à flumine hujus nominis appellationem accipiens juxta Braſiliam partim ſupra, partim infra Tropicum Capricorni collocata eſt ferè ejuſdem magnitudinis, cujus eſt Braſilia; in VI. tamen dividitur duntaxat Provincias pauciſſimis urbibus & oppidis exornatas. Provinciarum

1. *Chaco* dicitur, in qua princeps locus à Conceptione Immac. appellatur.

2. *Guayrana*, in qua Reductio S. Ignatij, item Reductio Lauretana & S. Xaverij.

3. Tucumania, in qua ſunt IV. ſequentes urbes S. Jacobi, Corduba, S. Michaelis, S. Salvatoris &c.

4. *Paraquaria* propriè dicta, in qua urbes Boni Aeris, Hiſpanis *Buenos Ayres*, Aſſumptionis, S. Fidei & Spiritus Sancti.

5. *Parana*, in qua Reductiones S. Ignatij, Nativitatis B. V. S. Mariæ, SS. Sacramenti.

6. *Urugaya*, in qua Reductiones Conceptionis B. V. S. Nicolai, SS. trium Regum, S. Joſephi & S. Chriſtophori. Omnes ſunt ſub ditione Hiſpanica.

§. VII.

TABULA CHOROGRAPHICA VI.

DE ANGULO AMERICÆ AUSTRALIS III. SEU DE CHILE ET TERRA MAGELLANICA.

I. Chilenſis Regio infra Tropicum Capricorni inter Regnum Peruanum & Terram Magellanicam media tantæ eſt longitudinis, ut hac 300. milliaria Germanica adæquare dicatur, latitudine verò nunc 80. nunc 90. &c. Tota ferè Hiſpanis eſt ſubdita. Dividitur in Provincias tres, quarum

I. Chile 1. propriè dicitur, in qua ſunt urbes S. Jacobi, Quilata & Serena cum promontoriis variis.

2. Jmperialis, in qua ſunt urbes variæ & oppida ab Hiſpanis nominatæ.

3. Chicuito ſeu Cuyo, in qua ſunt urbes S. Jacobi & S. Joannis.

II. Terra Magellanica eſt extrema Americæ Auſtralis pars & infima; infra Paraquariam & Provinciam Chilenſem verſus polum Antarcticum deſcendens. Regio hæc ampliſſima à ſolis radiis eſt admodum remota, non minùs obnoxia frigori & tempeſtatibus variis, quàm Zona altera polo alteri proxima; unde ab Hiſpanis quidem luſtrata, ſed & denuo relicta pergit nutrire homines à ſacris & morum probitate minimè laudandos. Lapponibus Europæis qui dixerit nequiores, fortè in compendio rem dixerit: unde nec urbes nec oppida habitare dicuntur, & vix ullo cum exteris commercio utuntur.

III. Inſulæ Auſtralis Americæ dividuntur in tres partes

Pars I. complectitur Maris Pacifici inſulas, quales ſunt numero multæ. Eg. Salomonis, S. Jacobi, Iſabella, de JEſu, S. Ambroſij, S. Felicis, S. Magdalenæ, S. Petri.

Pars II. continet inſulas Maris Braſilici, quales ſunt S. Alexij, S. Barbaræ, S. Catharinæ, S. Claræ, SS. Trinitatis, Aſcenſionis &c.

Pars III. habet inſulas Maris Magellanici, ſcilicet DD. Apoſtolorum, 4. Evangeliſtarum, S. Jldefonſi, de Gonzalo, Deiparæ &c, quæ omnes ſunt ditionis diverſæ, nimirum Hiſpanicæ, Luſitanæ, Hollandicæ &c.

§. VIII.
DE ORIGINE ET PROGRESSU GENTIUM IN AMERICA VETUSTARUM.

POſtquam tandem Seculo Chriſti XV. Europæi, nimirum Chriſtophorus Columbus patriâ Genuenſis, & paulò poſt Americus Veſputius Hetruſcus Navarchi Duce Deo & ſecundiſſimo vento partem terrarum reliquam, de inventoris nomine Americam appellatam invenerunt, tum verò Europæorum ingenia, velut de ſomno excitata inquirere mox cœperunt, *quæ patria, unde domo?* hoc eſt: quæ origo

origo aut adventus novorum mortalium in hanc abſconditam hactenus orbis partem? Inter opiniones & ſententias tum privatas, tum publicas multas & varias nonnulli auſi ſunt diſquirere, an Americani hi noviſſimi ex Adami ſemine oriundi, an longè poſtea creati à Conditore hominum, longè diverſum nacti fuiſſent protoparentem: an denique mediam quondam inter homines & ſimios ſpeciem conſtituerent? unde incubuit authoribus multis laborare, ut fatuam hanc mentem malè doctis & parùm in *S. Codice* domeſticis ingeniis eximerent ſimúlque palam univerſis facerent, hoc in terrarum orbe unum omnium hominum parentem Adamum poſt ſeſe reliquiſſe Noemum propagatorem humani generis univerſi. Inter authores eos jure numeratus fuit *P. Joſephus Acoſta* Societatis noſtræ vir quondam eruditiſſimus, de quo talia refert *Chriſtianus Funccius: doctiſſimè Argumenta de Origine gentis Americanæ L. 1. Hiſt. Americ. examinavit Acoſta, perveniſſe illuc homines ex Europa, Aſia, Africa ipſe tradens.* Idem *Funccius* de eodem *Acoſta* ſequenti pagina recenſet: *quæ conditio ac ſtatus Americanorum ante Hiſpanorum fuerit adventum, diſcere id poſſumus omne ex Joſephi Acoſtæ doctiſſimi pariter ac ſapientiſſimi JEſuitæ Hiſtoria Americana, qua complexus eſt Hiſtoriam Americæ Naturalem, Civilem & Eccleſiaſticam ea fide, ea accuratâ curâ, ut non dubitemus eundem inter politiſſimos hujus argumenti ſcriptores referre. Scripta autem illius Hiſtoria Americana habetur primùm Hiſpanicè: verſa deinde fuit in ſermonem Belgicum, ex hoc in Germanicum. Certè igitur qui aſpirat ad cognititionem rerum Americanarum Civilium, magnum ex Acoſtæ opere hoc Hiſtorico fructum poteſt percipere. Nunquam, nunquam illius Hiſtoriam Novi Orbis legere licet ſine admiratione: ſunt enimvero ibidem omnia ſtupenda. Potuit autem nemo meliùs Acoſtâ* Argumentum *hoc tractare: ipſe enim per 18. annos in America vixerat, fuerátque longè doctiſſimus & patientiſſimus Jeſuita, ſincerè omnia enarrans.* Hæc & plura alia de Acoſta noſtro *Funccius Acatholicus*.

Quamvis igitur potiorum opinio ferat, non modò ex Europa, ſed Aſia demum & Africa poſt multiplicatam denuo gentem perveniſſe propagatores Americani populi, non deſunt tamen, qui unà cum *Joanne Lætio* audacter pronuntiant, tenendum omnino eſſe, quòd, cùm America latiùs pateat, ac non minùs ferè habitata fuerit

rit Seculis etiam vetuſtiſſimis, quàm Europa, aut pars orbis alia, confeſtim poſt confuſionem linguarum in Americam ex Aſia migratum fuerit. Ex his paucis conjecturam facere Lectori lubeat, tam originem quàm progreſſum Gentis Americanæ ne quidem nomine tenus quondam notæ, hodie non modò Europæis, ſed & ipſis Americanis ignotum & incertum haberi.

§. IX.
DE STATU AMERICÆ CIVILI POST ADVENTUM EUROPÆORUM.

CHriſtophorum Columbum Europæorum omnium in inſulas Americæ Borealis Navarchum primum, Americum verò Navarchum ſecundum in Terram Firmam uſque delatum, & horum utrumque an. 1505. piè mortuum partim comitati, partim ſecundis ventis ſecuti ſunt Hiſpanorum & Luſitanorum multi. Vix innotuit Europæ de horum ſucceſſu proſpero, mox æmulatio, invidia & avaritia ſuſcitavit Hiſpanorum & Luſitanorum hoſtes Gallos, Anglos, Batavos, Danos & Suecos, qui promptis navigiis Indiam Occidentis petiverunt etiam extra Europam debellaturi Europæos: unde in inſulis præcipuè pugnatum eſt ab inimicis partibus pro novis focis & aris, donec denique poſt varias pugnas & victorias Hiſpani in America Boreali & Meridionali præ reliquis populis partem continentis & inſularum majorem impetrârunt & conſervârunt. Ditiones proinde in America Hiſpanas moderantur Regis loco Præfecti duo ſupremi, Pro-Reges dicti, Mexicanus nimirum in parte Septentrionali, Limanus verò in parte Auſtrali, luſtris ſingulis hactenus mutati & deinceps mutandi, provido Regis Hiſpani conſilio, ne nimirum Regimen diuturnum arrogantiam pariat, ne item inter Hiſpaniæ Proceres invidiæ ſit locus, ſed potiùs honores publici & ſuprema miniſteria concedantur ſucceſſu temporis pluribus. Hiſce duobus Vicariis Regiis morem gerunt Præfecti per Americam multi Hiſpanorum regulis in rebus cunctis abundè inſtructi.

Luſitani porrò in Boreali America Provincias hodie non poſſident, atque in Meridionali adeò ſunt periclitati ſedibus ſuis jam priſtinis

ſtinis, ut niſi armorum vi Batavos ex Braſilia & ſuis inſulis ejeciſſent, ferè extorrium inſtar derelictâ penitus Americâ in Europam regredi compulſi fuiſſent. Per Braſiliam igitur & inſulas Luſitanas Regis loco imperat Vicarius, Pro-Rex dictus, cujus mandata proſequuntur octo minores ipſo Præfecti, Capitanei vocati. In urbe, cui ab omnibus Sanctis nomen, extructa eſt ſedes Regia.

Rex Gallorum Americæ Borealis partem inter Reges occupavit in ſpatio maximam. Urbs Gallorum princeps eſt *Guebecum*, ubi ſedet ſupremus Gubernator ſua ſub poteſtate numerans Præfectos complures tam civiles, quàm militares, more ac methodo Gallorum in Europa proprio cuncta dirigens, ad nutum Regis interea & ipſe intentus.

Regina Anglorum Eſiſabetha in Septentrionali America tractum abundè longum unà cum Provincia, quam Virginiam appellârunt, Americanis eripuit. Augmentum addiderunt ſucceſſores Reges, qui devictis Hollandis Provinciam, Novum Belgium vocatam ademerunt. Continenti acceſſerunt inſulæ in Boreali & Meridionali America permultæ, quibus omnibus præſidet Societas Anglicana Reipublicæ normam in rebus cunctis etiam per Americam obſervans.

Hollandi hodie tam in America Boreali, quàm Auſtrali poſſident partes Provinciarum & inſularum varias, non tamen amplas. Regimen eorundem haud multùm abhorret à methodo Anglorum: Societas nimirum Hollandica colonias paſſim per Americam præſertim Borealem ducit, commmercia auget, leges præſcribit, & ſibi prodeſſe in rebus omnibus ſtudet, ut æmulis noceat.

Poſt hos in Americam denique penetrârunt ſub ſignis Regiis Sueci, qui inter Virginiam & Novum Belgium, atque alibi Regiones quaſpiam maritimas expugnârunt: nomina Dominiorum Suecicorum celebriora ſunt hæc: Arx Chriſtiana, Gottenburg, Guſtavenburg, Elſenburg &c. quibus incrementum facere meditatur Præfectus Regius.

Dani ab Europæis præventi Regibus Regiones Boreæ propinquas potiùs inquirunt, quàm ſecurè poſſident; unde Danorum Regimen hodie in America eſt inſtabile, & more navarchico inſtructum.

Poſt Europæos in terra patria ſua veniunt Americani partis deterioris & etiamnum confuſi domini: in partes enim polo utrique ſubjectas, vel nimiùm calidas, vel montoſas, vel mercium parùm feraces cùm venire hactenus non multùm laborârint & Hiſpani & Lutani & minùs fortè Franci, Angli & Hollandi, hac de cauſa, ſi Sacerdotes Catholicos excipias meritò, nemo Europæorum facilè deſiderat grave onus in ſe ſuſcipere, ut loca acceſſu difficillima juxta ac periculoſiſſima adeat, cùm gens barbara hodie ſit longè magìs, quàm quondam, armorum diverſo genere inſtructa, viribus frera, in cuneos collecta, & tandem etiam à ſuis Regulis ſacrificulíſque vitioſiſſimis, quò minùs ſeſe Europæorum potentiæ ſubjiciant, imbuta: cui rei cauſam dediſſe etiam fertur Hiſpanorum nimiùm ſevera quondam in capiendos & captivos indigenas tractandi ratio. Indigenis itaque Americanis ſua relicta eſt libertas & dominium hucuſque per Americam Septentrionalem in parte non modica Regni Anian, Novæ Daniæ, Novæ Brittanniæ, Novi Mexici polo propinquioris, Novæ Franciæ interioris, Novæ Angliæ & vicinarum Provinciarum, inſulæ Californiæ, inſularum Lucayarum & Antillarum, ubi nimirum difficilis eſt acceſſus terra ſylveſtris & petroſa.

In America Meridionali dominorum more agunt Reguli in Regione vaſtiſſima Amazonum, in parte interioris Braſiliæ & montanæ, Paraquariæ ſecretioris & ſylveſtris, in periculoſis receſſibus Peruvij & terræ Chilenſis, Magellanicæ & ignivomæ. Ex quibus fas eſt colligere partem univerſæ Americæ fortè majorem, aut certò meliorem occupari ab advenis & converſis ad Chriſtum Americanis; minorem verò atque deteriorem ſervari ab indigenis haud ſimplici commiſeratione dignis, utpote qui bonis majoribus ſunt orbati admodum, dum neſciunt æſtimare minora, propter copiam etiam inopes. Inter bona minora jure numeramus uniones, aurum, argentum, metalla, ligna pretioſa, animalia omnino diverſa in aere, terra & aqua, fructus terræ & arborum in potioribus Americæ Provinciis & inſulis copioſos. Argumenti loco fortiſſimi ſit Lectori, quòd aliàs tanto ſtudio nequaquam decertarent duobus jam Seculis Europæorum plurimi divitiarum avidiſſimi de America.

§. X.

§. X.
DE RELIGIONE AMERICANORUM.

DEO ter Optimo Maximo dicat laudes omnis ætas & natio, quòd ultimis ſaltem his Seculis noſtris in Americam ſeu Indiam Occidentalem operarios ſuos vocârit ad colligendam meſſem copioſiſſimam. Operariorum omnium primi, teſte P. Scherero noſtro hanc in terrarum partem venerunt Patres ex Ordine D. Franciſci celeberrimo; eoſdem inter eminuerunt P. Corteſius Regnum Mexicanum circa annum 1520. & P. Marcus de Nizza Mexicum an. 1533. magnis paſſibus ingreſſi. Hi multorum anteſignani poſt ſe traxerunt non paucos tum ex Clero, tum ex diverſo Religioſorum ſtatu viros ad labores graviſſimos in vita & morte ſubeundos, dum poſt tranſactos in ærumnis maximis annos multos inter tormenta barbarorum crebrò exquiſitiſſima denique in cœlos avolârunt: in ſolo namque Regno Mexici utroque intra breve temporis intervallum numeravit Ordo Seraphicus ultra 30. Martyres, quorum numerum auxerunt deinde è Societate JESU Athletæ complures. Hos poſteriores in Agrum Domini præcucurrerunt an. 1526. ex D. Dominici Monaſteriis Sacerdotes duodecim, qui unà cum ſubſecutis Sociis intra annorum haud multorum intercapedinem 70. Monaſteria erexerunt, ſimúlque Eccleſiæ Americanæ 18. Epiſcopos ſuffecerunt.

Familiam D. Dominici in Regnum Mexicanum an. 1532. inſecutus eſt virorum ſeptem Apoſtolico zelo accenſorum ex Ordine D. Auguſtini optatiſſimus manipulus, in quo præclarè de America meritus eſt P. Antonius de Roa, qui inter aſperrimas Provinciæ Malango rupes ſingulari vitæ auſteritate & raris virtutum exemplis copioſum barbarorum numerum Aris Chriſtianis adduxit.

An. 1572. ſeptendecim ſimul è Societate Miſſionarij, ùt vocamus, & mox alii in Mexicum appulerunt, qui erectis Lyceis, Gymnaſiis & Sodalitiis attraxerunt avidiſſimum populum. Operam iiſdem junxerunt indefeſſam Sacerdotes Canonici & Clerici numero plurimi, Viri item Religioſi de monte Carmelo dicti, Capuccini, Fratres de Miſericordia aliíque.

Ut

Ut denique omni ex parte ſuccurreretur Americæ, Jmperatrix Iſabella Caroli V. conjux Catholica ſimul & Auguſta ex Hiſpania in Mexicum omni virtutum genere inſtructas dimiſit Virgines, quas dein ſecutæ longè plures labore ſuo & mirâ induſtriâ gynecæum & plebem etiam Mexicanam multis virtutibus & raris artibus exornârunt. Unde fidem humanam nemini videantur excedere dicta Nicolai Samſonis Geographi, qui abhinc 50. annis de urbis Mexicanæ ſtatu noviſſimo hunc ferme in modum ſcripſit: *habitant urbem hanc Prorex & Gubernator totius Americæ Borealis, item Archiepiſcopus, Præfectus Monetariæ, ſanctæ Inquiſitionis officium, quatuor Hiſpanorum millia, triginta millia Indorum ſive Americanorum, & viginti millia Æthiopum Africanorum. Habet urbs etiam celebrem Academiam & complura Monaſteria Religioſorum & ſacrarum Virginum. Univerſa ditio urbis Mexicanæ complectitur ter mille villas, ducenta & quinquaginta oppida, in quibus numerantur centum quinquaginta Monaſteria, ſcholæ centum, univerſim verò quinquaginta Americanorum millia, qui Hiſpanis tributa pendunt.* Atque hæc de una duntaxat Mexicana Provincia dici intelligant univerſi: ſunt enim Provinciæ in eodem Regno ſex aliæ nec numero hominum, nec rebus aliis minores.

In Novam Franciam ad initium Seculi XVI. pervenêre cum Gallis omnium primi è Societate Operarij, quos inter P. Ennemadus Maſſa Lugduni Gallorum natus inter perpetua vitæ diſcrimina 50. annos convertendis Canadenſibus impendit. Jure nova hæc Francia campus Martyrum eſt vocatus: vix enim in orbe terrarum reperiri ferociores homines, quàm in hac Provincia perhibent:: unde cùm in quoſvis hoſtes ſuos acerbiſſimo modo deſævire conſueverint, ingenij ſui vires barbaras maximè in Romanos Sacerdotes exerunt, quibus, ut ita ferocirent, ſtimulos addidiſſe feruntur Angli & Hollandi Aris Romanis infenſiſſimi etiam in America.

De Reliquis Americæ Septentrionalis partibus tam continentibus, quàm inſulanis dicendum eſt pari modo, quo hactenus dictum eſt de Mexico, Regno Mexicano & Nova Francia; quippe quocunque demum penetrârunt ſigna Regum Chriſtianorum victricia, eò pervenêre, aut veriùs præceſſêre Chriſti vexilla ſacratiſſima; quare cùm ante

ſeſqui

ſeſqui jam Seculum viginti hominum Americanorum Orthodoxis Dogmatis inſtructorum milliones in ſola America Septentrionali numeraverint Sacerdotes Seraphici; inde conjecturare juvat, quàm copioſus hodie in America Chriſticolarum floreat numerus.

Auſtralis Americæ plerasque Provincias, ſi Regionem Amazonum, Terram Magellanicam & Provinciarum aliarum interiores præſertim receſſus exceperimus, Romanæ Fidei luce illuſtratas magis novimus, quàm Americæ Septentrionalis Regiones, eò quòd ipſi indigenæ plurimi ſuomet genio notentur eſſe manſuetiores, patriæ & parentibus ſimiles filij, filiæque. Argumentum accepit alterum minimè vanum: Anglorum quippe & Batavorum auri quàm veritatis longè magis avidorum odiis Meridionalis Americæ pars minùs longè eſt expoſita; Tandem inter poſtremas fors ultima non eſt ratio, quòd Hiſpanorum, Luſitanorum, Jtalorum & Germanorum ſanè multi his noſtris Seculis in Americam Auſtralem advenerint nullo labore aut dolore abſterriti, hoc uno ſatis armati clypeo, quòd occaſio non deeſſet convertendi barbaros ad Aras unius Dei.

Cæterùm Peruvium nobiliſſimam & ditiſſimam non modò Americæ, ſed fortè orbis univerſi Provinciam brevì poſt annum 1520. P. Vincentius Valverde ex Ordine D. Dominici & Sacerdos Clericus, cujus nomen haud notum, vel primi, vel certè inter primos ingreſſi, aditum aperuerunt ſucceſſoribus multis ex Statu Eccleſiaſtico, ùt puta Viros Clericos, & Regulares ex Ord. S. Auguſtini, Ordine Seraphico, Societate JESU &c, quorum Domus Religioſæ tam Limæ, quàm in urbibus aliis cernuntur hodie frequentes. Pari methodo & conjunctâ operâ moderantur Chilem, Paraquariam, Braſiliam & inſularum permultas, quæ ingenti virorum pretio & numero ex Europæa Eccleſia transmiſſorum jam olim conſtiterunt. Hæc umbra Eccleſiæ Americanæ Lectori ſufficiat, ex qua ejusdem Eccleſiæ lucem diſcernere licet hodiè clariſſimam, quam ampliùs oculis aperient facilè *P. Henricus Scherer, Cornel. Hazart noſtri aliique Authores ex Seraphico Ordine &c*, qui pluribus deſcribunt Archiepiſcoporum, Epiſcoporum aliorúmque in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutorum virorum numerum & ſtatum, quos paucis lineis hìc annotare libet.

In America Boreali inter Hiſpanas ditiones ſunt

I. Archiepiſcopus Mexicanus cum Epiſcopis ſibi ſubditis, ſeu Suffraganeis duodecim;

II. Archiepiſcopus S. Dominici cum Suffraganeis quatuor. His accedit Epiſcopus Guebecanus in Nova Francia.

In America Auſtrali inter Hiſpanos & Luſitanos ſunt

I. Archiepiſcopus S. Fidei cum Suffraganeis quatuor;

II. Archiepiſcopus Limanus cum Suffraganeis quinque:

III. Archiepiſcopus de la Plata, cum Suffraganeis tribus.

IV. Archiepiſcopus Chilenſis S. Jacobi cum Suffraganeis duobus.

V. Archiepiſcopus S. Salvatoris in Braſilia cum Suffraganeis duobus.

§. XI.
DE MORIBUS AMERICANORUM.

MOres gentium, utì experientia pridem monſtravit, cum aris mutantur maximè: quare cùm in America Boreali & Auſtrali diverſiſſimæ hodie ſint aræ, diverſi non minùs ſunt hominum mores; Catholici nimirum imitantur Europæos Catholicos, ſervato tamen etiam inter hos diſcrimine, quale in Germania inter Germanos, in Gallia inter Gallos, in Hiſpania inter Hiſpanos & Luſitanos, atque inter hos & illos univerſos experiuntur curioſi gentium & nationum obſervatores. Habent Hinc etiam ſuos imitatores per Americam Angli, Hollandi, Sueci &c. Americæ nimirum id contigit, quod quondam effecerunt, Longobardi, Gothi aliíque populi multarum exterarum Provinciarum victores potentiſſimi: horum quippe ex Provinciis in Provincias migratio facta eſt continuò morum mutatio Excipe tamen, quòd conſtanter aliquid hæreat non modò viris fœminíſque adultis, ſed ætati quoque tenerrimæ, quam ita imbuit ſæpe natura mater, ut *quo ſemel eſt imbuta recèns ſervet odorem teſta diù.* Quare compertum eſt, Americanos Europæorum exemplo didiciſſe non duntaxat formare verba, ſed & urbes & oppida condere, ſcientias intelligere, artes & opificia exercere, arma tractare, pluris quàm quondam aurum, argentum & quaſvis res Europæis pretioſas æſtimare, inter vitra & uniones diſcrimen facere &c. Americanorum procul

dubio

dubio mores antiquos & novos aperirent nobis epiſtolæ multæ à Patribus Societatis natione Germanis ad nos ex America miſſæ, niſi brevitati ſtudere præplaceret: omiſſis itaque omnibus aliis partem epiſtolæ, quam 1698. P. Stanislaus Arlet ad Adm. R. P. Thyrſum Gonzalez Societatis Generalem p. m. dedit, huc ſolùm transfero, quæ ita habet: *populi curæ meæ commiſſi Caniſiani dicuntur barbari omnes, vagi & hinc inde per ſylvas diſperſi, nullis legibus aut poteſtate coerciti. Nulla illis Religio, ſed neque ulla ſuperſtitio: licèt verò aliquam Numinis notitiam habere videantur, DEum tamen non colunt, ſed nec malum dæmonem. Colore omnes admodum fuſco ſunt, & inter belluas belluis ſimillimi, & vix non ipſi belluæ degunt: vix enim è vultu, moribus aut voce hominem conjicias: adeò inter fæces & fætores abſorpta ſtetit ratio, & inter ſordes terrenas precioſa ſqüallet margarita anima. Hi igitur Caniſiani ùt feri, ita & belligeri ſunt, vicináſque gentes continuis bellis fatigant, eóſque captos aut perpetuæ ſervituti mancipant, aut occiſorum carnes in epulis ſuis appoſitas devorant. Sed & mortuorum crania poculorum loco ad potandum uſurpant. Sunt autem Caniſiani potui ſupra modum dediti; unde & frequenter ebrij in mutuas rixas ac cædes prorumpunt aliáque omnia, quæ referre honeſtus calamus erubeſcit. Arma illis arcus ſunt & ſagittæ & haſtilia lignea, quibus non ferream, ſed ſaxeam quandam cuſpidem præfigunt, ídque genus armorum tam dextrè etiam ad 100. paſſus in hoſtem evibrant, ut eum certiſſimo vulnere proſternant. Uxorum multitudo ad libitum eſt, quæ totis diebus occupantur in parando ex certis terræ fructibus potu, quo barbari, ùt avidè, ita profusè & ad ebrietatem uſque ſeſe ingurgitant.*

Porro numerum Caniſianorum inire, nec locorum diſtantia, nec ipſa multitudo permittit: horum igitur barbarorum ſylvas, nullis armis, ſed ſolo Deo fretus ac paucis Indis ſtipatus intravi, ceſsítque ultra exſpectationem expeditio: ita dirigente omnia ſuaviter Divinâ Providentiâ &c. Paulò pòſt namque eorum 1200. circiter è ſylvis collegi, quibuscum novam quamdam Coloniam inſtitui. Lepidum ſanè ſpectaculum fuit, quando barbari ad primum noſtrum conſpectum (nunquam enim Europæos homines, aut equos, qui nos noſtrámque ſuppellectilem portabant, viderant) tantopere turbati atque conterriti ſunt, ut arcus & ſagittæ é manibus iis exciderent & vox diutiùs

tiùs faucibus hæreret, ſtupentibus atque neſcientibus, quænam aut unde hæc monſtra in patriam ſuam penetrârint: credebant enim (utì poſtea faſſi ſunt) galeros, veſtes & equos, quibus inſidebamus, unius duntaxat corporis eſſe figuram, quâ utique prorſus exotica & nunquam hìc locorum viſâ in eam trepidationem ac metum conjecti ſunt, ut quid agerent, prorſus neſcirent; donec per interpretes metum ponere juſſi intellexerunt, quæ cauſa eſſet adventus noſtri, videlicet, ut doceremus eos veri DEI notitiam, modúmque illius colendi, ſed & præmia æterna DEI cultoribus & amantibus promiſſa, viciſſim æterna ſupplicia malefactoribus & rebellibus deſtinata. Nec opus fuit longa exhortatione, ſed illico gregis in morem nos ſequebantur omnes, & inſuper promittentes multa ſociorum millia ſeſe huc ad nos adducturos, quæ nunc in dies exſpectamus: jam enim ſex numeroſi populi ſive nationes ſuos internuncios ad nos ablegârunt, ad ſanciendam nobiſcum pacem, poſtulantéſque apud nos ſedes & habitationes. Nos hos legatos perhumaniter exceptos, & aliquot granis vitreis donatos (hæc enim maximi æſtimant barbari) ad ſuos dimiſimus.

Locum novæ Reductionis S. Petri delegimus amæniſſimum, ſub latitudine Boreali Grad. 14. ad Ortum & Auſtrum ſeſe aperit ampliſſima planities palmis conſita & in multas leucas diffuſa. Ad Boream cingitur magno & pretioſo flumine, quem Caniſiani ſuâ linguâ Cacurhuba appellant. Quicquid ad Occaſum eſt, ſylvæ occupant, multis odoriferis arboribus, & ad quaſvis fabricas adornandas idoneis, plenæque ſunt cervis, apris, damulis, ſimiis aliiſque ferarum ac volucrum generibus. Ipſum verò ſpatium ſive aream formando oppido deſignatam in ſua fora & plateas ordinatè diſtinximus, jámque ædem ſacram utcunque capacem noſtrámque habitationem ferè abſolvimus. Nulla hìc locorum toto anno eſt hyems, ſed calores vehementiſſimi atque continui, foréntque intolerabiles homini; niſi ventus, qui identidem ab Ortu aſpirat, eos nonnihil attemperaret. Tempeſtates creberrimæ eæque horrendæ & culicum morſus diu noctúque nos inquietant atque divexant. Interim panis aut vini nullus hic uſus aut notitia, præterquam in Sacrificio miſſæ. Sed nec ullus cibus aut alimentum, quàm quod ſuppeditant flumina aut ſylvæ, eorumque optimum condimentum modicum ſalis parcè admodum inſperſi. Verùm omnes haſce miſerias noſtras cœleſtibus ſuis ſolatiis dulces ac ſapidas nobis reddit benigniſſimus DEUS, vivimúſque in

tan-

tanta rerum penuria lætiſſimi & contentiſſimi: ex eo namque tempore, quo hanc miſſionem adiî, triſtem diem non numeravi. Solus Cathecumenorum noſtrorum in ſuſcipienda Fide Chriſtiana fervor, tantáque morum in melius mutatio nobis ſufficit ad abſtergendas quaſcunque animi nebulas atque anguſtias. Certè maximè volupe eſt illos videre matutino tempore ad doctrinæ Chriſtianæ explicationem, & veſperi ad preces tam alacres turmatim accurrere: parvulos inter ſe non ſine amica rixa certare, quis propior patri poſſit adſtare, quis prior Fidei myſteria è memoria dicere: nobis, cùm aut in lingua Indica hæſitamus, aut perperam exprimimus verba, innocenter ſibilando ſuggerere: Baptiſmum adultos magna aviditate expetere, & ſiquis infirmatur, quacunque ſive diei ſive noctis horâ de ægri ſtatu, atque ut ad Baptiſmum diſponantur, ſollicitè commonere.

Cæterùm ebrietas & uxorum multitudo inter barbaros uſitata curam habet difficillimam; & nihilominus ad unicam noſtram eámque magnâ cautelâ datam inſinuationem, ſi tres familias excipiamus, ferè ſublata ſunt: fœminæ quoque fila ducere & veſtem texere edoctæ, jamqne non paucæ veſtitæ incedunt, in quem finem magnam goſſipij quantitatem ſeminavimus, quæ veſtiendo toti populo poſt aliquot annos ſufficiet. Interim more primorum parentum noſtrorum arborum foliis nuditatem ſuam honeſtè obvelant. Hæc pluráque alia P. Stanislaus Arlet, quibus conformia ſunt, quæ pridem in Provinciam noſtram Superioris Germaniæ reſcripſerunt ex hac eadem Provincia Patres *Antonius Sepp, Xaverius Dirrhaim, Dominicus Mayr* aliíque non pauci. Non omittendum eſt hoc loco, quod de Americanorum moribus ſcripſit *P. Joſephus Acoſta* aliíque viri fide digni, nimirum non fuiſſe eam ubique barbariem in America, uti vulgò creditum eſt. Verba teſte Funccio *Acoſtæ* ſunt: *major barbaries fuit apud Romanos tempore Taciti, quàm apud Americanos.*

Provinciarum igitur diverſitas diverſos omnino habuit indigenas & habet hodie; alios nimirum moribus cultos, alios incultos & barbaros, tametſi ſæpe ab invicem loco non multùm removeantur: quæ morum diſcrepantia quàm facilè evenire poſſit, exempla lapſis Seculis nobis dedit Europa noſtra, & dat hodie in Scotia & Norvvegia, quæ quamvis ab Anglis & Danis parùm diſtent, moribus tamen adeò non conveniunt, ut in comparatione Anglorum & Danorum barbaros di-

xiſſe Norvvegorum & Scotorum multos nefas non ſit. Hæc de moribus Americanorum; de numero eorundem ſiqui conjecturam deſiderant, hanc habeant:

Americanorum in parte utraque numerantur hominum milliones facilè ducenti: ita conjecturare jubet Americæ magnitudo maxima; ita dicere videntur Miſſionarij inter Provincias varias ineuntes converſorum & aliorum Americanorum numerum: ita docere ſinunt circumſtantiæ aliæ. Quare ſi numerum hominum in toto terrarum orbe viventium inire placeat, fors ita numerari poſſunt. In Europa ſunt hominum milliones 140. aut 150. totidem in Africa. Ducenti milliones in America. Trecenti milliones in Aſia. Atque adeò ſumma eſt omnium 800. milliones. Ita ſalvo quorumvis aliorum judicio & ſententiâ, quam & hoc & multis aliis in locis novi contrariam.



IN-

INDEX PRÆCIPUARUM RERUM AC NOMINUM.

A.

Abaſſynorum Jmperium & hujus diviſio. - - Pag. 485.
Horum origo, progreſſus &c. 486.
Abbates & Abbatiſſ. S. R. J. Status 245.
Achaia ſeu Livadia. 418.
Adelhaidis Regin. Hung. Chriſt. 344.
Ægyptus & Syria 444. item 484.
Africa, hujus maria & flumina 483.
Africæ diviſio in 3. angul. 484. & 501.
Agilolphus II. Colon. Archiep. I. 163.
D. Agritius Trevir. Archiep. I. 159.
Alba Græca. - - 355.
Albania. - - 418.
Albania vidua. • 159.
Albertus Auſt. Jmp. & Hung. Rex 351.
Albertus Urſus Vandalor. victor. 209.
D. Albinus Brixinenſis Epiſ. 140.
Alcoranus. - - 439.
Alena. - - 263.
Algeriana Reſpublica. 491.
Ali Perſarum pſeudodoctor. 439.
Alſatia. - - 27.
D. Amandus Argentorati Epiſ. 267.
Item - - 288.
Amazonum Regio 510.
America Septentrionalis. 504.
America Auſtralis. 509.
Amurathes Turcar. Jmp. occiſus. 357.
Amurathes II. Serviæ expugnator. 358.
Andreas II. Hungarorum Rex. 347.
Andreas III. Hung. Rex. 347.
Anglia - - 58.
Anglorum ſacra, mores &c. 61.
Anglia Nova. - - 507.
Anhaltinus Principatus. 206.
Anno Halenſis, benefact. Friſingæ. 170.
D. Anno Epiſ. Salisburg. 175.
D. Ansgar. Epiſcop. 310.
Item - - 399.
Aquisgranum. 301.
Aſia Turcica. - 456.
Archiducum Auſtriæ origo. 118. 128.
Archiep. Salisburgenſes 176.
Archiepiſcopi Galliæ. 28.
Archiepiſcopi Italiæ. 56.
Archipelagus Mexicanus. 507.
Arenbergicus Principatus 172.

Ariſtotelis libri multa paſſi. 426.
Aſia & hujus diviſio. 453.
Attila Hunnorum Rex. 340.
Auguſta Vindelic. 259.
Auguſtani Epiſcopi. 241.
Auguſtanus Epiſcopatus. 239.
Auſtriacorum pugnæ. 89.
Auſtriæ urbes. 127.

B.

Badenſis Marchionatus 251. & 305.
Bajazethes. 442. & 437.
Bambergenſ. Epiſcopatus. 218.
Barbaria. 488.
Barbeienſes Comites. 204.
Barones S. R. J. 119.
Barcanum Regnum. 493.
Baſilea erepta Epiſcopo ſuo. 268.
Baſilius Macedo Jmp. 431.
Bavar. Circul. & Ducat. 173. 185.
Bavari Electoris jura. 188.
Beichlingenſes Comites. 205.
Beilſteiniani Comites. 173.
Bela I. II. & IV. Hung. Reges. 345.
Belgium univerſum. 37. &c.
Benthemienſis Comitatus. 299.
Bertholgadienſis Præpoſitura. 184.
D. Bernvvaldus. 16. & 303.
Berthold. Comes Helffenſtein. 177.
Biberacum. 261.
Biledulgeridia Regnum. 494.
Bipontinus Ducatus. 273.
Bogislaus Pomeran. Dux. 214.
Bohemorum Regis jura. 331
Boleslaus I. Pol. Rex. 368.
D. Bonifacius Mog. Arch. 154. & 179.
Bopfinga. 263.
Boruſſia erepta Teuton. Equitibus. 226.
Boruſſia Polonor. Regi tributar. 373.
Boſnia 358.
Brandeburgici Elector. jura 212. 298.
Brandeburgic. Marchion. origo. 209.
Braſilia 321.
Brema. & Ducat. 310. 510.
Brigantina ditio 141.
Briſgoja. 144.
Britannia Nova. 505.
Brixinenſis Epiſcopatus. 140.
Bruno ex Verdenſi Epiſ. Pont. 296.
Brunſuicenſes Duces. 304.
Bulgaria. 416.
Burſcheidenſis Abbatiſſa. 292.

C.

Caffaria ſeu Caffraria. 499.
Caminenſis Epiſcopatus. 214.
Campidunum. 261.
Campidunenſ. Princeps Abbatia. 243.
Canariæ inſulæ. 501.
Candia ſeu Creta. 419.
Canutus M. Danorum, Anglorum &c. Rex 400.
S. Canutus Danorum &c. Rex. 401.
Carinthia. 133.
Carniola. 134.
Carolus Canutſohnius Suec. Rex. 387.
Carolus Guſtav. Suecor Rex. 392.
Carol. XI. & XII. Suecor. Reges. 393.
Carolus Robert. Hungaror. Rex. 349.
Caſimiri Polonor. Reges. 368. 371. &c.
Caſtell. Comes. 230.
Cæſareenſe Monaſterium. 184.
Chriſtianus III. Danor. Rex. 404.
Chriſtian. IV. Dan. Rex Mercator. 404.
Chriſtina Suecor. Regina. 391.
Chriſtopher. Bavar. Rex Suec. 387.
Chriſtiernus II. Suecor. Rex. 388.
Chriſtophor. Dux Brunſuicenſis. 311.
Chriſtophorus Columbus. 20.

Chri-

Circulus Auſtriacus. 126.
Circulus Bavaricus. 173.
Circulus Franconicus. 216.
Circuli in Globo Terraqueo 2.
Circulus Rhenanus inferior. 151.
Circulus Rhenanus ſuperior. 263.
Circulus Saxon. inferior. 302.
Circulus Suevicus. 232.
Circulus Weſtphalicus. 284.
Circulor. diviſio ſecundùm fluv. 322.
Claſſis Hiſpanicæ deſcriptio. 18.
Climatum deſcriptio. 6.
Clivenſis Ducatus. 295.
Clodovæi Regis votum. 218.
Coburgenſis Ducatus. 227.
Colmaria. 283.
Colonienſis Archiepiſcopus. 163.
Colonienſis Electoratus. 161.
Coloniæ origo & reſtauratio. 162.
Comites S. R. J. 119.
Comites Suevi. 257.
Comitatus varij in Weſtphalia. 299.
Congo Africæ Regnum. 497.
Conſtantienſe Concilium. 238.
Conſtantienſis Epiſcopatus. 237.
Conſtantinop. expugnata. 438. 443.
D. Corbinianus Friſing. Epiſ. 179.
S. Cornelij Abbas 292.
Corſica. 55.
Corveienſis Abbas Princeps. 291.
D. Creſcens Mogunt. Ep. I. 153.
Croatia conjuncta Hungariæ. 346.
Cronberg Comitatus. 281.
Cronsfeldenſis Comitatus. 380.
Cuiavia. 363.
Culenbacenſis Marchionatus. 226.
Curienſis Epiſcopatus. 242.
Curlandia. 365.
D. Cyrinus Ratisbon. Epiſ. 181.
Czar nominis origo inter Moſcos. 413.

D.

Dalmatia conjuncta Hung. 346. & 359.
Damraca Polon. Duciſſa. 367.
Dania & hujus diviſio. 394.
Daniæ Reges. 399. &c.
Dania Nova. 505.
Delmenhorſt. Comes. 300.
Demetrij ſeu Pſeudo Demet. Moſc. 414.
Demoſthenes Orator. 429.
Dernbacenſis Comitatus. 230.
Diepholtianus Comitatus. 194.
D. Dionyſij Reliquiæ. 184.
Diviſio Circulor. ſecundùm fluv. 322.
Duces & Principes Jmperij. 117.
Dünckelſpila. 261.

E.

Electorum S. R. J. poteſtas & jura. 112.
Eliſabetha Palat. Elector. conjux. 188.
Elvacenſis Præpoſitura. 244.
Embdanus Principat. ſeu Friſia. 298.
S. Emerami Monaſterium. 184.
Emma fundatrix Monaſt. Ratisbo. 185.
Engelbertus Comes Friſing. 179.
Epicuri ſententia. 428.
Equites S. R. J. 123.
Equitum Magiſter Princeps Jmp. Heitershemienſis. 269.
Ericus III. Suec. Rex magus. 322. 383.
Ericus V. ob Religionem occiſ. 383.
D. Ericus Suecor. Rex 384.
Ernpacenſis Comes. 230.
Eſſendiæ Abbatiſſa Princeps. 292.
Eslinga. 260.
D. Eucharius. 185.
Eugenius Dux Turcarum victor. 447.
Europæ deſcriptio. 8.
Euſtadianus Epiſcopatus. 220.

F.

Falckenſtein. Com. 281.
Ferdin. Jmp. & Rex 330. &c. - . 354.
Feſſanum Regnum. 489.
Finnia ſeu Finnonia. 380.
Fionia. 395.
Florida inſul. 407. 508.
Fortunatæ inſulæ. 501.
Francia Nova. 505.
Franciſcus Wilhelmus Com. Wartenberg, Oſnabrug. Epiſ. 290.
Franconicus Circulus. 216.
Francorum origo in Germania. 217.
Francofurtum ad Mœnum. 282.
Fridberga in Wetterevia. 282.
Fridericus Auguſtus. Sax. Elect. victor Turc. &c. - - 447.
Friderici complures Danorum Reges. - - 403. 404.
Fridericus Elect. Palat. 191. 169. 188.
Friſia Orientalis. 298.
Frjſingenſis Epiſcopatus. 177.
Fuldenſis Principatus. 270.
Fuldæ D. Bonifacius quieſcit. 154.
Fürſtenbergicus Principatus. 255.

G.

Galliæ univerſæ deſcriptio. 22.
Gelnhuſium in Wetteravia. 282.
Gemundia Suevorum. 261.
Gengenhachium. 262.
Genuenſis Reſpublica. 41.
Geographia 1. & ſeq.
Georgia. - - 457.
Georgius Caſtriotus. 443.
Germanorum antiquorum mores. 96.
De Geyrn Com. 230.
Geyſa III. Hungaror. Rex. 346.
De Giech Com. 230.
Gienga. 262.
Globi terraquei explicatio. 1. & ſeq.
Gormo Normannorum Rex. 400.
Goslaria. 321.
Gothardus Comes Schirens. 303.
Græcia inſulana 414. 419.
Græciæ Legislatores. 422.
Græciæ Philoſophi &c. 424.
Græcium ſedes Regimin. Auſtr. 132.
Græcorum Jmperatores. 431.
Græcorum ſapientes ſeptem 423.
Græcorum virtus Martia. 421.
Guinea. 496.
Gurcenſis Epiſcopatus. 133.
Guſtaph. Adolphus Suec. Rex. 390.
Guſtavus Eriſchon Suec. Rex. 388.
Güntherus Epiſcop. Gurc. I. 134.

H.

Hagenoa. . 283.
Halberſtatenſ. Ducatus 312.
Hamburgum. 321.
Hanoviæ Principatus. 280.
Haraldus VIII. Danor. Rex. 400.
Haſſiæ Landgraviatus. 273.
Hazfeld Comitatus. 281.
Hegira Mahometis fuga. 439.
Heilbrunna. 260.
D. Helena Treviris propitia. 159.
Helvetia. 85.
Helveti victores. 89.
D. Hemma. 133.
Hennebergicus Principatus. 228.
Henricus Auceps Hunn. victor. 342.
Henricus Valeſius 374.
D. Henricus Baſileæ Patronus. 268.
Henricus Walpot Equit. Teut. auth. - - . 225.
Herbipolenſis Epiſcopatus. 219

D.

D. Heribertus Elector Coloniæ I. 163.
Herlebachius. 142.
Hermannus II. Epiſ. Monaſterienſ. 286.
Heſperides inſulæ. 501.
Hetruriæ Ducatus. 43.
Hiberniæ deſcriptio 71.
Hildeſienſis Epiſcopat 302.
Hieroſolymæ Reges Chriſtiani. 441.
Hiſpania univerſa. 13.
Hiſtorici Græci. 428.
Hiſtoria Mahomet. antiqua. 418.
Hiſtor. Mahometanor. recent. 441.
Hohenbergica ditio. 141.
Hohenloici Comites 231.
Hohenzolleranus Comes, 210.
Hollandia 78.
Holſatiæ Ducatus &c. 317.
Holſatia. 394.
Holzapfel Comit. 300.
Hoyenſis Comit. 299.
D. Hubertus. 288.
Hungaria &c. 336.
Hungarorum Reges Catholici. 343.
Hungar. Reges ex ſtemate diverſo. 347.
Hunniades Joannes. 351.

I.

Jagello Polonor. Rex. 371.
Janitzarorum initium. 442.
Japonum Imperium & mores. 475.
Jmperatoris poteſtas, jus &c 108.
Jmperatricis poteſtas, jus. 111.
Jmperatores Græci. 431.
Jndia inſulana. 480.
Jndiæ Orientalis Regna. 479.
Jnſulæ Auſtralis Americæ. 512.
Joannes II. Baſilovviz. 413.
Joannes III. Comes Palat. Ep. Ratiſ. 185.
Joannes Corvinus. 443.
Joannes Polonorum Rex. 446.
D. Joſephus Epiſ. Ratisbon. 181.
Jſenburg. Comitat. 173. 281.
Jſna. 262.
Jtalia. 35. &c.
Jtalorum antiqua nomina. 52.
Jtalicæ inſulæ. 53.
Juditha fundatrix Monaſt. Ratisb. 185.
Juliacenſis Ducatus. 293.
Jutlandia. 394.

K.

Kauffbura. 262.
Kettler Gothardus Curlandiam accipit. - - - 365.

L.

Ladislaus I. 346.
Lambertus. 288.
Landavium. 284.
Lappones & horum mores. 398.
Lapponia Moſcovitica. 408.
Latina lingua inter Polonos. 373.
Lauenburgicus Ducatus. 308.
D. Laurentius Arch. Salisburg. 174.
Lazarus Serviæ Dux. 357.
Leiningen Comitat. 281.
Leodienſis Epiſcopatus. 286.
Leopoldus Wilhelmus Archidux. 313.
Leutkirchium. 262.
Limburgenſ. Comitat. 231.
Lindavium. 261.
Lingenſ. Comitat. 300.
Lippienſ. Comitat. 300.
Lithuaniæ Mag. Ducatus. 367.
Livonia. 380.
Lœvvenſteinij Comites. 167.
Lœvvenſteinius Princeps. 229.
Lotharingiæ Ducatus. 276.
Lubecca. 321.
Lubeccenſis Ducatus. 320.
Luccenſium Reſpublica. 42.
D. Ludgerus Epiſ. Monaſter. 286.

Ludolphus I. Elector Trevir. 159.
Ludovic. IV. Jmp. 342.
Ludovicus M. Hung. Rex. 349.
Ludovicus Hungar. Rex præmature occiſus. 353.
Lutherana ſecta in Suecia. 389.
Luſitania. 9. &c.
Lybia exterior. 495.
Lycurgus Orator. 429.

M.

Macedonia. 418.
Madagaſcar inſula maxima. 501.
Magellanica terra. 512.
Magdeburgicus Ducatus. 311.
Mahomet & Mahometani. 438.
Mahometani dicti Agareni & Sarac. 439.
Mahometis dogmata. 440.
Mahometanorum progreſſus. 440.
Mamelucor. Regnum extinctum 444.
Manderſcheid Comites. 173.
Mansfeldianus Comes. 204.
Mantuanus Ducatus. 38.
Marchia Weſtphalica. 297.
Marchio Badenſis Ludovicus. 447.
Maria & flumina in America. 504.
Maria & flumina in Aſia. 454.
Marium diviſio. 7.
Marroccanum Regnum. 489.
Maſovia. 303.
D. Maternus. 163.
Mathematici Græci. 428.
Maximil. I. Dux Bavarus. 169. 191.
Mediolanenſis Ducat. 73.
Megalipolitanus Ducatus. 314.
Melichi Arabum pſeudodoctor. 439.
Melita inſula. 55.
Memminga. 261.
Mergenthemium. 225.
Meſopotamia 457.
Mexicum & Regnum Mexican. 506.
Michael Fedrovviz Moſc. Dux. 414.
Michael Koributhius Pol. Rex. 375.
Micislaus I. II. & III. Poloni. 367. 368. &c.
Mindenſis Principatus. 297.
Misniæ Marchionatus. 198.
Mogolicum Jmperium. 465.
Moguntiæ Elector. 152.
Moguntinum Domin. in Thuring. 203.
Moldavia. 416.
Monaſterium ſuperius & inferius. 185.
Monaſterienſis Epiſcopatus 285.
Monitum ſcriptoris ad Lectorem. 94.
Monomotapa. 499.
Monomotapæ Rex converſus. 500.
Monoemugi Regnum Africæ. 500.
Montenſis Ducatus. 294.
Montis Bellicardi Comitat. 279.
Mons Cæſaris. 283.
Montfortenſis ditio 141. 317.
Morea. 418.
Moraviæ Marchionat. 331.
Moſcorum Ducatus. 406.
Moſcovia Occidental. & Oriental. 407.
Moſcorum Reges, mores &c. 409. &c.

N.

Naſſovia. 278.
Natolia 455.
Neapolitanum Regnum. 49.
Nellenburgica ditio. 141.
Nicolaus Gneſnenſ. Archipræſul. 372.
Nigritia. 495.
D. Norbertus. 312.
Nordhuſium. 322.
Norimberga. 259.
Normanni in Gallia. 400.
Norvvegia. 395.
Norvvegorum mores. 395.
Norvvegorum Reges. 408.
Noſtiz Comitat. 231.

Not-

Nothafft Comitat. 231.
D. Notkerus Comes Oetting. 288.
Mubiæ Regnum. 484.
Numerus hominum in Europa. 422.
Numerus hominum in Africa 502.
Numerus homin. in orbe univerſo. 524.

O.

Odemari Tartar. Magiſter. 439.
Oettinganus Principat. & Com. 254.
Offenburgum 262.
Olaus I. & II. Suecor. Rex. 383.
S. Olaus Norvvegorum Rex. 406.
Oldenburgicus Comit 300. 317.
Oldenburg Ducat. 320.
Oldenburgicum Stemma. 402.
Onolsbacenſis Marchionat. 226.
Oratores Græci. 429.
Ordo Equit. Meliteni. 269.
Origo Americanorum. 512.
Oſnabrugenſis Epiſcopatus 289.
Otto Bavar. Hungarorum Rex. 348.
Ottocarus Rex Bohem. 136.
Otto Friſingenſis Auſtriæ Marchio. 179.
Otto III. Jmp. coronat Boleslaum. 368.
Ottomanus ſeu Oſman Turc. Jmp. 441.

P.

Paderbornenſis Epiſcopatus. 288.
Palatinus Ducat. Neoburg. 189.
Palatinus Electoratus. 165.
Palatin. Electorum origo, jura &c. 166.
Palatini Duces Philippus & Fridericus. 354.
Palatinatus ſuperior. 190.
Paraquaria. 510.
Parmenſis Ducatus. 37.
Paſſavienſis Epiſcopatus. 183.
Patres Græci. 430.
D. Paulus inter Græcos. 430.
Perſarum Jmperium. 458.
Perſarum Reges. 460.
Peruvium Regnum 510.
Petrus Alexivviz. 414.
Pfullendorffium. 262.
Philippinæ inſulæ. 481.
Philippus II. Hiſp. Rex. 12.
Piaſtus Polon. Dux. 367.
Piccolomini. 323.
Pictores Græci. 429.
Poetæ Græci. 429.
Poloniæ converſio. 368.
Poloniæ Regnum. 361.
Polonorum Duces primi. 366.
Polonorum ſtatus. 373.
Pomeraniæ Ducatus. 213.
Poppo Danorum Apoſtolus. 400.
De Portia Princeps. 134.
Porta ſedes Regia Mahomet. 489.
Porta urbs Jmp. Turc. 442.
Prumienſis Principatus. 272.
Bruſſia Polon. & Brandeburg. 376.
Pyrmontan. Comitat. 301.

Q.

D. Quirinus in Auſtria Apoſt. 127.
Idem Laureaci Archiep. 174.

R.

Ranzau Com. 321.
Ratisbona. 259.
Ratisbonenſis Epiſcop. 180.
Ravenſpergicus Comit. 298.
Ravenſpurgum. 261.
Reckheimienſis Comit. 300.
Regis Romanorum poteſtas. 110.
Reinſtein Com. 321.
Reſpublicæ Italæ. 39.
De Reuſſen Com. 205.
Reutlinga. 260.
Rietberg Comit. 301.
Ringelhaim. 317.
Romanæ Eccleſiæ ſtatus. 44. 45. &c.

Romania. 416.
Rottvvila. 260.
D. Rupertus Epiſc. Salisburg. 175.
Ruſſia Rubra. 363.

S.

Sabaudia & vicinæ Provinciæ 36. 317.
Sabaudiæ Ducatus. 275.
Salisburgenſis Archiepiſcopatus 173.
Salisburg. Archiep. Laus. 176.
De Salm & Reifferſcheid Com. 173.
Salmenſis Principatus. 280.
Salamon III. Conſtantienſ. Ep. 238.
Saraceni. 439.
Sardinia inſ. 54.
Sapientes ſeptem. 423.
Saxoniæ Circulus ſuperior. 193.
Saxoniæ Ducum ortus & progreſ. 193.
Saxoniæ Electoris Jura 197.
De Sayn Com. 300. 281.
Schaumburg. Comitat. 300.
Schleſvicia. 394.
Sleſvicenſis Ducatus. 317.
Schlettſtadium. 283.
Schönborn Comitat. 231.
Schvvarzenberg Princeps. 228.
Schvvarzenburg Princeps. 203.
Schvveinfurtum. 261.
Sclavonia. 356.
Scotia & Scotorum mores 53. 68.
Seelandia. 395.
D. Severinus 128. 189.
D. Servatius annis 373. vivus. 287.
Servia. 357.
Sicilia. 53.
Sigismundus Hung. Rex. 350.
Sigismundus Jmp. 328.
Sigiſmundus Poloniæ Rex. 445.
Sigiſmundus III. Polon. Rex. 374.
Sigiſmundus Suecor. Rex. 390.
Sileſiæ Ducatus. 333.
Sinarum Jmperium. 468.
Sinarum mores, dotes, origo &c. 471.
De Solms Comit. 281.
Soria ſeu Syria. 456.
Spiegelbergenſis Comit. 301.
Spira. 282.
Spirenſis Epiſcopatus. 265.
Stabulenſis Abbas Princeps. 291.
Statuarij Græci. 430.
Status in S. R. Jmperio univerſo. 101.
Status S. R. Jmperij Eccleſiaſtici. 116.
Status Eccleſiæ in Styria. 131.
Steinfortenſ. Comitat. 299.
D. Stephanus à Deo electus Rex. 374.
D. Henrici æmulus ſanctus. 345.
Stephanus Bathorius Pol. Rex 374.
Stephanus Boſniæ Dux ult. 359.
Sternbergenſi. Comitat. 301.
Stollberg Com. 204.
Styriæ Ducatus. 130.
Styriæ Duces & Marchiones. 131.
Styrum Comit. 300.
Suecia. 377.
Suecorum mores. 381.
Suecor. Reges occiſi multi. 384.
Suecor. Regum Series. 383. &c.
Suecorum Regum in Religione inconſtantia. 390
Sueciæ unio cum Dania & Norvv. 387.
Suen Otto Danor. Rex. 400
Suen Danorum Rex ſeverus. 401.
Suevia, Suevorum dotes &c. 233. &c.
Suevicus Circulus. 232.
D. Suibertus. 296.
Sulzbacenſes Comites fundatores Præpoſituræ Berchtholdsgad. 184.
D. Sympertus Epiſc. 241.

T.

Tamerlanes in Jmperio Mogolis. 466.
Tamerlanes Bajazethis victor 437.

Tartaria Moſcovitica. 408.
Tartari & Scythæ iidem populi. 463.
Tartaria Turcica Europæa. 416.
Tartaror. Jmperium & hujus diviſio. 462.
Tekelius. 446.
Tekenſes Comit. 256.
Teklenburgicus Comit. 299.
Temesvvaria. 355.
Teutonici Equites. 225.
Theodo II. Bojor. Dux victor Romanor. . . . 128. 157.
Theodorus Moſcorum Dux. 414.
Theodoſ. M. Trid. Eccleſiæ benefact. 139.
Theſſalia. 418.
Throtto Romanor. Rex. 400.
Thuringiæ Landgraviat. 201.
Thoſſo Auguſtanus Epiſcopus. 240.
Tranſactio Palatina. 294.
Tranſylvania. 360.
Tranſylvaniæ Ducatus pridem conjunctus cum Hungaria. 345.
Tremonia. 302.
Trevirenſis Electoratus. 156.
Trevirenſis Archiepiſ. 158. &c.
Treviri urbs antiquiſſima. 157.
Tridentinus Epiſcopatus. 193.
Tripolitanum Regnum. 493.
Tripus aureus. 423.
Tunetanum Regnum. 492.
Turcarum Jmperium. 415. &c.
Turcicum Jmperium in Aſia. 455.
Turcomannia. 457.
Tyroleos Comitat. 136.
Hujus Præſides, Duces &c. 138.

V.

Uberlinga. 260.
De Vehlen Comes. 300.
Veneta Reſpublica. 38.
Verdenſis Ducatus. 295.
Vicarij Jmperatoris & Jmperij. 114.
Viennna à Turcis preſſa. 444. &c.
Vini copia ingens in mare effuſa. 445.
Virneburg Comites. 473.
DD. Vitalis & Virgilius. 175.
Uladislaus Polon. Rex eximius. 369.
Uladislaus Pol. Rex Moſc. victor. 375.
Ulma. 259.
Ulrica Suecorum Regina. 393.
Unio Eccleſiæ Latinæ & Græcæ fruſtrà ſuſcepta. 436.
Urbes Jmperij ſtatus Suevici. 259.
Urbes Jmperij in C. Weſtphal. 301.

W.

Waldek Comit. 282.
Wallachia. 416.
Wangena. 262.
Weinshemium. 361.
Weiſſenburgica Abbatia. 265.
Weiſſenburgum. 262.
Welſſi. 304.
Wenceslaus Jmp. tyrannus. 326.
Werdenſis Abbas. 292.
Weſtphaliæ Ducatus. 296.
Weſtphalicus Circulus. 284.
Wezlaria. 282.
Wied Comit. 282.
Wila. 262.
Wild Comit. 282.
Wilhelmus Roſchild. Epiſ. 401.
Willegiſius Mogunt. Elect. I. 154.
Wimpfa. 262.
Witikindus M. Saxon. Rex. 193.
Wormatia. 283.
Wormatienſ. Epiſcopat. 264.
Würtenbergicus Ducatus. 250.

X.

Xeriffus Maroccanorum Jmp. 490.

Z.

Zahara Regnum Africæ. 495.
Zangebar Regnum Africæ. 488.

F I N I S.

09-0

Errata potiora.

Spæræ	Lege	Sphæræ.	pag. 3.
proplema		problema.	4.
Salumantica		Salmantica	15.
chphortes.		cohortes	18.
Burgundæ		Burgundiæ	25.
Summum		Summam	52.
obnoxi		obnoxij	61.
Secul. XIV. & XV.		Secui XIII. & XIV.	70.
Duplinenſis		Dublinenſis	73.
repreſentat		repræſentat	74.
Charolomontium		Carolomontium	76.
Bellgio		Belgio	80.
Conjugeret		Conjungeret	118.
Moguniam		Moguntiam	153.
dicta		dictum	182.
relinqua		reliqua	205.
Sepentrionem		Septentrionem	208.
Vitlandia		Voitlandia	215.
Marcionatus.		Marchionatus	215.
Miracaulis		Miraculis	267.
favente		faventi	268.
Lunburgicam		Luneburgicam	306.
Armata		Armenta	335.
abſtraſtis		abſtractis	358.
Furiam		Furcam	390.
primis		ultimis	393.
Fridericus IV.		Fridericus VI.	405.
Phildalelphus		Philadelphus	430.
Jmperatrorum		Jmperarorum	440.
Libya		Lybia	495.

Errores alios multos corriget Lectoris periti peritia & patientia.

A 4.1
J 68

J726
K81c